R. P. FRANCISCI SUARESII

OPUSCULA SEX INEDITA.

Typis Alphonsi Greuse.

R. P. FRANCISCI

SUARESII

GRANATENSIS E SOC. JESU THEOLOGI

OPUSCULA SEX INEDITA

NUNC PRIMUM EX CODICIBUS ROMANIS, LUGDUNENSIBUS AC PROPRIIS ERUIT ET PRÆFATIONIBUS INSTRUXIT

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINUS

JOANNES BAPTISTA MALOU

EPISCOPUS BRUGENSIS.

OMNIUM OPERUM TOMUS XXIV.



BRUXELLIS,
IN ÆDIBUS ALPHONSI GREUSE, TYPOGRAPHI EDITORIS,
6, VIA BEUGHEM.

PARISIIS,
IN ÆDIBUS JOANNIS DEMICHELIS, EDITORIS,
33, VIA ST-ANDRÉ DES ARTS.

MDCCCLIX.

1611

PRÆFATIO

IN R. P. FRANCISCI SUARESII

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI ET DOCTORIS EXIMII

OPUSCULA VI

NUNC PRIMUM EDITA.

I Quum forte fortuna, ante quinquennium eximii doctoris Francisci Suaresii, Soc. Jesu presbyteri, opus manuscriptum, non exiguum, nec parvi pretii, hactenus ineditum, *De confessione sacramentali per epistolam vel per nuncium instituenda,* nancisci contigisset, jam de edendo in lucem publicam egregio illo libro cogitaveram, quum ex rumore publico didici et Parisiis et Bruxellis novam editionem omnium operum doctissimi viri prelo parari; atque mox unus ex editoribus enixe postulavit ut opuscula inedita, quæ præ manibus habebam, cæteris operibus veluti debitum supplementum adjicerem. His votis sine mora annui; at simul consului, ut cætera opuscula inedita Suaresii, quæ reperiri possent, colligerentur, quo omnia uno contenta volumine simul prodirent. Res pro votis cessit; nam præter opuscula jam nota ex biographis aut bibliographis Suaresii, alia doctis adhuc incognita reperta sunt; quæ omnia typis commissa jam primum in lucem publicam proferuntur.

II Porro ut eruditus lector intelligat qua ratione hæc opuscula collectioni cæterorum scriptorum doctissimi Suaresii adjungenda veniant, paucis declarabo quid editor Parisiensis, quid Bruxellensis, hactenus perficere potuerint. Uterque sane maxima laude dignus est, quod tantas expensas in commodum sacrorum studiorum in se suscipere voluerit. Unus autem præ altero promptius inceptum opus prosecutus est. Decimum volumen editionis Parisiensis jam absolutum fuit, etsi primum ad finem anni 1855 tantum lucem aspexerit. Volumina quatuor prima ita inscribuntur : *R. P. Francisci Suarez e Societate Jesu opera omnia; editio nova a D. M. André, canonico Rupellensi, juxta editionem Venetianam XXIII tomos in folio continentem accurate recognita, reverendissimo et illustrissimo Domino Sergent, episcopo Corisopitensi, ab eo dicata.* Utrum doctissimus theologus, cui cura editionis commissa erat, quidquam præter nomen in titulo quatuor voluminibus primis inseruerit non liquet. Nulla scilicet in iis occurrit præfatio, ex qua consilium et sollicitudinem editoris agnoscere liceat. Præfationes antiquarum editionum sine nota temporis recuduntur, etsi neque operi,

neque editioni, neque circumstantiis temporum jam conveniant. Initio ipsius tomi septimi habetur præfatio, in qua vetus editor scribit secundum volumen *De gratia* nondum editum fuisse, sed Romanæ sedis auctoritatem in dies opperiri ut edatur. Nec animadvertit novus editor hoc volumen jamdiu omnium manibus versari; quo suo silentio lectores parum eruditos perturbare facile posset. In titulis voluminum frustra inquireres quam partem operum singula volumina contineant; id enim minime notatur, etsi omnino notandum fuisset, præsertim quum volumina novæ editionis minime respondeant voluminibus editionis Venetæ, aut alterius cujusvis. Etenim editio Veneta voluminibus *viginti tribus* concluditur; Parisiensis autem ex voluminibus *viginti septem* constabit. A volumine quinto D. Carolus Breton, vicarius ecclesiæ cathedralis Ambianensis, curam editionis suscepit, et videtur non minimam curam in corrigendo textu Suaresii posuisse. In admonitionibus gallice scriptis, quas tomo VIII et tomo X præmisit, acerbe conqueritur veteres editiones innumeris in locis esse corruptas, adeo ut contradictionibus manifestis scateant et lacunis, in quibus tollendis vel supplendis longus et ingratus labor impendendus sit. Initio tomi VIII fatetur se lineas integras, quæ deerant aut deesse videbantur, ex meris conjecturis supplevisse; ne autem temeritatis hac in re aliquando arguatur spondet se in volumine XXVII rationem daturum omnium emendationum et additionum, quas necessarias esse existimavit. Melius tamen fecisset si ope veterum editionum textum corruptum emendasset. Typographus notas marginales veterum editionum textui inseruit ut chartæ et expensis parceret; quod profecto cedit in detrimentum lectoris. Verum quidquid tandem de his defectibus judicetur, quum opera humana summam perfectionem nunquam attingant, editor et typographus meo judicio laudandi sunt, quod ingentem illam voluminum molem edere non formident, sed strenue inceptum opus perficere conentur ut, quam citissime fieri possit, optatum scopum attingant. Sane optimum est eorum consilium notandi in vigesimo septimo volumine emendationes factas aut faciendas, sicque pro viribus restituant, quidquid humana incuria parum cavit, aut sedula attentio invita passa est.

III Editor Bruxellensis tardius manum operi admovit; postquam enim aliquandiu a primo consilio resiliisse visus fuisset, anno tandem 1857, inito pacto cum bibliopola Parisiensi, veluti specimen totius futuræ editionis operum P. Francisci Suaresii publici juris fecit unico volumine tractatum decimum et ultimum operis Suaresiani *De virtute et statu religionis;* qui tractatus inscribebatur *De religione Societatis Jesu* et qui, olim in quarto volumine operis *De religione* impressus, in libros undecim partitus est. Tractatus ille cura R. P. Pauli Guéau de Reverseaux S. J., jam ab anno 1842 vita functi, ad pristinas editiones summa diligentia

fuerat collatus; quin imo piissimus æque ac doctissimus vir, cui res Societatis Jesu summopere cordi erant, *Vitam religiosam* P. Francisci Suaresii, ac præterea *Introductionem tractatui de religione Societatis Jesu* et *Elenchum quæstionum juris ecclesiastici*, quæ ad Societatem Jesu spectant, et indicem accuratissimum editionum omnium et singulorum scriptorum P. Francisci Suaresii studiosissimo calamo exaraverat. Scripta hæc R. P. De Reverseaux publica luce videbantur dignissima, ideoque speciminis gratia cum tractatu *de religione Societatis Jesu* edita sunt; volumen elegantibus typis impressum; quod pro suo merito a viris doctis et piis tanto favore et applausu fuit exceptum, ut bibliopola Bruxellensis consilium edendi omnia opera R. P. Fr. Suaresii instauraverit et æquis conditionibus volumina venum proposuerit.

IV In votis autem editoris Bruxellensis erat ante cætera opera Suaresii typis committere opuscula eximii doctoris hactenus inedita, incipiendo ab iis opusculis *de confessione sacramentali per epistolam vel per nuncium instituenda*, quæ ego jam prelo paraveram. Iis votis obsistere nolui, et manuscriptum typographis tradidi. Intellexeram enim ex editione horum opusculorum reipublicæ sacræ et literariæ non parum utilitatis accessurum. Pro acumine et facundia ingenii sui eximius auctor argumentum *de confessione per epistolam aut per nuncium* cum adnexis quæstionibus scholasticis ita expendit, ut illud vere exhauserit, ac nihil pio et erudito lectori desiderandum reliquerit. Sed quia alia opuscula Suaresii partim cura nostra, partim diligentia editoris Bruxellensis ex codicibus manuscriptis, in quibus latebant, eruta sunt et collecta, ut justi voluminis molem efficerent et ingentem operum P. Fr. Suaresii seriem complerent, operæ pretium esse duximus hic paucis indicare unde nobis obvenerint, quidque singula contineant. Deinde opera inedita eximii doctoris quæ nancisci et edere nondum contigit breviter recensebimus.

V Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispaniæ nova*, t. I, p. 482, Matriti 1783, laudat opus ineditum Suaresii, quod ita inscribitur : *Commentarii in decretum Clementis VIII circa confessionem et absolutionem in absentia datas, ad caput* MULTIPLEX, *de pœnitentia, dist.* 1, *sumptum ex Leonis epistola* LXXXIX, *cum concordia eorumdem canonum inter se.* Errat prorsus a vero eruditissimus P. De Backer, dum asserit (*Biblioth. des écriv. de la Comp. de Jésus*, t. II, p. 599) opus, hic a Nicolao Antonio descriptum, jam pridem impressum fuisse Lugduni, hoc titulo : *Tractatus theologicus de vera intelligentia auxilii efficacis, ejusque concordia cum libero arbitrio, ad stabiliendas definitiones fidei Innocentii X contra Jansenium, et* DISSERTATIO DE CONFESSIONE EPISTOLARI EJUS, opus posthumum fol. Lugduni 1655. Dissertatio nempe *de confessione epistolari*, hic primum edita, et in editione Veneta omnium operum P. Suaresii t. IX, p. 227 recusa, non ab ipso P. Suaresio, ut

R. P. De Backer autumavit, nec a P. Solerio, ut falso putavit P. De Reverseaux (Præf. p. xxxix), sed a P. Theophilo Raynaud, S. J. theologo doctissimo, in patrocinium doctrinæ P. Suaresii scripta est; atque ideo inter opera P. Raynaudi (tom. XX, p. 188) anno 1669 fuit repetita. Quum autem commentarius ineditus P. Suaresii in hoc volumine primum prodeat, eidem dissertationem P. Raynaudi ut necessariam appendicem subjunximus. De argumento horum commentariorum deque vicibus controversiæ, cujus ergo scripti sunt, infra dicemus, scilicet in peculiari præfatione commentario præmittenda.

VI Inter codices bibliothecæ Lugdunensis servatur codex ita inscriptus : *Francisci Suarez gravis epistola ad Clementem VIII, et epistola subjuncta, seu responsiones ad propositiones de auxiliis gratiæ, notatas a Dominico Bannez*, 79 pag. in 4°. Codex ille innotuit ex erudito opere Delandine, cui titulus : *Manuscrits de la bibliothèque de Lyon*, tom. I, p. 481, num. 599. Qui postquam cura bibliopolæ Parisiensis fuisset diligenter descriptus, ad nos transmissum est exemplar, quod in hoc volumine ineditorum operum P. Suaresii secundo loco et cum propria præfatione edemus.

VII In archivo domus professæ Societatis Jesu Romæ habetur collectio documentorum, a R. P. Budrioli, Soc. Jesu theologo, facta labente sæculo XVIII, ad defensionem piæ tunc sententiæ, quæ tenebat Beatam Mariam Virginem sine labe fuisse conceptam, atque a peccato originali præservatam. Inter hæc documenta eminet *quæstio* seu dissertatio inedita P. Fr. Suaresii, inscripta *De immaculata B. M. V. conceptione;* cujus exemplar accepimus, et hic tertio loco edi curavimus. Hæc dissertatio bibliographis omnibus erat ignota; attamen P. Suaresio prorsus adscribendam esse suo loco probabimus.

VIII Nullum biographorum P. Suaresii fugit notitia operis, quod eximius doctor scripsit *De immunitate ecclesiastica*, occasione controversiarum, tunc vertentium inter sedem apostolicam et rempublicam Venetam; quodque summus pontifex Paulus V per breve apostolicum, infra recitandum, significavit fuisse sibi pergratum, ut notavit P. Sotwel in sua *Bibliotheca scriptorum Soc. Jesu* pag. 256, ed. 1672. Exemplar ms. hujus voluminis, dempto tamen libro primo, servabatur in bibliotheca instructissima familiæ Barberinæ, in qua hactenus reperitur. Illud nuper describi curavit librarius Bruxellensis, nobisque transmisit, ut quarto loco in hoc volumine ederetur.

IX Inter scripta in archivo Romano Soc. Jesu repertæ sunt etiam epistolæ tres, a P. Suaresio scriptæ, dum nuncius apostolicus civitatem Ulyssiponensem interdicto subjecisset anno 1617. Lingua Hispanica, qua scripta sunt, cum prævio commentario, eas hic recudi fecimus quinto loco, propter affinitatem quam habent cum controversia de interdicto Veneto. Eisdem addidimus breve S. D. Pauli V, quo summus

pontifex P. Suaresio gratias agit ob zelum suum in sedem apostolicam, occasione hujus controversiæ manifestatum.

X Ultimo loco edimus judicium P. Franc. Suaresii de instituto Virnum anglicanarum, quæ nomen *jesuitissarum* sibi vindicarunt; sed quarum vivendi rationem et institutum Urbanus VIII damnavit et proscripsit, ut infra in commentario historico explicabitur. Judicium Suaresii non versatur circa sanctitatem aut opportunitatem hujus instituti, sed circa facultatem episcoporum approbandi nova instituta religiosa. Sententia, quam amplectitur eximius doctor, etsi ab antiquis et a nonnullis e recentioribus canonistis propugnata fuerit, non videtur disciplinæ hodiernæ consentire. Cæterum quid de ea re judicandum sit, infra dicetur. Exemplar, quo usi sumus, descriptum est ex codice autographo P. Suaresii, qui Romæ servatur in archivo Societatis Jesu.

XI Præter hæc sex opuscula inedita P. Franc. Suaresii, quæ nunc primum publicam lucem aspiciunt, constat alia nonnulla delitescere, quæ obtinere nulla ratione potuimus. In primis Nicolaus Antonius loc. cit. commemorat *Consilia et varias quæstiones*, de quibus P. Josephus Massei in vita P. Suaresii, p. 251, ita scribit : « Exstant etiam in Lusitania multa *Consilia moralia*, non scripta ab auctore ut typis mandarentur, sed ab ipso missa ad eos qui eum interrogaverant, et post mortem ejus collecta. » Addit biographus editionem horum consiliorum a doctis viris et desiderari et exspectari. Secundo Nic. Antonius et P. Sotwel, quem alii exscribunt, asserunt in bibliothecis Hispaniæ servari P. Suaresii *Commentarios in logicam aliosque Aristotelis libros.* Tertio video nuncium apostolicum Ulyssiponensem ad S. D. Paulum V cum epistolis P. Suaresii, quas edimus, misisse ejusdem doctoris alia *scripta de interdicto Ulyssiponensi* (apud P. Massei, p. 206). Quarto, quum Suaresius ægre ferret se Romam detineri a S. D. Paulo V ut negotiis sedis apostolicæ vacaret, suæ sanctitati obtulit *Memoriale*, quo licentiam postulabat redeundi in patriam (ibid. p. 115). Quinto citantur nonnullæ epistolæ P. Fr. Suaresii, quæ utrum collectæ fuerint, et alicubi nunc exstent, ignoro. Hæc et non alia scripta eximii doctoris mihi innotuerunt.

XII Actum agerem profecto si vitam R. P. Fr. Suaresii hic describendam susciperem. Hanc enim spartam jam pridem exornarunt viri ex Suaresii familia peritissimi, inter quos primo loco nominandus est, teste R. P. De Backer, in sua *Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu*, gallice edita, R. P. Antonius Decamps, qui duobus voluminibus in-4° vitam F. Suaresii descripsit, ac Perpiniani edidit annis 1671 et 1672. Prodiit alia vita Suaresii, italice scripta a R. P. Josephi Massei, typis Romanis anno 1687, quam R. P. Benedictus Rogaccius latine redditam anno 1694 Tyrnaviæ in Transsylvania publici juris fecit. In *Bibliographia critica sacra et profana* (tom. II, p. 507), quam R. P. Michaël a

sancto Josepho anno 1740 Matriti edidit, legitur quod « R. P. Bernardus Sartolo, S. J. doctor Salmanticensis, vitam Francisci Suaresii graviter et copiose conscripsit et Salmanticæ evulgavit anno 1693. » Quæ quidem ultima vita diligentissimi R. P. De Backer diligentiam fugit. Mitto notitiam vitæ Suaresii, quæ præmissa est volumini primo operis de divina gratia, quod anno 1620, auctore jam vita functo, Lugduni prodiit, simul cum catalogo operum et debitis tanto viro laudibus : nec de *vita ejus religiosa*, quam R. P. De Reverseaux collegit, ut supra notavi, ulterius sermonem habebo : sufficiet adnotasse numerari omnino sex, qui Suaresii memoriam et libros doctissimos posteritati commendarunt. Pro nostro instituto satis erit ex prædictis commentariis ea quæ sequuntur breviter delibasse.

XIII Franciscus Suarez Granatæ in Hispania Bætica 5 die Januarii anni 1548 lucem adspexit. Annum ætatis decimum septimum agebat quando inter sodales Societatis Jesu cooptatus est. Philosophiam Segoviæ, theologiam per annos aliquot Pintæ docuit. Romam accitus, per annos octo sacram theologiam in collegio Romano summo audientium plausu tradidit. Inde vi morbi pulsus, Hispaniam repetiit, et Compluti annos octo, Salmanticæ annum unum docuit. Tandem in Lusitaniam missus, in academia Conimbricensi primarius professor renunciatus est, et, meritorum æque ac dierum plenus, die 25 Septembris anni 1617 septuagenarius Ulyssipone ad beatam vitam transiit.

XIV Nos minime latet viros levioris ingenii laudibus P. Francisci Suaresii hinc inde detraxisse eo quod, ut ipsi obtendebant, tricis scholasticis nimium fuerit implicatus. At qui scripta ejus animo libero scrutatus fuerit, is facile fatebitur Suaresium amplitudine doctrinæ, firmitate ingenii, perspicuitate sermonis, maturitate judicii, prudentia opinionum et cæteris dotibus eximii scriptoris, egregii philosophi et summi theologi coætaneos suos fere omnes longo spatio superasse; ita ut defectus, qui fortasse occurrunt in libris ejus, si cum summis ejus meritis conferantur, pro nihilo habendi sint. Quod si quis nihilominus ex eo offendatur quod plus nimium in discutiendis opinionibus aut futilibus aut obsoletis hæserit, noverit illa doctrinæ capita tunc temporis non indigna visa esse quæ summa ingenia exercerent; ac proinde Suaresium in iisdem elucidandis moribus suæ ætatis, usui scholæ tunc florentissimæ, ac etiam officiis summi doctoris tunc esse obsecutum. Quidquid delicatuli theologi hodie de Suaresii scribendi ratione sentiant, id tamen in comperto est, virum eximium ita de rebus theologicis scripsisse ut theologorum coætaneorum suorum facile princeps habitus fuerit, et modo *oraculum sui temporis;* modo *alter Augustinus;* modo *sui sæculi prodigium;* modo *cæli theologici atlas* (Theoph. Raynaud t. XX, op. p. 69) et Pauli V summi pontificis testimonio *doctor eximius* fuerit appellatus. Sane ipse Bossuetus, cui mul-

tum deferre solent ii, qui theologos scholasticos nullo in pretio habent, numquam sine laude doctrinam F. Suaresii profert, et alicubi declaravit in doctrina F. Suaresii *universam scholam theologicam audiri*. Quid, quæso, tot ac tantis laudibus addi potest? quid per calumniam iisdem detrahi?

XV Deficientibus hominum verbis, ipsa sua scripta Suaresium laudarent. Vix enim enarrari potest quantopere egregius ille doctor ecclesiæ catholicæ profuerit. De quæstionibus scholasticis, frustra agitatis, quidam supra modum conqueruntur; at numquid forte Suaresius pro dogmatibus fidei, pro libertate et juribus ecclesiæ catholicæ non pugnavit? Pugnavit certissime et quidem felicissimis armis. *Defensio fidei catholicæ*, quam Suaresius contra regem Angliæ et Anglicanos schismaticos erudito prorsus calamo scripsit, locum primarium inter scripta apologetica et polemica illius ætatis obtinuit. In eo opere Suaresius non tantum Romani pontificis primatum et universalem jurisdictionem inconcussis argumentis stabilivit, sed etiam hæreticorum systema, plane erroneum, de potestate regia jure divino immediate constituta validissime confutavit. Quid dixerim de scientia juris tam civilis, quam ecclesiastici et naturalis, quo pollebat? In interpretandis jurisprudentiæ sacræ ac profanæ principiis adeo feliciter desudavit ut egregium opus ejus *de legibus* ab ipsis hæreticis Londini anno 1679 fuerit recusum, utpote quo nec ipsi acatholici tunc temporis facile carere possent. Hugo Grotius, e cœtu protestantium vir, confessus est se lectione librorum F. Suaresii profecisse plurimum; et egregium hunc theologum in explicandis elementis juris naturalis veteres doctores omnes longe superasse. Quanta fuerit Suaresii peritia in evolvendis principiis theologiæ asceticæ ex luculento opere ejus *de virtute et statu religionis* abunde liquet. Ex hoc enim fonte uberrimo viri pii et monasticæ vitæ cultores præ cæteris sanam doctrinam hauserunt, qua passim instructi cœnobitici instituti robur servant et quotidie novas ascensiones in cordibus suis disponunt. Quod Suaresius de indole gratiæ divinæ scripsit, non parum fidei vindices juvit in refellenda hæresi janseniana. Quod vero de sacramentis ecclesiæ, de censuris, de vitiis et virtutibus, id splendidæ facis instar est oratoribus sacris ac sacerdotibus omnibus, sacro ministerio addictis. Quid plura? Nonne ex hactenus allatis et probatis plane constat Franc. Suaresium non tantum suis coætaneis eximia doctrina præluxisse, sed etiam nostræ ætatis theologis per libros suos facile prælucere posse?

XVI Porro scripta Francisci Suaresii sicut doctrina, ita et numero et mole plurimum valent. Operum ejus catalogum texuerunt doctissimi bibliographi Societatis Jesu RR. PP. Augustinus et Aloysius De Backer (*Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus*, t. II, p. 595, Liége 1854), et R. P. De Reverseaux, etsi dubium sit utrum

omnes editiones, quæ fere innumeræ sunt, illi doctissimi viri recensere potuerint. Volumina enim hæc, Matriti, Lugduni, Moguntiæ, Coloniæ, Antverpiæ, Parisiis et alibi successive edita et recusa, veluti dispersa et disjecta unius corporis membra jacuere, donec cura bibliopolæ Veneti collecta et conjunctim edita sunt, hoc inscripta titulo : *R. P. Francisci Suarez e Soc. Jesu opera omnia hactenus edita*, 23 vol. in fol. Venetiis 1740-1751. Elapso vix sæculo, a procurata illa editione Veneta, jam duo typographi, quin expensis a recudenda tanta voluminum mole deterreantur, ut supra notavimus, annunciarunt singuli editionem completam omnium operum Fr. Suaresii, atque etiam consilium suum ex parte ad effectum deduxerunt. Nonne inde manifestum est scripta Suaresii apud doctos viros magno in pretio haberi, atque hodiedum sacris studiis promovendis utilissime inservire posse?

XVII Ut nunc ad opera inedita, a quibus paulisper divertimus, redeamus, eruditum lectorem monemus, ea ex unico codice vel apographo edi, adeo ut non facile emendari potuerint, ubi deficere visa sunt. Attamen, si nonnulla loca tractatus de immunitate ecclesiastica excipias, quæ vix per conjecturas sanari possunt, ubique sensus videtur plenus et perfectus. Plura de his opusculis hic non dicam, quia singulis particularem præfationem cum notis aut commentariis præmisi; quæ, ni fallor, lectorem benevolum in perlegendis doctis his lucubrationibus non nihil juvabunt. Porro faxit Deus optimus maximus, qui est pater luminum et omnium donorum auctor, ut hæc scripta cedant in honorem suum et in defensionem sanctæ matris ecclesiæ.

Brugis, 6 Septembris 1858.

† J. B. Episc. Brug.

PRÆFATIO

IN OPUSCULA P. FRANCISCI SUARESII

DE CONFESSIONE SACRAMENTALI PER EPISTOLAM VEL PER NUNCIUM FACTA.

I Initio hujus voluminis edere constituimus P. Francisci Suaresii scripta : *De confessione sacramentali per epistolam vel per nuncium facta*, quæ in elegantissimo et emendatissimo codice manuscripto reperimus, eo titulo insignita, quem Nicolaus Antonius etiam in codicibus Hispaniæ ad litteram legisse constat. Quo autem quisque lectionem horum opusculorum facilius aggrediatur, hic breviter declarabimus qua occasione P. Suaresius hæc opuscula scripserit, quænam fuerit sententia ejus et quas vices controversia ab ipso agitata subierit; ac tandem quam certa sit horum opusculorum genuina origo et inconcussa auctoritas.

II Quocirca in primis notandum est omnium fere theologorum communem olim fuisse sententiam sacramentum pœnitentiæ inter absentes conferri non posse. Docent nempe veteres theologi sacram absolutionem non valere, si a sacerdote absente in pœnitentem absentem, qui per litteras vel per nuncium confessus est, pronuncietur. Quominus autem Suaresius, ut ipse declarat, sententiam, qua asseritur hujusmodi absolutionem valere, declararet omnino falsam, obstitit opinio nonnullorum Thomistarum veterum, qui docuerunt in casu necessitatis absolutionem concessam absenti esse validam et legitimam. Quam ob causam, sententiam, quæ tenet absolutionem datam absenti valere, non nisi improbabilem declaravit. Porro omnium fere theologorum pariter una erat sententia integritatem materialem confessionis sacramentalis non semper requiri in pœnitente, qui morbo, infirmitate vel instante morte impeditur quominus omnia sua peccata singillatim enumeret; sed in circumstantiis hujusmodi sufficere confessionem generalem, vel etiam, si pœnitens voce careat, signa quædam pœnitentiæ; et si sensibus sit destitutus, testimonium aliorum, quo sacerdos certior fiat pœnitentem postulasse vel optasse absolutionem peccatorum. Hinc pronum erat admittere ut legitimam confessionem sacramentalem per litteras; qua peracta, sacerdos pœnitentem præsentem legitime et valide absolvere poterat. Et revera plerique theologi, quibus F. Suaresius consentiebat, docebant confessionem epistolarem valere, si pœnitens a sacerdote præsente absolveretur.

III Hanc sententiam amplexus fuerat doctissimus theologus, dum anno 1588 Compluti, et anno 1598 in Conimbricensi academia Summam theologicam sancti Thomæ interpretaretur; et in tomo IV Commentariorum in tertiam partem ejusdem Summæ communem sententiam de invalida absolutione collata absenti, et de confessione legitima facta sacerdoti absenti, admiserat; jamque Commentarios typis ex parte impressos in publicum emittere cogitabat, quando sexta Septembris anni 1602, ut ipse in opusculo II de confessione epistolari notavit, accepit decretum a Clemente VIII, Romano pontifice, 19 Julii (vel, ut aliis placet, Junii) 1602 probatum, in quo communis sententia, ut Suaresio

videbatur, confirmata, minime vero reprobata est. Decretum erat hujus tenoris : « Re mature ac diligenter considerata, hanc propositionem : scilicet licere per litteras seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit; præcepitque ne deinceps ista propositio publicis privatisque lectionibus, concionibus et congressibus doceatur; neve umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur. » — Decretum hoc summa veneratione suscepit Suaresius, et Commentariis suis inseruit, addita sequenti explicatione : « In hoc decreto directe solum videtur pontifex prohibere dicere aut docere licitum esse absentem absolvere in aliquo casu, vel id facere : an vero, si fiat, factum teneat, non declarare. Credo tamen mentem ejus fuisse hoc etiam declarare et contrarium in eodem gradu damnare; tum quia in hoc sacramento hæc duo per se non separantur; tum etiam quia hic erat cardo controversiæ. Nam si ex se non licet, ideo est quia sacramentum non potest ita perfici. Quapropter neutrum licet jam opinari; neque illa opinione in praxi uti, etiamsi fingatur quicumque casus extremæ necessitatis, maxime propter hanc prohibitionem pontificis; nam ita illam restringit illis verbis : *Neque umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur*. Quod fuit valde conveniens, ne uniuscujusque arbitrio relinqueretur fingere casum necessitatis ad utendum alia opinione tamquam probabili. Est igitur dicta sententia certa, in gradu a pontifice definita. » Ita Suaresius, disput. XIX, sect. 3 Commentariorum suorum in 3 partem sancti Thomæ; ubi sententiam, qua probatur absolutio in absentem lata, asserit falsam *maxime propter hanc prohibitionem pontificis*, quasi ex ipsa natura rei doctrina contraria non posset efficaciter demonstrari. At in opusculis de confessione epistolari ulterius progressus est, ac pro viribus demonstravit absolutionem in absentem invalidam esse *vi institutionis Christi* et ex natura sacramenti. In disputatione 21, sectione 4, de confessione ab absente facta agens, allatis antiquis canonibus, doctrina concilii Tridentini et sententia veterum theologorum, his verbis, quibus decretum Clementis VIII jam laudatum interpretatur, suam disputationem absolvit : « Propter hæc decreta et propter usum ecclesiæ, censui semper hanc opinionem esse veram et piam, et conformem Christi institutioni, qui ex parte pœnitentis solum postulavit, ut suam conscientiam aperiat sacerdoti, quantum et qualiter potest, ut patet etiam de integritate, de qua infra dicetur. Et hoc etiam declarat prædictus usus ecclesiæ, *qui de absolutione nihil tale declaravit, et ideo non est de illa similis ratio*. Præsertim quia forma habet præscripta verba, non autem confessio. Denique est hoc consentaneum obligationi pœnitentis a quo non exigitur, nisi ut satisfaciat quantum potest; ergo neque ut confiteatur nisi quantum potest. Et similiter sacerdos in hac parte solum tenetur de dispositione pœnitentis certus fieri quantum potest. *Timeri autem potest, ne prædicta declaratio pontificia huic opinioni in aliquo derogare videatur*, quia damnat hanc propositionem : *Licere per litteras seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absolutionem obtinere*. Ubi utrumque membrum videtur damnare. *Existimo tamen non fuisse mentem sanctissimi de hac opinione tractare, sed solum de illa, quæ dicit sacramentum pœnitentiæ posse perfici ac consummari inter absentes;* atque ita illam particulam *et* non esse divisive sed complexive sumendam; præcipueque illud damnasse propter eos qui dicebant absolutionem dari posse in absentia. Moveor tum ex circumstantiis littteræ; nam si aliud voluisset, potius id explicasset per particulam *vel*. Item hoc clare indicat illud singulare signum demonstrativum *hanc pro-*

positionem. Nam ex eo constat solam hypotheticam propositionem per modum unius damnari. Tum præterea, quia illa erat controversia, de qua tractabatur; tum denique quia sola illa opinio est aliena ab usu ecclesiæ; hæc autem est illi et decretis conformis. *Nihilominus declarationem hanc ejusdem pontificis censuræ subjicio, sicut cætera omnia, quæ tam in hoc, quam in cæteris operibus meis continentur.* »

IV Hanc decreti Clementis VIII interpretationem ægre tulerunt nonnulli theologi ex ordine Fratrum Prædicatorum, qui etiam Suaresium, ut ipse narrat in opusculo secundo, malæ doctrinæ, audaciæ et imprudentiæ insimularunt : atque irreverentiæ erga Romanum pontificem accusarunt eo quod, ipso inconsulto, decretum ejus interpretatus fuerat. Voluit igitur doctissimus æque ac candidissimus vir sententiam, quam in tomo IV in III partem S. Thomæ obiter exposuerat, fusius explicare, ostendendo decretum Clementis VIII, cum epistola LXXXIX S. Leonis magni et cum antiquis canonibus conciliorum, juri canonico insertorum, prorsus conciliari non posse, nisi admittatur interpretatio quam pridem proposuerat. Opusculum cum Romam devenisset Clementi VIII oblaturus, divisit in tres partes, in quarum prima accuratissime expendit singula verba decreti summi pontificis, quod optimis argumentis confirmat, abjectis et confutatis interpretationibus minus rectis aut evidenter falsis. « Dicendum est, scribit Suaresius, cap. 2, num. 6, decisionem hujus decreti (qua prohibetur absolutio absenti concessa) ita intelligendam et observandam in praxi esse, ut omnino in nullo casu, etiam extremæ necessitatis, exceptionem admittat. *Hanc intellexi semper fuisse mentem pontificis summi, de qua in ipsius præsentia, et ex omnibus, quæ de hoc puncto cum gravissimis cardinalibus in urbe contuli,* certior effectus sum. » Deinde ostendit decretum Clementis VIII esse *declarativum juris divini et conditionum sacramenti;* fundamentum hujus decisionis *desumendum esse ex essentiali ritu sacramenti pœnitentiæ, qui ritus pendet ab institutione divina,* et diversus est in singulis sacramentis. Decretum, ait, fundatur in forma absolutionis, quæ datur per usum clavium et potentiæ et scientiæ, qui requirit per se præsentiam rei. Occurrit objectioni eorum, qui ex natura *judicii* arguere vellent, dicentes sacramentum pœnitentiæ in formam judicii administrari; et de essentia judicii non esse ut in præsentem pronuncietur ut valeat; ac proinde videri illud sacramentum subsistere, si ab absente sacerdote conferatur, sicut valet sacramentum matrimonii, inter absentes contractum, quia participat de natura contractus, qui valide inter absentes concluditur. Negat scilicet paritatem. De natura cujuscumque judicii non est ut viva voce proferatur; scripto enim vel nutu significari potest. At, vi divinæ institutionis, absolutio valide conferri non potest nisi organo vivæ vocis. Sacramentum pœnitentiæ non est igitur ex omni parte assimilandum judicio. Insuper eo ipso quod forma sacramenti verbis exprimenda est, supponere videtur hominem præsentem ad quem verba dirigantur; quod in forma ecclesiæ latinæ innuit particula *te,* quo sacerdos pœnitentem alloquitur. Accedit quod forma pronuncietur per modum imperii; ac proinde supponat cui imperium significetur. Hæc et alia argumenta affert Suaresius in prima parte sui opusculi, quibus decreti Clementis VIII veritatem ostendat vel confirmet. Deinde subtiliter inquirit quo gradu propositio, a pontifice sancita, certa sit : et capite 6 distinguit tres hypotheses : nempe in decreto Clementis VIII damnari potuit sententia eorum qui asserebant et confessionem fieri et absolutionem dari posse ac proinde totum sacramentum pœnitentiæ saltem valide confici inter absentes; vel sententia eorum, qui docebant absolutionem dari posse a sacerdote absente; vel sententia eorum, qui putabant solum confessionem

ab absente factam sufficere ad validitatem sacramenti. Et ex his tribus sententiis Suaresius docet primam et secundam esse proscriptas, non vero tertiam. Demonstrat, per verba decreti singulas partes propositionis damnatæ non seorsim damnari, sed tantum propositionem integram, seu partes copulatas, et illam præterea partem, qua legitima asseritur absolutio a sacerdote absente data. Hanc interpretationem in secunda et tertia parte opusculi demonstrare conatur.

V. Secunda pars opusculi impenditur exegesi capitis *Multiplex*, et his verbis a Suaresio inscribitur : « De vero sensu S. Leonis papæ circa pœnitentiam dandam ægroto extreme indigenti, qui illam in præsentia sacerdotis postulare non potuit. » In epistola sua LXX sanctissimus pontifex ita decernit : *Quod si vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequantur*. Similia præcipiunt concilia Carthaginense IV, Arausicanum, Toletanum XII et alia; quibus propositis, Fr. Suaresius, pro more suo, fuse expendit sensum pontificis et conciliorum; detortas interpretationes vel ab aliis allatas vel a se confictas removet; objectionibus et dubiis omnibus abunde satisfacit; et demonstrat mentem S. Leonis et conciliorum et sensum juris canonici in eo collimare ut confessio, facta in absentia sacerdotis atque in ejus præsentia non renovata, sed asserta tantum testimonio aliorum, pœnitenti prodesse possit et debeat.

VI In tertia parte opusculi totus est in conciliando decreto Clementis VIII cum sententia S. Leonis et doctrina juris canonici; et eo devenit ut demonstret hæc optime cohærere, si dicamus utriusque decreti diversum esse scopum. « Clemens nempe loquitur de confessione in absentia conjungenda cum absolutione in absentia : Leo autem de confessione in absentia conjungenda cum absolutione in præsentia; et ideo sine ulla contradictione Clemens damnat priorem confessionem in absentia in omni casu; Leo vero in aliquo casu admittit posteriorem... Decretum Clementis habet solidum fundamentum *in verbis formæ*, juxta institutionem per ecclesiæ traditionem explicatam necessariis, et consequenter in debita et prudenti administratione hujus sacramentalis judicii per talem formam perficiendi. Alterum vero, id est Leonis, *in institutione materiæ* hujus sacramenti, qui ex vi ejus nullum habet determinatum ritum essentialem, sed solum requirit, ut a præsente offeratur modo sibi possibili, dummodo sufficiens sit ad morale judicium, et ad verba absolutionis cum proprietate proferenda. Ergo maxime probanda est hæc concordia. » Ibidem notat Suaresius hanc suam interpretationem in Hispania, in Gallia et in Italia communiter fuisse receptam. « Et Romæ se vix invenisse aliquem qui, re satis inspecta et consideratis verbis et ponderationibus utriusque decreti a se adductis, eam impugnavit. » Tandem sententiam suam corroborat in memoriam revocando occasionem, qua decretum Clementis VIII latum est. « Occasio, ait, faciendi hoc decretum non fuit nisi abusus celebrandi hoc sacramentum inter absentes quoad totum ritum ejus; qui abusus introduci incipiebat, ut ferunt, et ex illo sequi poterant scandala et gravia incommoda : contra hunc ergo abusum factum est decretum; et ille est per se damnatus ac prohibitus. De confessione autem facta in absentia propter necessitatem in ordine ad præsentiam confessarii, etc., nec cogitatum quidem est, ut a gravissimis viris, qui eidam facto interfuerunt intellexi; quia neque de tali usu fuit unquam suspicio vel scandalum. Neque ex illo timeri poterat occasio alicujus majoris mali. Unde potius credimus non fuisse aliam etiam privatam mentem et intentionem pontificis. Voluit enim damnare id

quod novum et inusitatum erat in ecclesia, non id quod per antiquos canones approbatum erat et usu receptum, et in ipsomet Sacerdotali (Rituali) Romano contentum erat (Parte III cap. 6).» Suaresius opusculum absolvit, illud dedicando eidem pontifici sub cujus protectione idem evulgare intendit. Unde colligere est opusculum ante annum 1605 fuisse scriptum; si quidem Clemens VIII initio mensis Martii istius anni ad superos migravit.

VII In codice nostro manuscripto ad calcem primi opusculi occurrit nota sequens : « Adnectuntur hæc duo alia sequentia manuscripta ejusdem P. Suarii, super eadem contraversia, cum adnotationibus incerti autoris Societatis Jesu. » Opusculum II, quod immediate subsequitur, hoc titulo ornatur : *Objectio aliquorum circa materiam de confessione adversus P. Franciscum Suarez de S. J. et responsio ejusdem ad SS. D. N. Clementem VIII.* Ab initio P. Suarez statum quæstionis exponit iisdem ferme verbis ac in opusculo primo. Argumenta eadem recenset, novos doctores sententiæ suæ faventes laudat, sententiam suam declarat esse *certam et ecclesiasticam doctrinam*, et nonnullas narrat circumstantias hujus controversiæ scitu dignas. Auctor ille anonymus Societatis Jesu additamenta varia opusculo inseruit in patrocinium Suaresii : respondet nempe theologis ex ordine Fratrum Prædicatorum, qui diu post mortem Suaresii doctrinam ejus impugnarant. Suspicor eum vel medio sæculo XVII, id est eodem tempore quo P. Theophilus Raynaud, vel paulo post scripsisse. Nam, ex testimonio Patris Moya, narrat Clementem VIII olim jussisse ut interpretatio a P. Suaresio data ex operibus ejus eraderetur, quæ tamen postea denuo omnium plausu, ut ait, restituta est (in Additis ad num. 19). Suarez hic etiam miratur impugnari sententiam, quæ in Sacerdotali Romano, et in Rituali Romano, anno 1605 primum edito, expressis verbis continetur. Videtur prorsus hoc secundum opusculum absolvisse eodem fere tempore ac primum; imo fortasse hoc secundum scripsit ante illud, quod primo loco in codice exaratum est : nam quod secundo loco legitur brevius est et jejunius. Quidquid sit, utrumque ante annum 1605 crediderim fuisse exaratum.

VIII Opusculum quod tertio loco occurrit constat quinque capitibus nullo, nisi argumenti circa quod versantur, vinculo cohærentibus, sed utili commentario anonymi auctoris Societatis Jesu ornatis, in quibus argumenta nova occurrunt nulla, sed circumstantiæ variæ controversiæ narrantur, quibus status quæstionis plurimum elucidatur. Ac in primis notanda est declaratio Suaresii, asserentis suam interpretationem, nedum fuerit improbata a Clemente VIII et Paulo V, contra ab his pontificibus summis vivo vocis oraculo fuisse approbatam. Verba Suaresii infra describam. Quia autem Suaresius hic provocat ad sententiam Pauli V, qui mense Majo anni 1605 sedem apostolicam conscendit, liquet tertium opusculum non nisi ad finem hujus anni vel postea, et quidem ultimo loco, post duo alia opuscula fuisse concinnatum.

IX Editis his opusculis æmulos non sedavit Suaresius : nam eodem anno 1605 prodiit nova declaratio Sancti Officii, quam P. Choquet ord. Præd. in sua dissertatione *De Confessione per litteras seu internuncium* (cap. 5, pag. 36. Duaci 1625) his verbis refert : « Die 14 Julii 1605, proposita causa P. Francisci Suarez jesuitæ, et consideratis his, quæ scripsit tomo IV in III partem S. Thomæ, sect. 4, disp. XXI, interpretando decretum felicis recordationis Clementis VIII, factum die 20 Junii 1602, quo damnavit hanc propositionem, videlicet : *Licere per litteras seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere;* ac etiam mature discussis his, quæ idem Pater Suarez adduxit in defensionem suæ interpretationis;

auditis votis Ill. Dominorum, Sanctissimus decrevit *dictam interpretationem ad supradictum decretum non subsistere* et ideo amovendam esse ab ejus libris, juxta decreta alias facta a f. r. Clemente VIII, de quibus in actis sancti Officii. » Præterea paulo post eadem congregatio censuit ut sequitur : « Sanctissimus decrevit ex tomo IV Patris Suarez jesuitæ, in III part. S. Thomæ, disp. XXI, de confessione, sectionem quartam, cui titulus est : *Utrum de necessitate confessionis sit ut pœnitens sacerdoti præsenti immediate et per seipsum revelet peccata sua?* totam esse amovendam, nec aliam ejus loco subrogandam. » De his decretis ita triumpharunt theologi nonnulli ordinis Prædicatorum, ac si præter veritatem et doctrinam sanam aliquid sibi commodum in hac controversia prosequerentur; unde contigit ut Suaresius advocatos et patronos plurimos haberet, qui doctrinam ejus, non obstantibus his decretis, strenue defenderent; et quidem cum hujusmodi successu ut eventus pro eorum opinione stet. Nam plerique recentes theologi, ni fallor, adhærent opinioni his decretis damnatæ, et a theologis ordinis Prædicatorum illa ætate cum æstu impugnatæ; quam Suaresius ut veram, tutam et in praxi sequendam proposuit. Eam aperte tuentur card. De Lugo, P. Theophilus Raynaud, P. Ægidius de Coninck, P. Viva in Commentario in theses confixas, tom. I, p. 581, Patavii 1727, S. Alphonsus de Liguori, lib. v, n. 489 et seq., et alii. Quin etiam P. Suarez in tertio opusculo se auctoritate Clementis VIII et Pauli V expresse tuetur. Quum enim suam sententiam exposuisset, illico subjungit : « Atque ita intellexi ex ipsomet fere Clemente VIII, idemque audivi ex ore SS. Domini nostri Pauli V et plurium Illustrissimorum cardinalium; quod ideo commemoro, ne aliquis existimet per decretum Clementis esse aliqua ex parte derogatum probabilitati et pietati hujus communis sententiæ. » Ex quibus patet Paulum V, post edita decreta S. Congregationis Inquisitionis, de quibus gloriatur Choquetius, sententiam Suaresii approbasse. Auctor Anonymus S. J. qui tertium opusculum Suaresii commentario ornavit, asserit Petrum Lombardum, archiepiscopum Armacanum, qui, ni fallor, S. Inquisitioni illo tempore præfuit, in epistola 6 Junii anni 1624 declarasse quod Clemens VIII olim ipsi asseruit mentem suam non fuisse prohibere ne detur absolutio infirmo præsenti, cujus voluntas per testes manifestata est. Idem testatur P. Viva, loco citato, et P. De Lugo, disp. XVII, sect. 4, qui scribit, juxta Armacanum, *puniendum esse parochum, qui in simili eventu pœnitentem cunctaretur absolvere.* Sententia igitur, a P. Fr. Suaresio in tribus suis opuculis propugnata, certa, tuta et menti sedis apostolicæ consentanea est.

X Accidit tamen ut vindex quidam Societatis Jesu doctrinam ejus puram undique et illimem prædicaret, assereretque nullam propositionem a doctoribus Societatis propugnatam inter reprobatas a sede apostolica reperiri, una et altera *excepta;* nempe prior *de absolutione impensa præsenti, qui confessus in absentia per epistolam aut nuncium fuisset;* posterior *de gratiæ efficacia, ad voluntatem consentientem referenda.* Adversus inopportunam laudem reclamavit P. Theophilus Raynaudus, ut ipse testatur in *Syntagmate de libris propriis,* cap. 68 (t. 30, op. p. 68); et demonstrare aggressus est sententiam Societatis Jesu *de confessione epistolari* non esse damnatam, sed veram et legitimam. « Admodum inconsulte scripsit, ait, qui eam Suaris doctrinam inter reprobas collocavit, solam illam excipiens e tam multis usquequaque sanis atque probatis, quas ille cæli theologici Atlas immensæ voluminum struici immisit. Justa igitur fuit *Exceptio contra Exceptionem,* excipiendo adversus male remotam a serie sanarum sententiarum eam, quam Suarez propugnavit, de licita et valida ægri absolutione per sacerdotem præsentem, cui dum abesset facta

fuerat per litteras aut internuncium confessio. » Dissertationem suam ea de causa his verbis inscripsit : *Dissertatio pro F. Suare, de gratia ægro oppresso collata per absolutionem a sacerdote præsente impensam, prævia peccatorum expositione epistolari, Exceptio contra Exceptionem.* Statim ab initio, qua mente calamum, in hoc argumento tractando, exercuerit declarat. « Quanto jure, ait, hæc (a Suaresio) scripta sint placet excutere, ne per hujusmodi judicium juvenile, tanti viri existimatio apud imperitos deteratur, et nomen in scholis omnibus venerandum vel ex hoc uno capite obsolescat. Debeo hoc singulari Societatis Jesu ornamento; debeo meritis tanti viri erga ecclesiam, pontificio præconio non uno eximie celebratis; debeo fluentis doctrinæ, quibus scholas theologicas et philosophicas copiose irrigavit; debeo, ut de me ipso nominatim agam, fructui, quem ex pervolutioni scriptorum tanti viri per annos omnino multos a me perceptum diffiteri non possum; debeo moribus candidissimis ac demissioni cum sapientia certanti. » Oper. t. XX, p. 189. Porro hanc dissertationem primum edidit anno 1655 Lugduni in F. Suaresii tomo tertio *De gratia*, qui tunc etiam primum in publicam lucem emissus est, cessante scilicet prohibitione sedis apostolicæ, quæ post suppressas congregationes *De auxiliis* vetuerat ne quis argumentum hoc editis libris tractaret. Pater Raynaud, quantum ex dissertatione ejus conjicere licet, opuscula tria Suaresii de confessione epistolari non vidit; sed sententiam Eximii doctoris propugnavit, qualem legebat in IV tomo Commentariorum ejus in III partem sancti Thomæ. Quidquid sit, ea opuscula non edidit, sed dissertationem suam solitariam typis commisit, quæ inter opera ejus recusa anno 1669, tomo XX, pag. 188 et seq., et tomo IX operum Suaresii, editionis Venetæ, pag. 227, anno 1741, inserta est. Tribus opusculis a nobis nunc primum editis deinceps indivulse adhærebit, ac proinde in hoc volumen operum ineditorum Suaresii, ad calcem opusculi de confessione epostolari imprimenda erit.

XI Ex brevi descriptione totius controversiæ et analysi opusculorum Suaresii jam liquet, ni fallor, quanti momenti sit hæc doctissimi viri lucubratio; et quam feliciter hodie accedat cæteris ejus operibus. Quæstio universa de confessione epistolari hic ea luciditate et copia argumentorum tractatur, ut prorsus exhausta videatur. De authenticitate opusculorum, nemo sanus dubitabit. Manifestum est enim ea F. Suaresium habere auctorem. Ex nota codici præmissa constat eum anno 1752 fuisse descriptum ex codice collegii Societatis Jesu Braydensis, qui ipse ex codice autographo, in cubiculo P. Suaresii servato, fideliter fuerat descriptus. Præterea P. Sotwel bibliographus Societatis Jesu, Nicolaus Antonius, qui doctissimum de scriptoribus Hispaniæ commentarium edidit, testes prorsus idonei, opuscula hæc tamquam opus genuinum Fr. Suaresii memoriæ posterorum tradiderunt. Accedunt notæ intrinsecæ : identitas nempe doctrinæ, immo et argumentorum et verborum, quæ observatur in IV tomo commentariorum Suaresii in III partem Summæ sancti Thomæ et in his tribus opusculis. Quin immo F. Suarez in primo et tertio opusculo hunc IV tomum laudat veluti opus suum; et in tertio opusculo laudat primum ut a se compositum. Nulla ergo prorsus potest subesse dubitatio de authenticitate horum opusculorum. Quæ tanto auctore digna sunt, ac tanto argumento. His igitur jam fruere, pie lector, et qualemcumque laborem nostrum, in his opusculis edendis impensum, æqui bonique consule.

Brugis 12 Februarii 1858.

† J. B. Episc. Brug.

R. P. FRANCISCI SUAREZ

COMMENTARIUS IN DECRETUM S^MI D. N. CLEMENTIS VIII

CIRCA CONFESSIONEM ET ABSOLUTIONEM IN ABSENTIA DATAS, ET IN CAPITULUM *MULTIPLEX* DE POENITENTIA, DIST. 1, SUMPTUM EX S. LEONIS EPISTOLA 89, CUM CONCORDIA EORUMDEM CANONUM INTER SE.

PROOEMIUM.

Explicatio brevis Clementis paucis olim suscepta;

Quo tempore commentarios, et disputationes de Pœnitentia in 4° meo tomo super tertiam D. Thomæ partem in lucem Conimbricæ emittebam, eodem tempore pontificium decretum sanctissimi D. N. Clementis VIII promulgatum est, in quo sententia illa, quæ sacramentum pœnitentiæ in casu aliquo inter absentes confici posse asserèbat, reprobatur ac prohibetur. Et quoniam punctum illud in meis disputationibus fuse tractabam, prætermittere non potui quin et ipsius decreti mentionem facerem, et illud disputationibus meis insererem, totamque doctrinam meam juxta illius præscriptum accommodarem : quod pro captu meo summa fidelitate præstare tunc studui. Non potui tamen ob temporis angustias et ob rationes alias, quæ tunc mihi occurrerunt, totum id, quod et ad doctrinæ complementum, et ad illius gravissimi decreti exactam intelligentiam necessarium videbatur, exponere. Nunc vero oblata mihi divinitus occasione flectendi genua ad sanctissimos pedes ejusdem sanctissimi D. N. Clementis VIII, eique omnes lucubrationes meas humiliter offerendi, inter alia commoda magnam etiam opportunitatem nactus sum perfectam hujus decreti intelligentiam obtinendi, intelligendique juxta sanctissimi mentem, et omnia dubia, quæ tum hic Romæ, tum etiam in Hispania, et Gallia, et in aliis provinciis circa illud excitata fuerant, [ponendi]. Quam ob rem operæ pretium existimavi ea omnia in ejusdem sanctissimi præsentia, et de illius consensu ac benigna licentia ad communem utilitatem explicare. Quod in hoc brevi Commentario perfeci, et sanctissimo D. N. humiliter emendandum obtuli, ut sub illius gravissimo patrocinio per manus omnium securus posset percurrere.

occasio fusioris explicationis postea oblata.

Divisio operis.

Tres autem præcipuas partes tractatus hic continebit. In prima ea complectar omnia, quæ ad ipsius decreti intelligentiam per se spectant : et in fine illius difficultatem peculiarem proponam, quæ ex decisione generali hujus decreti, [collata] cum alia speciali S. Leonis, suboritur. Qua occasione decretum illud Leonis fuse in secunda parte hujus tractatus exponemus. Hoc enim necessarium est, ut in tertia parte veram utriusque decreti concordiam ac intelligentiam, et propositæ difficultatis resolutionem concludamus.

DECRETUM S^MI D. N. CLEMENTIS VIII

ROMÆ EDITUM DIE 20 JUNII ANNI 1602, AC PROMULGATUM DIE 13 JULII EJUSDEM ANNI.

IN GENERALI CONGREGATIONE SANCTÆ ROMANÆ ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS, HABITA IN PALATIO APOSTOLICO IN MONTE QUIRINALI CORAM SANCTISSIMO D. N. CLEMENTE DIVINA PROVIDENTIA PAPA VIII

PROPOSITA QUÆSTIONE:

Utrum liceat per litteras seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere;

Forma decreti pontificii.

Sanctissimus D. N. auditis votis patrum theologorum, et re cum illustrissimis et reverendissimis dominis cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus mature ac diligenter considerata; hanc propositionem, scilicet, licere *per litteras seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere*, ad minus uti falsam, temerariam, et scandalosam damnavit, ac prohibuit; præcepitque ne deinceps ista propositio publicis priva-

tisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur; neve umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputative tractaverit, (nisi forsan impugnando), vel ad praxim directe, seu indirecte deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, et a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, etiam sanctissimæ Romanæ ecclesiæ majori pœnitentiario, nisi a pro tempore existente Romano pontifice absolvi; aliis etiam pœnis arbitrio infligendis subjaceat.

CAPUT I.

Quo sensu dicatur illicitum factum in hoc decreto prohibitum.

An sit tantum illicitum, vel etiam nullum confiteri et absolvi in absentia.

1 Quoniam primus terminus propositionis hic damnatæ est ille : *illicitum est*, ideo ab illius expositione incohandum videtur : nam ex illius vocis intelligentia multa alia pendent. Cum autem damnetur propositio affirmans esse licitum confiteri sacerdoti absenti, et ab eodem absente absolutionem obtinere, clarum est definiri hoc esse illicitum, et ut tale prohiberi. Sed quia *multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent*, ideo statim oritur dubitatio, quale sit quod hic prohibetur, an ex his, quæ valida sunt, licet illicite fiant, vel non solum sit prohibitum, sed etiam omnino nullum tale sacramentum.

Cap. ad Apostolicam, de Regularibus.

Quod sit tantum illicitum probatur 1;

2 Ratio dubitandi esse potest, quia materia hujus decreti est stricti juris; nam est aliquo modo odiosa : tum quia continet gravissimam limitationem et prohibitionem circa usum cujusdam sacramenti maxime necessarii ad salutem; tum etiam quia damnat quamdam propositionem, de qua fuerat antea inter catholicos non parva dubitatio; tum denique propter gravissimam censuram, quam adjungit. Igitur verba hujus decreti restringenda sunt potius, quam extendenda. At lex declarans factum aliquod esse illicitum, non eo ipso declarat esse irritum; immo contraria regula per se loquendo generalis est, et communiter a theologis recepta : nimirum si lex tantum prohibeat, et non addat verbum aliquod irritans, redolere actum illicitum, non tamen nullum; nisi aliunde constet de mente legislatoris. Ergo ita est hoc decretum intelligendum, quia non continet aliquod verbum irritans, et aliunde materia postulat restrictionem potius, quam extensionem.

probatur 2.

3 Accedit quod si tale sacramentum esset nullum post hoc decretum, etiam omnes confessiones, antea factæ inter pœnitentem et confessorem absentes, essent irritæ et nullæ : nam quoad hoc est eadem ratio omnium temporum. Consequens videtur durissimum : nam potest parere magnam confusionem et scrupulos infinitos, si omnes illæ confessiones iterandæ sunt.

Vera assertio

4 Nihilominus dicendum est sacramentum pœnitentiæ factum eo modo, quo in hoc decreto declaratur esse illicitum, etiam esse nullum. Ita decretum hoc in dicto 4° tomo de pœnitentia summa brevitate exposui. Et quamvis mea illa expositio nonnullis viris doctis in Hispania, et præsertim in Salmanticensi academia, rigorosa visa fuerit; nihilominus in ea persistendum censui, quam etiam pluribus probari videbam. Postea vero intellexi eamdem dubitationem Parisiis subortam fuisse, et gravissimam facultatem Sorbonicam summum pontificem de hac re consuluisse, et Romæ mature tractatam ac discussam esse, tandemque resolutum fuisse, tale sacramentum nullum esse, et ita esse in illo decreto interpretandum verbum *non licere*.

Ejus prior probatio.

5 Duplex ratio hujus assertionis reddi potest, altera fundata in materia hujus decreti, altera fundata in verbis ejus. Prior ratio est, quia talis administratio hujus sacramenti non est illicita, quia prohibita per hoc decretum; sed potius est denuo prohibita, quia per se illicita et mala : ergo quod sit illicita in hoc fundatur, quod talis modus administrationis hujus sacramenti est contra institutionem et essentiam ejus : ergo per declarationem talis illiciti, virtute declaratur vel supponitur illud etiam esse irritum, immo ideo esse illicitum, quia nullum. Antecedens supponitur nunc; nam infra cap. 3 probabitur hoc decretum non esse tantum prohibitivum, sed præcipue ac principaliter esse declarativum. Prima vero illatio est per se evidens; quia ante hoc decretum nullum aliud invenitur ecclesiasticum jus prohibens hoc factum : ergo si ante hoc decretum erat illicitum, erat ex vi juris divini. At nullum erat jus divinum positivum distinctum ab

ipsa institutione, prohibens separatim (ut sic dicam) talem usum hujus sacramenti : ergo est prohibitio orta intrinsece ex ipsa institutione; quia nimirum in ipsa institutione continetur, ut tale sacramentum in præsentia, et non in absentia conficiatur; alioquin intelligi non potest unde hoc sit illicitum ex vi juris divini. Atque ita facile demonstratur secunda illatio; quia conditio sacramenti necessaria ex vi institutionis est essentialis, ac proinde omissio ejus est contra valorem sacramenti.

Objectio : 6 Dicet aliquis interdum conditionem aliquam esse jure divino præceptam in administratione sacramenti, et nihilominus non esse ita essentialem vel necessariam, ut ex omissione illius reddatur sacramentum nullum. Quod in hoc eodem sacramento videre licet : ut enim recte fiat, necessarium est jure divino, ut non detur absolutio nisi homini attrito; et tamen si aliter fiat, non est sacramentum nullum, licet peccaminose fiat, juxta probabilem opinionem multorum theologorum, asserentium esse in eo casu absolutionem validam, sed informem. Et præterea confiteri integre est de necessitate hujus sacramenti ex vi institutionis ejus; et tamen illius conditionis omissio non semper est contra validitatem sacramenti, etiamsi interdum cum peccato omittatur ex supina negligentia juxta multorum opinionem. Ergo etiam in præsenti materia, quamvis jure divino sit prohibitum celebrare hoc sacramentale judicium inter absentes, non inde necessario sequitur sacramentum sic celebratum esse invalidum.

aliquorum responsio : 7 Ad hanc difficultatem responderi posset, in aliis quidem sacramentis facile separari *illicitum* ab *invalido :* nam accidere potest, ut culpa committatur in omissione alicujus conditionis, quæ non sit de substantia sacramenti, ut est in missa celebrare in gratia, vel jejunum, et similiter in aliis; at vero in sacramento pœnitentiæ numquam separari *illicitum* ab *invalido:* quia eo ipso quod aliquis non confitetur digne, non confitetur formaliter integre, nec cum dolore necessario ad valorem sacramenti; et ideo in hoc decreto ratione materiæ verbum *non licere* æquivalere vel includere *non valere.*

rejicitur primo, 8 Sed hæc ratio satisfacere non potest. Primo quia esto hæc doctrina admittatur in sacramento pœnitentiæ, tamen et incerta est ac sub opinione, ideoque non videtur sufficiens ad fundandam in illa certam decreti interpretationem. Secundo, quia illa eadem doctrina est vera ex parte pœnitentis, non vero ex parte ministri; ut constat clare ex ratione, in qua fundatur, scilicet, quando quis in ipsa confessione mortaliter peccat (de hujusmodi enim illicito loquimur), vel non confitetur integre, quia illud peccatum omittit, vel, si illud etiam dicit, non habet verum dolorem cum proposito non peccandi de cætero, qui dolor est de materia essentiali hujus sacramenti : quomodo enim vere dolet de peccatis, aut habet propositum non peccandi de cætero, qui actu peccat? Hæc vero ratio non procedit ex parte ministri, nam licet ille peccet absolvendo, potest nihilominus totam formam essentialem applicare, ut per se notum est in malo ministro tolerato, indigne ministrante absolutionem sacramentalem. Et talis absolutio potest etiam ex parte pœnitentis supponere totam essentialem materiam, ut per se patet. Erit ergo tunc validum sacramentum, licet illicite ministretur. Ergo etiam in præsenti casu et decreto, quamvis minister illicite faciat absolvendo absentem poterit esse valida absolutio, dummodo ex parte pœnitentis applicata sit materia sufficiens. Unde accedit alia ratio : quia, etiamsi, quod illicite omittitur vel committitur ex parte pœnitentis in receptione hujus sacramenti, redundet in ejus nullitatem, quando pœnitens non excusatur ab actuali culpa gravi; nihilominus si bona fides interveniat, seu ignorantia invincibilis, quæ a culpa excuset, sacramentum erit validum : quia tunc defectus ille, qui est quasi materialis tantum, non impedit quominus confessio sit formaliter integra et cum sufficiente dolore. Ergo si in præsenti casu et decreto nullitas tantum proveniret ex illo capite, jam confessio facta in absentia ex probabili ignorantia vel opinione quod id liceat, et non sit prohibitum, erit valida : atque ita per se et formaliter non est verum confessionem in absentia factam esse nullam.

rejicitur secundo,

rejicitur tertio;

progreditur probatio num. 2 proposita; 9 Dico nihilominus, ex materia hujus decreti, et ex eo quod celebrare hoc sacramentum inter absentes est per se malum divino jure et ex vi institutionis, optime colligi sacramentum, sic celebratum, per se etiam ac semper esse nullum. Hoc declaro ex principio communiter recepto in mate-

ria de legibus, actum illicitum, ex eo capite quod est factus contra præscriptam formam, invalidum esse, ex glossa communiter ibi recepta in cap. *Nulli* de rebus eccles. non alien. verb. *Irritum*. Sumiturque ex cap. ult. de restit. spoliat.; ex cap. *Cum dilecta* de rescriptis, ubi *formam mandati excedentes* etc. et cap. *Venerabilem* de offic. deleg. ibi. *Quæ contra mandati nostri tenorem*. Ratio est, quia forma dat esse rei; et ideo, si forma non applicatur, res non fit: est enim sermo de essentiali forma: at vero in præsenti hoc factum ideo declaratur illicitum, quia in eo non potest servari debita forma in hoc sacramento instituta: ergo consequenter declaratur esse nullum. Minor probabitur late cap. 4. Nunc breviter illam ostendo supponendo prius hoc esse illicitum, tam ex parte ministri, quam ex parte pœnitentis. Cum enim decretum tradat et doceat non esse licitum confiteri absenti et ab eodem absente absolutionem obtinere, plane docet nec sacerdoti esse licitum absolvere absentem, nec pœnitenti confiteri absenti confessario, ut ab illo absolvatur. Interrogo ergo in primis ex parte sacerdotis, cur illi non liceat ex vi institutionis ac divini juris absolvere pœnitentem absentem, si alias habeat sufficientem notitiam peccatorum ejus, per ipsius confessionem, de qua illi probabili fide constat, quæ in judiciis humanis sufficiens esse solet. Profecto necessarium est contrariam obligationem (scilicet non absolvendi nisi pœnitentem præsentem) fundari in ipsamet institutione speciali talis sacramenti, atque adeo in aliqua conditione essentiali formæ ejus; alioqui non poterit habere solidum fundamentum.

confirmatur. 10 Confirmatur hoc ac declaratur: quia si attendamus generalem rationem judicii et humanæ sententiæ, potest et licite et valide ferri in absentem, ut constat de absolutione a censura, et aliis: sed hoc sacramentum est judicium quoddam, sacratius quidem quam cætera, tamen humanum, id est per homines, et humano modo perficiendum: ergo quantum est ex illa generali ratione judicii humani, posset etiam sacerdos in hoc judicio licite ferre sententiam suam circa personam absentem, nisi ex institutione ipsa specialior obligatio colligatur non absolvendi nisi præsentem. At hoc non est expresse et distincte traditum aut præceptum in ipsa institutione hujus sacramenti, ut constat Joan. 20; ubi solum dictum est: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*, nulla facta mentione præsentiæ vel absentiæ. Ergo oportet ut hæc obligatio fundetur in actione ipsius ministri, quæ non est alia quam absolutio ipsa; ita ut quatenus sacramentalis necessario requirat præsentiam personæ absolvendæ, alias nulla potest ratio talis obligationis reddi: ex hoc autem principio ac fundamento plane sequitur omissionem illius conditionis esse contra valorem sacramenti, ut dictum est.

Evasio: 11 Dicet aliquis, ex aliis rationibus et obligationibus ex natura rei necessariis ad prudentem et justam judicii et sententiæ administrationem, sufficienter colligi ex vi institutionis hujus sacramentalis judicii teneri sacerdotem non absolvere pœnitentem nisi præsentem illum habeat; ac subinde illicitum esse absolvere absentem; et nihilominus ex transgressione hujus obligationis non recte inferri sententiam latam esse nullam. Assumptum patet; quia in quolibet judicio tenetur judex ex natura rei ad examinandam sufficienter causam, et reum, ac testes, prius quam sententiam proferat: ergo eadem obligatio oritur hic ex institutione hujus judicii. Talis autem obligatio non potest sufficienter impleri a sacerdote, nisi habeat præsentem pœnitentem, nam ille et est accusator, et reus, et testis, quem examinare debet judex; et in absentia facere satis non potest: præsertim cum hoc judicium sit de re valde spirituali et interna, cumque ad absolutionem digne præstandam debeat in pœnitente supponi interna dispositio et contritio, cujus virtus seu effectus duret usque ad momentum, in quo absolutio profertur; quod profecto de persona absente constare non potest: immo nec de vita ejus, cum tamen absolvi non possit nisi quamdiu in hac vita mortali vivit. Ergo hæc ratio sufficit ad prædictam obligationem, et ut contrarium sit illicitum ex vi juris divini, supposita institutione talis judicii: nam illud præceptum est suo modo de jure naturali, tali judicio supposito. Hæc autem obligatio sic explicata non satis est, ut transgressio illius reddat actum nullum, etiamsi reddat illicitum, ut in aliis judiciis manifestum est. Non enim omnis imprudentia vel injustitia, quam committit judex in ferenda sententia red-

dit illam nullam : ergo idem erit in præsenti quoad peccatum, quod committitur absolvendo absentem : erit enim contra prudentiam vel religionem, non tamen reddet actum nullum.

quousque dicta evasio valeat.

12 Respondeo in primis recte probari hoc discursu per se loquendo (et ex natura rei, supposita institutione) esse necessarium, et ipsi rationi naturali consentaneum, ut hoc sacramentale judicium inter pœnitentem et confessorem in præsentia celebretur. Quamquam enim ex generali ratione judicii hæc conditio præsentiæ necessaria non sit, etiam ad honestatem et justitiam actionis, ut objectio supra facta probat; at ex gravitate causæ, quæ in tali judicio tractanda est, potest talis conditio esse necessaria in hoc judicio, quatenus tale est. Nam etiam in externis et forensibus causis contingit aliquando, ut necessaria sit ocularis intuitio judicis, et examen in præsentia ipsius factum, ut judicari juste et prudenter possint. Eo vel maxime quod sacramentum hoc non tantum judicium est, sed etiam medicina, tum curativa præcedentium morborum, tum præservativa futurorum. Ad applicandam autem utiliter hanc medicinam necessaria valde est præsentia medici, ut possit circumstantias omnes expendere et considerare, sine quarum cognitione facile potest in applicatione hujus medicinæ allucinari; præsertim cum ægritudo spiritualis sit et interna, quam vix possit penetrare minister præsens, suisque interrogationibus ægrotum examinans, nedum per solam abstractivam notitiam in absentia comparatam.

13 Addo vero solas illas rationes per se, ac nude sumptas, non ostendere esse tam arctam et rigorosam hanc obligationem, ut in nullo casu liceat tale judicium inter absentes transigere, aut talem medicinam ægroto absenti applicare. Quin naturalis ratio dictat quidem, ut judex causam gravissimam in præsentia sua examinet, si potest : at si non possit, non videtur nuda ratio naturalis dictare, ut potius causam indiscussam et injudicatam relinquat, quam de illa in absentia judicium proferat. Ratio etiam naturalis, quæ obligat medicum, ut prius quam medicinam applicet, præsertim in morbis occultissimis et periculosissimis, in præsentia infirmi notitiam morbi, et complexionis, ac dispositionis ejus comparare procuret; hæc (inquam) ratio non obligat medicum, ut in nullo casu, etiam urgentis et accelerati periculi rationem curandi non mutet, nec applicet medicinam absenti, si alio modo non potest. Unde quando obligatio major non est, neque ex principiis internis atque essentialibus orta, licet transgressio ejus per se ac regulariter sit illicita; tamen in aliquo casu omissio illius conditionis potest esse licita : et consequenter actus erit validus sine tali conditione factus.

Posterior probatio assertionis num. 4 positæ;

14 Si ergo decretum hoc, declarans talem actum inter absentes transactum esse illicitum, solum fundaretur in hujusmodi rationibus cum proportione applicatis, non posset hoc factum simpliciter damnare, ut semper illicitum, sed ad summum regulariter et ordinarie, ut bene probat objectio facta, et exemplum de integritate materiali confessionis, quæ est per se necessaria, non tamen semper. At per hoc decretum plus declaratur, ut constat ex verbis decreti : *Neque umquam tamquam in aliquo casu probabilis defendatur;* quæ ita esse intelligenda cap. seq. ostendam. Ergo necesse est ut non fundetur in sola illa ratione naturali, ad hoc sacramentum applicata post institutionem ejus, sed ut fundetur in speciali institutione: ita ut ex particulari ritu, a Christo præscripto in hoc judicio, oriatur talis ac tanta necessitas illius conditionis præsentiæ, ut sit simpliciter et in omni casu necessaria ad honestatem actus, et ut licite fiat. Hoc autem posito, concluditur et urgetur ratio superius facta. Quia conditio sacramenti tam necessaria ad debitum modum ministrandi illud, ut in nullo casu et propter nullam necessitatem possit licite prætermitti, plane essentialis est seu intrinsece fundata in ritu essentiali, qui servari non possit, prætermissa illa conditione. Ergo ita erit in præsenti ex dicta hypothesi : ergo omissio illius conditionis non solum reddet actum illicitum, sed etiam nullum. Consequentiæ per se sunt evidentes. Antecedens autem etiam est clarum. Nam supponimus illam conditionem non esse generalem, qualis est illa de sanctitate ministrantis vel recipientis sacramentum; quæ est valde extrinseca, et pertinens solum ad circumstantiam accidentariam personæ, et ideo de substantia et valore actus non est. Item supponimus illam necessitatem non esse ortam ex aliquo præcepto

peculiari adjuncto institutioni, quia (ut dixi) nullum est tale præceptum divinum, nec scriptum, nec traditum. Unde recte concludimus fundandam esse in speciali ritu talis sacramenti, ac proinde omissionem ejus reddere actum non solum illicitum, sed etiam nullum. Quomodo autem in ritu hujus sacramenti fundanda sit hæc necessitas mox videbimus.

ratio specialis accedit:

15 Tandem possumus addere rationem specialem, propter quam in hoc sacramento conditio specialis tam necessaria ad licitum usum ejus, ut in nullo casu possit licite omitti, necessaria etiam est ad valorem sacramenti: tanta enim est necessitas præsentiæ ad licite absolvendum, et consequenter eadem est ad valide absolvendum; ac proinde quoties actus est illicitus propter absentiam, est etiam nullus. Ratio autem specialis est, quia sacramentum hoc est medium per se necessarium ad salutem fidelium, qui in statu peccati mortalis inveniuntur: et ideo in extrema necessitate nulla alia conditio requiritur ad licitam administrationem ejus, nisi quæ ad valorem sacramenti et effectum ejus necessaria est: reliquæ enim omnes, si adhiberi non possint, licite prætermittuntur. Et hac ratione in extrema necessitate omitti potest integritas materialis, si adhiberi non possit. Item potest omitti conditio proprii sacerdotis, si non adsit, vel ministri tolerati, si alius haberi non possit: et sic de aliis. Tunc enim habet locum illud axioma: *Necessitas caret lege*. Ergo e converso, quando conditio est adeo necessaria, ut neque in extrema necessitate licite prætermittatur, signum est esse fundatam in intrinseco et essentiali ritu sacramenti, qui absque illa servari non potest, ac proinde esse necessarium non solum ad honestatem, sed etiam ad valorem sacramenti; quæ erat propositio assumpta. Atque ita constat, quomodo in præsenti decreto sub illicito comprehendatur nullum.

non solum ex parte ministri, sed etiam ex parte pœnitentis verum est, quod fit illicite, fieri nulliter in quodam sensu.

16 Explicuimus autem hoc fundamentum ex parte ministri, quia credimus (quod infra ostendemus) hanc necessitatem præsentiæ maxime fundari in ritu formæ, quæ forma est actus ministri. Verumtamen cum proportione potest ratio applicari ad pœnitentem, quatenus illi etiam illicitum est ac prohibitum confiteri sacerdoti absenti. Hæc enim confessio in tantum illi prohibita est cum illo rigore, ut in nullo casu liceat, in quantum ordinatur ad conficiendum totum sacramentum inter absentes: talis enim confessio sicut semper illicita est, ita numquam potest esse sufficiens ad validum sacramentum constituendum, nisi reformetur, seu iteretur in præsentia. Et hoc facile probari potest applicando eumdem discursum factum. An vero confessio facta sacerdoti absenti, non ut in absentia conficiat sacramentum, sed ut veniens ad præsentiam vel illum absolvat, an (inquam) talis confessio sit cum illo rigore prohibita et mala, ut in nullo casu liceat, infra videbimus. Et inde consequenter constabit, an talis confessio sit etiam nulla. Nunc enim solum agere intendimus de confessione in absentia, prout fit tamquam pars totius sacramenti, inter absentes conficiendi: et sic eadem est ratio de illa quoad esse illicitam, et nullam quæ est de absolutione. Tandem hæc expositio valde confirmari potest ex materia subjecta et ex controversia, quæ in illa tractabatur, et per hoc decretum dirempta est. Numquam enim doctores in eo distinxerunt inter *validum* et *licitum*, vel inter *illicitum* et *nullum*: sed qui affirmabant esse illicitum, in eo fundabantur, quod est nullum et contra substantiam sacramenti: e converso vero, qui dicebant licere, fundabantur, quia putabant esse validum, et in necessitate id, quod est validum, licite etiam fieri in hac materia. Ergo sine dubio dicendum est pontificem in suo decreto in eodem sensu fuisse loquutum.

Ad rationem dubitandi num. 2 adductam.

17 Ad rationem ergo dubitandi, in principio positam, concedimus decretum hoc esse stricti juris, ac proinde verba ejus non esse extendenda, sed restringenda potius. Hæc tamen restrictio juxta principia juris semper intelligenda est, considerata materia legis, et servata proprietate omnium verborum ejus. Nam si extensio unius vocis necessaria est, ne aliud verbum legis errorem aut absurdum sensum contineat, tunc extensio admittenda est in lege, quantumvis odiosa: quia illa revera non est extensio, sed evidens necessitas. Ita vero contingit in hoc decreto quoad verbum non *licet*, maxime propter aliam ampliationem *in nullo casu*. Nam hæc ostendit illud esse illicitum, quia est contra substantiam sacramenti.

Ad alteram probationem in num. 3.

18 Ad confirmationem respondemus, admittendo illationem ibi factam; videlicet

omnia sacramenta pœnitentiæ inter absentes hactenus celebrata fuisse nulla, et nullius effectus vel momenti : ac proinde omnes confessiones sic factas esse iterandas, quia cum absolutio fuerit nulla, peccata illa semper manent obnoxia, ut clavibus ecclesiæ subjiciantur. Hæc enim omnia necessario consequuntur ex dicto principio, ut cap. 3 evidentius patebit. Neque hoc reputandum est inconveniens, quia multa per ignorantiam fiunt, quæ, veritate patefacta, iteranda sunt. Quamdiu autem probabilis ignorantia duraverit, illa excusabit, ut sine iteratione confessionis peccata illa dimittantur per contritionem cum desiderio confessionis, quod includit, vel per aliam confessionem recte factam, per quam consequutione quadam seu per accidens peccata oblita remittuntur.

CAPUT II.

An confessio et absolutio in absentia, per hoc decretum damnatæ, ita sint illicitæ ut in nullo casu, etiam extremæ necessitatis, liceant.

An in casu aliquo sit probanda confessio et absolutio in absentia.

1 Duo præcipua fundamenta in superiore cap. supposuimus, ex quibus maxime pendet hujus decreti totiusque materiæ hujus intelligentia ac resolutio, quæ propterea diligenter tractanda et examinanda sunt. Unum est id, quod per hoc decretum declaratur illicitum, in nullo casu esse licitum. Aliud est decretum hoc non tantum esse prohibens aliquid de novo, sed præcipue esse declarativum divini juris, nec solum ad usum moralem, sed præcipue ad veritatem doctrinæ tradendam pertinere. De priori dicemus in hoc capite, de posteriori in sequenti.

Ratio pro parte affirmante.

2 Ratio igitur dubitandi in quæstione proposita ex ipsis verbis decreti sumi potest. Nam si quid est, quod possit nos cogere ad eum rigorem amplectendum, solum est illud decreti verbum : *Neque in aliquo casu* etc.; at illud non cogit, ergo neque id est credendum nec asserendum. Consequentia hæc nititur in illis generalibus principiis, quod favores ampliandi sunt, rigores restringendi : hæc enim declaratio ad rigorem pertinet, ut supra dictum est, et per se satis constat. Major item propositio argumenti facile persuadetur, quia multa alia sunt, quæ in hoc sacramento non licent per se, et in necessitate licent; ut confiteri excommunicato denunciato, dimidiam tantum confessionem facere, et similia. Immo sæpe hæc talia sunt, ut si absque necessitate voluntarie omittantur, actus non solum sit illicitus, sed etiam nullus; ob necessitatem vero omissa nihil obstent veritati sacramenti, nec honestati. Cur ergo non possit idem dici de necessitate præsentiæ, si verba hujus decreti non obstant? nam, illis reclusis, nullum est aliud positivum jus talem inducens prohibitionem : nec apparet certum principium, ex quo sufficienti illatione inferri possit.

Rationis minor propositio suadetur.

3 Probatur ergo minor, quia sub generali concessione aut prohibitione non comprehenditur casus specialis; ut est frequens in jure; sed verba illa : *Neque in aliquo casu* generalia sunt, ut ex tenore eorum constat : casus autem extremæ necessitatis valde singularis est, et pluribus privilegiis gaudet, maxime pro his remediis, a quibus æterna vita vel mors moraliter pendet; inter quæ primarium tenet locum hoc sacramentum respectu fidelium, indigentium alicujus peccati mortalis remissione. Nam licet ad illam obtinendam sufficere possit interna contritio cum solo voto confessionis; tamen est res difficillima magnoque periculo exposita; et ideo ipsummet sacramentum, reipsa applicatum, censetur moraliter necessarium ad salutem hujusmodi hominibus. Et ob hanc causam dicuntur in jure rei animarum illi confessores, qui hoc sacramentum extreme indigentibus negant, quando illud conferre possunt. Item ob eamdem rationem ecclesia non consuevit casus aliquos pro illo necessitatis articulo reservare, nec jurisdictionem alicui sacerdoti pro tali necessitate denegare, ut habemus ex concilio Trid. sess. 14, cap. 7. Ergo pari ratione, quod hic generatim dicitur : *Neque in aliquo casu*, pati potest exceptionem aliquam, præsertim pro extrema necessitate.

Confirmatur.

4 Confirmatur, quia hic casus est valde moralis et practicus. Quod in parvo oppido jaceat pœnitens morti vicinus, et eodem tempore infirmetur etiam parochus, nec possit e lecto surgere; unde nisi inter eos absentes transigatur hoc sacramentale judicium, ille pœnitens sine hoc remedio decedet : est ergo illa extrema necessitas. Similem dicuntur pati necessitatem non

raro fideles, qui, in carcerem propter fidem detrusi, non possunt ad sacerdotes accedere, nec illos ad se vocare. Et in his temporum angustiis solent ad mortem damnari, vel in morbum lethalem incidere. Ferunt ergo esse consuetudinem inter pios viros, immo ex sola pietate profectam, ut hujusmodi fideles mittant ad sacerdotes absentes confessionem aliquam, vel integram, vel pro illo articulo sufficientem, per epistolam, vel nuncium, ut a sacerdotibus absentibus absolvantur. Cur ergo dicemus damnatam esse per hoc decretum hujusmodi consuetudinem, cum intelligi possit ab ejus generali regula excepta? quandoquidem et saluti animarum videtur favorabilis, et in re dubia ad tutiorem partem inclinandum est. Non ergo videtur pontifex specialiter prohibuisse quasi nova lege positiva illam consuetudinem : nec etiam per se videbatur mala, quia poterat prodesse, si fortasse vera erat sententia, in qua nitebatur : et obesse non poterat, etiamsi illa sententia esset falsa; quia, concepta conditione absolvendi, *si possum*, nulla fit injuria sacramento, et nullum periculum alterius nocumenti timeri potest.

Augetur difficultas, quod confessio in absentia aliquando liceat, ergo et absolutio.

5 Tandem augetur difficultas, quia confessio in absentia est licita in aliquo casu extremæ necessitatis, ergo etiam absolutio; quia decretum eodem tenore loquitur de utraque, ergo tota decisio patitur exceptionem pro aliquo casu necessitatis. Primum antecedens positum est propter ordinarium casum de ægroto, qui dum repente prævenitur extremo mortis periculo, confessarium, quem præsentem non habet, vocari jubet, absolutionis desiderium, cum signis pœnitentiæ, vel etiam cum manifestatione aliqua suorum peccatorum ostendens, et prius quam sacerdos adveniat, loquelam, sensum et usum rationis amittit. Nam hujusmodi æger in præsentia sacerdotis confessus non est, et nihilominus adveniens sacerdos, et a circumstantibus de illius dispositione, ac petitione, seu confessione testimonium habens, illum licite et valide absolvit; ergo jam in eo casu confessio in absentia licita est et valida.

Pars negans omnino vera.

6 Nihilominus dicendum est decisionem hujus decreti ita intelligendam et observandam in praxi esse, ut omnino in nullo casu etiam extremæ necessitatis exceptionem admittat. Hanc intellexi semper fuisse mentem pontificis summi; de qua in ipsius præsentia, et ex omnibus, quæ de hoc puncto cum gravissimis cardinalibus in urbe contuli, certior effectus sum. Moveor in primis ex tenore illorum verborum : *Præcepitque ne umquam ista propositio, tamquam in aliquo casu probabilis, defendatur, imprimatur, aut quovis modo ad praxim applicetur*. Hæc enim verba generalia dici non possunt, sed valde specifica, quantum materia patitur, quantumque gravitas legislatoris et ordinarius modus loquendi patitur. Si enim voluisset pontifex omnem omnino exceptionem excludere, quibus aliis verbis id facere potuisset? Numquid cogendus esset dicere : *Ne in aliquo casu, etiam periculi mortis, necessitatis extremæ?* At hoc nimis violentum est, et præter omnem usum ac consuetudinem humanarum legum. Itaque cum summus pontifex præcipiat, ne quis doceat, vel imprimi faciat hoc esse in aliquo casu probabile; quis audebit dicere vel imprimere, in tali necessitate, quantumvis magna, id fieri posse? Profecto sine magna temeritate et audacia id non fieret. In quo etiam expendo non sine causa dictum esse, ne contrarium doceatur *tamquam probabile in aliquo casu :* sed ad tollendam omnem speciem justificationis vel excusationis in tali facto. Unde etiam addita est illa particula distributiva, *aut quovis modo :* ut omnis præcluderetur occasio inveniendi modum, quo usus contrarius posset in aliquo eventu permitti, sive [absolute] absolvendo, sive sub conditione : hoc enim indicatum est per illa verba, *quovis modo*.

Primum ejus motivum.

Secundum motivum,

7 Accedit præterea, quod ex materia ipsa, et ex occasione, qua factum est hoc decretum, constat in hoc sensu addita fuisse verba illa. Quod adeo verum censeo, ut, licet illa non essent addita, crederem ex vi solius declarationis absolutæ ita esse intelligendum decretum. Probatur ac declaratur assumptum : quia ante hoc decretum numquam fuit inter catholicos controversum, an ordinarie et absque necessitate posset pœnitentiæ sacramentum inter absentes confici; sed inter sapientes pro certo semper habitum est hoc per se et regulariter non esse licitum. Solum ergo de casu necessitatis, atque adeo de essentiali ritu sacramenti fuit controversia : quibusdam dicentibus non esse contra essentialem ritum hujus sacramenti absolvere pœnitentem absentem, ideoque saltem in extrema ne-

cessitate fieri posse, et consequenter etiam licere. Aliis vero dicentibus id esse contra essentialem ritum, ac proinde non posse licere etiam in extrema necessitate. Pontifex autem suo decreto voluit hanc controversiam dirimere, et posteriorem sententiam probavit : ergo licet nihil aliud addidisset, per solam substantialem decisionem, ut sic dicam, satis suam mentem explicasset; nedum addendo illa verba : *ne umquam in aliquo casu* etc.

tertium motivum;

8 Unde etiam sumitur optima ratio : quia alias inutile, ac nullius effectus vel momenti fuisset hoc decretum. Patet, quia si licet exceptionem admittere, revertitur controversia illa ad antiquum statum, semper enim tractata fuit de casu necessitatis.

evasio

Dicet fortasse aliquis, saltem ex hac decisione haberi opinionem illam, quæ dicebat tale sacramentum esse validum et licitum, non esse extendendam extra casum extremæ necessitatis. Nam de hoc etiam fuerat antea controversia. At hoc non satisfacit, tum quia revera controversia fuit semper sub titulo subveniendi animabus in extremo periculo; atque adeo solum agebatur de casu extremæ necessitatis : tum etiam quia eo ipso, quod aperitur janua ad faciendam exceptionem, vertitur in dubium, quid intelligendum sit per *extremam necessitatem*, et an quodlibet periculum mortis in illa comprehendatur; et hæc sola erat antiqua disceptatio. Tum denique ac maxime, quia alias evertitur fundamentum hujus decisionis, et imponitur papæ quædam virtualis contradictio. Nam si admitti potest exceptio pro casu extremæ necessitatis, optime concluditur non esse contra ritum essentialem hujus sacramenti illud celebrare inter absentes. At vero antiqua controversia tota erat de hoc fundamento, an hoc esset contra essentialem ritum, nec ne : ergo juxta illam interpretationem pontifex ita dirimeret illam controversiam, ut approbaret eam partem, quæ negabat hoc esse licitum, et tamen non approbaret, nec teneret fundamentum ejus. Hanc autem dicimus esse virtualem contradictionem, et per eam omnino enervari decretum, ac sine solido fundamento relinqui.

excluditur primo,

excluditur secundo,

excluditur tertio;

9 Tandem veritas etiam ipsius decreti periclitatur juxta illam interpretationem. Patet, nam in eo decreto hæc propositio, *licitum est sacerdoti absenti confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere*, ad

quartum motivum.

minus uti falsa simpliciter damnatur. At si in aliquo casu etiam extremæ necessitatis id licet, ea propositio non est simpliciter falsa, sed potius vera. Quia in illa propositione non dicitur, semper, aut passim, vel ubique id licere, nec explicatur quando, aut quomodo liceat, sed indefinite dicitur tantum licere. Ad veritatem autem indefinitæ locutionis sufficit, quod in uno casu vera sit. Posset ergo illa propositio fortasse judicari imprudens, aut temere prolata sine majori expositione; falsa vero minime. Ergo cum per hanc gravissimam decisionem, quæ cum summa verborum proprietate, et circumspectione facta est, simpliciter falsa dicitur in omni casu, et sine ulla exceptione falsa credenda est, et sine ulla probabilitate, ut in aliis verbis : *neve in aliquo casu*, aperte declaratur. Supererat autem nunc aperire fundamentum hujus tam absolutæ resolutionis, sed hoc melius in cap. 3 et 4 declarabitur.

Ad rationem dubitandi in num. 2 positam.

10 Ad rationem ergo dubitandi in principio positam facile est ex dictis respondere. Et in primis circa majorem propositionem in ea sumptam, duo breviter dicimus. Unum est ita esse favores ampliandos, ut tamen veritas sacramentorum retineatur : illum autem favorem repugnare veritati hujus sacramenti, ideoque decisionem hanc, quatenus declaret, quid in hac parte veritas sacramenti requirat, favorabilem censendam esset, tum propter debitum usum et reverentiam talis sacramenti, tum ne illa occasione et falsa spe fictæ absolutionis, minus conentur ad veram contritionem concipiendam omnes illi, qui in tali periculo inveniuntur. Aliud quod assero est integritatem v. g. materialem confessionis, et similes conditiones, in quibus admittitur exceptio pro casu extremæ necessitatis, licet per se necessariæ sint, non esse ita intrinsecas, seu intrinsece fundatas in proprio et specifico ritu essentiali hujus sacramenti, sicut est hæc conditio præsentiæ, quæ in hoc decreto omnino necessaria esse declaratur. Cur autem hoc ita sit ex discursu hujus tractatus constabit, præsertim ex cap. 3 et 4 sequentibus, et ex concordia hujus decreti cum decreto Leonis, quam trademus in ultima parte hujus tractatus.

Ad probationem Minoris in num. 3 allatam.

11 Circa alteram propositionem in eadem ratione subsumptam, duo iterum dicenda occurrunt. Primo generale illud axioma : *sub generali clausula non venire*

casus speciales, intelligi, nisi aliud constet ex mente legislatoris, quam ex materia legis, et aliis circumstantiis, et præcipue ex aliis verbis legis conjectare debemus. Ex omnibus autem his principiis in præsenti constat nullum esse casum adeo specialem, qui sub decisione hujus decreti non comprehendatur, ut declaratum est. Secundo dicitur verba illa : *neque in ullo casu* non tam habere vim generalis clausulæ, quam cujusdam ampliationis et extensionis declarationis jam factæ, ad omnes singulares casus, ut nullum excipere liceat. Itaque in præsenti decreto generalis clausula erat illa : *Sanctissimus D. N. hanc propositionem licere per litteras, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere damnavit ac prohibuit.*

Quia vero hæc reputari poterat generalis, et ea occasione poterat casus aliquis singularis excipi, ad hoc excludendum addita sunt illa verba : *neque in ullo casu.* Unde licet horum etiam verborum tenor generalis seu universalis sit, tamen supposita priori decisione, et aliis circumstantiis, quas consideravimus, satis constat, sub illis omnes singulares casus casus sine ulla exceptione comprehendi.

Roboratur responsio præcedens ex baptismo.

12 Nec refert quod hoc remedium sit per se valde necessarium saluti animarum; quia, ubi agitur de essentiali ritu sacramenti, nulla necessitas sufficit, vel (ut sic dicam) habet privilegium immutandi illum. Magis enim necessarius est baptismus ad salutem pro peccato originali, et aliis, quæ ante baptismum comittuntur, tollendis, quam sit sacramentum pœnitentiæ pro fidelibus lapsis post baptismum : nam pro adultis est proportionalis necessitas, et pro parvulis est baptismus magis necessarius, quia per votum et dispositionem parvuli suppleri non potest. Et nihilominus si baptismus applicari non potest vel adulto, vel etiam parvulo cum suo ritu essentiali, non habet locum privilegium, vel dispensatio ut aliter administretur : quid ergo mirum, quod idem de pœnitentia dicatur? Atque hinc sumitur optima ratio ad confirmandam hujus decreti decisionem. Nam baptismus, licet sacramentum magnæ necessitatis, nihilominus institutus est a Christo Domino cum tali ritu essentiali, qui omnino requirit præsentiam inter ministrum baptismi, et eum, qui baptizandus est : nec sine tali præsentia propter quamcumque necessitatem conferri umquam; potest ergo mirandum non est, quod sacramentum pœnitentiæ similem conditionem cum eadem universalitate, et sine ulla exceptione requirat. Auctor enim sacramentorum convenientius judicavit ritum sacramenti essentialem immutabilem constituere, quam uni, vel alteri casui etiam extremæ necessitatis consulere; præsertim quia apud ipsum, nullum hinc nascitur periculum, quod damnetur aliquis, qui ab eo prædestinatus sit : ipse enim sua efficaci ac suavi providentia curabit, ut ei possit sacramentum cum debito essentiali ritu ministrari, et conservabit illum in hac vita, donec vel sacramentum rite ministretur tali homini, vel ille perveniat ad grandiorem ætatem, in qua possit per contritionem cum sacramento in voto salvari. Si autem homo ex electis non sit, contingere quidem interdum poterit, ut ob impotentiam applicandi illi sacramentum cum tali ritu, id est a præsente sacerdote, damnetur. Sed hoc pertinet ad inscrutabilia Dei judicia, ut Augustinus alias dicit : in quibus interdum ostenditur rigor justitiæ, nulla vero intervenit injustitia.

Ad confir. in num. 4.

13 Et per hæc ad alteram confirmationem responsum est. Concedimus enim casus ibi numeratos esse extremæ necessitatis; sed nihilominus dicimus eam non sufficere, ut sacramentum sine hoc ritu, qui ad ejus essentiam pertinet, ministretur, ut dictum est. Quod autem ibi additur de consuetudine in contrarium, ita a nobis expeditur. Aut enim intelligitur de antiqua universali, ac Romæ cognita et probata ecclesiæ consuetudine, vel de nova aliqua consuetudine, quæ occulte, et quasi in angulo introduci incipiebat : in priori sensu negatur assumptum : imo inde nos sumimus argumentum efficax in contrarium, ex eo scilicet, quod ecclesia non consueverit ministrare sacramentum hoc, nisi per ministrum, qui præsentem habeat pœnitentem, ut in nostro quarto tomo latius prosequuti sumus. In secundo vero sensu, in primis nos nec certam notitiam, nec authenticam relationem illius consuetudinis habemus; deinde per unum, vel alium actum in secreto factum, absque scientia et patientia prælatorum ecclesiæ, consuetudo introduci non potest; tandem dato eo quod assumitur, nihil ex tali consuetudine inferri potest. Imo

fortasse hac ratione Deus providit, ut per hoc decretum usus ille impediretur, qui non tam consuetudinem, quam corruptelam sacramenti introducere potuisset.

Ad difficultatem additam in num. 5.

14 In ultima vero confirmatione tangitur specialis difficultas infra tractanda, an saltem ex parte confessionis admittendus sit casus, in quo possit confici hoc sacramentum cum confessione facta in absentia sacerdotis : quam hic expedire non possumus, quia multa prius explicare necesse est. Breviter ergo respondeo quod attinet ad hoc decretum, nullam omnino pati exceptionem, nec ex parte absolutionis; hoc enim optime probat illa ratio, supposita resolutione datur. Unde vel dicendum est nullum dari casum, in quo sacramentum hoc possit illo modo confici, vel confessionem illam non esse talem, qualem hoc decretum prohibet. Quid autem horum verius sit, in sequentibus dicemus.

CAPUT III.

Contineatne hoc decretum solam juris pontificii prohibitionem, vel etiam divini juris declarationem.

Continet decretum Pontificium novam prohibitionem.

1 Continere hoc decretum juris pontificii scripti expressam novamque prohibitionem, tam est manifestum, ut nemo id in dubium revocare possit. Nam ante hoc decretum nullus erat ecclesiasticus canon, qui expresse prohiberet docere, defendere, aut imprimere ut probabilem propositionem illam, *licere per litteras* etc., quod hic verbis disertis prohibetur. Item nulla erat lex scripta, qua expresse prohiberetur usus sacramenti pœnitentiæ inter absentes, quod tamen hic fit in verbis illis : *Aut quovis modo ad praxim deducatur;* quia doctrina illa, seu propositio non potest aliter ad praxim applicari, nisi intuitu illius, conficiendo hoc sacramentum inter absentes. Præterea nullibi lata erat censura contra quemlibet, qui propositionem illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea disputative tractaverit, nisi forsan impugnando, vel ad praxim directe, seu indirecte deduxerit. In hoc autem decreto excommunicatio latæ sententiæ papæ reservata fertur contra eum, qui aliquid horum commiserit. Quoad hæc ergo omnia non est dubium, quin hoc decretum contineat jus positivum ecclesiasticum, ac novum. Ac proinde certum est quoad hæc tria habere hoc decretum suum effectum, et inducere obligationem pro futuro tempore, a die promulgationis intellectæ juxta morem aliarum ecclesiasticarum legum, non vero extendi ad præteritum tempus juxta generalem regulam de legibus novum jus constituentibus.

Prohibet primo docere contrarium.

2 Ut ergo hanc partem, priusquam ab illa discedamus, explicatam relinquamus, tria colligimus de novo facta, ut minimum, per hoc decretum. Primum est prohibere doctrinam et ejus scholasticum usum (ut sic loquamur). Secundum est prohibere usum practicum et moralem, seu sacramentalem ejusdem doctrinæ. Tertium est utramque prohibitionem dictam pœna excommunicationis sancire. Circa primum animadverti potest, prius prohiberi doctrinam absolute ibi : *Hanc propositionem damnavit ac prohibuit;* deinde vero prohibitionem hanc veluti applicari ad determinatos actus, *docendi illam publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus,* et ad actum *docendi illam vel imprimendi etiam ut probabilem in aliquo casu.* Circa quam partem solum occurrit advertendum in hac specificatione seu declaratione hujus prohibitionis nihil dici de actu credendi, vel judicandi, seu sentiendi de tali doctrina eo modo, quo alia ecclesiastica decreta damnare solent credentes doctrinam aliquam. Cur autem hoc factum sit, et an moralis aliquis effectus inde colligi possit, in sequentibus dicam.

Quid sit prohibere propositionem contra decretum.

3 Interrogari autem potest, quid addat verbum illud, *prohibuit,* cum dicitur, *propositionem hanc damnavit ac prohibuit,* aut quid sit prohibere propositionem. Nam prohibitio solum potest cadere in actionem hominis liberam : propositio autem quæ damnatur, non est actus hominis, si proprie loquamur, sed est doctrina ipsa, quæ se habet ut objectum, seu materia circa quam actus hominis versari possunt : quomodo ergo propositio ipsa prohibetur et quid addit verbum *prohibuit* supra verbum *damnavit.* Respondeo fortasse verbum illud, Respondetur ut ibi positum est, non addere speciale jus, sed declarare id, quod intrinsece et ex natura rei sequitur ex verbo *damnavit.* Nam eo ipso, quod doctrina aliqua damnatur, prohibita manet quasi objective in ordine ad actus hominis, quo circa illam versari possunt. Unde ex vi illorum verbo-

rum prohibitum est non solum *docere*, aut *imprimere*, sed etiam *scribere*, aut *affirmare* quomodocumque illam propositionem esse veram. Quia affirmare ut verum id, quod constat esse falsum, per se malum est : ergo eo ipso, quod illa propositio damnatur ut falsa, prohibetur omnis ejus assertio, verbo, scripto, aut quovis alio modo. Maxime vero prohibetur hoc, si publice fiat, propter temeritatem et scandalum, de quibus etiam damnatur expresse eadem doctrina. Denique etiam interior credulitas et assensio prohibitæ manent, quia licet hi videantur esse actus interiores, quos ecclesia directe non prohibet, tamen quatenus hæc prohibitio juris naturalis est (ut dixi), supposita damnatione, optime potest etiam ad interiores actus extendi.

Objectio.

4 Dices, ergo sequentia verba coarctant potius, quam extendunt generalem prohibitionem prius factam, quod videtur absurdum. Sequela declaratur, nam statim additur hoc præceptum : *Præcepitque ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus, congressibus doceatur*. Ex quorum verborum vi ac tenore non videtur prohiberi privata credulitas talis propositionis, etiamsi quis externis signis vel scriptis illam ostendat, etiam coram aliquo, dummodo illam non proferat docendo, nec suadendo, aut defendendo, sed tantum explicando quid sentiat. At hoc totum prohibitum erat per absolutum verbum *prohibuit*, quatenus cadit in doctrinam ipsam, ut dixi. Ergo posteriora verba magis limitata sunt, quam prius generale verbum. Respondeo propter hanc causam dixisse me, illud prius verbum *prohibuit* explicare intrinsecam prohibitionem contentam in verbo *damnavit*. Ultra illam vero pontifex voluit addere specialem prohibitionem positivam, quam subinde voluit verbis magis limitatis ac definitis declarare, tum propter censuram, ut statim declarabitur, tum ad augendam obligationem pro actionibus in illis verbis expressis. In hoc ergo sensu conceditur sequela, nec in consequente aliquod incommodum est; optima enim ratione id fieri potuit.

Satisfit.

Quæstiuncula expeditur.

5 Sed quæret tandem aliquis, an sequentia verba hujus prohibitionis : *Neve umquam, tamquam aliquo casu probabilis, defendatur aut imprimatur*, limitent, aut extendant illam. Respondeo quoad materiam ipsam seu doctrinam continere magnam quamdam extensionem, quoad actiones vero circa illam prohibitas limitatiora videri. Explicatur prior pars ex dictis in superioribus. Quia ex vi priorum verborum incertum videri poterat, an saltem pro aliquo casu propositio illa retineri possit, vel ut vera, vel saltem ut probabilis, esto simpliciter sumpta sit falsa, temeraria et scandalosa. Ad excludendum ergo hoc dubium addita sunt illa verba, et quoad hanc partem continent extensionem. At vero quoad actiones pertinentes ad scholasticum usum, duæ tantum hic pronuntur, scilicet *defendere* et *imprimere*. Et quoad hoc videntur hæc verba magis limitata, quia per ea non prohibetur absolute docere illam doctrinam esse probabilem pro aliquo casu, sed solum id defendere, vel imprimere. Unde si quis simpliciter affirmaret esse probabilem propositionem illam pro aliquo casu, vel id manu scriberet, non tamen imprimeret, neque defenderet, non videretur agere contra hanc prohibitionem ex vi horum verborum. Sed licet hoc forte ita sit considerando solum formalitatem verborum, tamen consideratis aliis circumstantiis hujus decreti, quas superiori capite ponderavimus, vix posset quis a culpa excusari, quacumque ratione asserendo, vel sentiendo hoc esse probabile pro aliquo casu, quia satis magna temeritas esset privatim dicere aut scribere doctrinam illam esse probabilem, quam ecclesia vetat ut probabilem defendere vel imprimere. Sed hoc paulo post explicabitur amplius.

Prohibet secundo pontificium decretum practicari contrarium.

6 Circa secundam partem de prohibitione usus practici et moralis illius doctrinæ tamquam probabilis in aliquo casu, nihil novi occurrit addendum. Sensus enim est neminem posse licite uti illa opinione in praxi, vel in aliquo casu etiam rarissimo, sub illo titulo, quod est licitum conformari alicui opinioni probabili ad aliquid agendum. Nam pontifex non vult illam opinionem reputari probabilem quoad hunc effectum, pro aliquo casu, absque exceptione ulla.

An prohibeat absolutionem sub conditione datam.

7 Solum quæri potest, an si quis in aliquo casu tentet absolvere absentem non simpliciter, sed sub conditione, sub specie probabilitatis agat contra hanc prohibitionem. Videri enim potest non agere, quia verba illa, quibus propositio proponitur sunt hæc : *Et ab eodem absente absolutionem obtinere;* quæ in rigore intelligitur

de absolutione data simpliciter, et absolute : ergo qui absolvit sub conditione in aliquo casu non utitur propositione illa ibi damnata tamquam probabili; sicut qui rebaptizat sub conditione, etiamsi id faciat in casu, in quo non liceret absolute baptizare, non censetur simpliciter rebaptizare, neque incurrere pœnas juris. Nihilominus existimo illum usum esse prohibitum ex vi illorum verborum. Primo quia alias frustatur hæc lex, et aperitur via ad quemcumque abusum illius doctrinæ. Secundo quia etiam ante hoc decretum, qui docebant posse dari in aliquo casu absolutionem absenti, fatebantur addendam esse conditionem, vel verbo, vel saltem mente conceptam, quia in re tam incerta per se erat hoc necessarium ad vitandum periculum sacrilegii : ergo hoc ipsum est quod hoc decretum prohibuit. Unde argumentor tertio quia eo ipso quod decretum dixit, ut non deducatur ad praxim tamquam probabilis, satis indicavit se loqui de practico usu, qui posset videri licitus seclusa prohibitione, qui solum erat usus absolvendi sub conditione. Denique ad claudendum omne subterfugium additum est verbum illud *quovis modo*, et infra *directe* vel *indirecte* : nullus ergo prætextus, nullave excusatio admittenda est.

Judicium auctoris, ejusque prima ratio.

8 Atque hinc etiam facile est explicare tertiam partem de censura excommunicationis reservatæ in ea impositæ. Circa quam solum necesse est in memoriam revocare generales regulas de majori excommunicatione, et ejus reservatione, easque ad præsentem legem applicare. Sunt etiam notandæ actiones prohibitæ, per quas incurretur hæc censura, quæ quinque explicantur. Prima est *docere*, quod verbum absolute ponitur : unde comprehendit non solum publicum docendi munus, sed etiam privatam suasionem talis propositionis, vel declarationem rationum ejus, ut alius illam discat et credat, quia hoc revera est docere; et licet unus tantum doceatur, simpliciter est docere. Quod magis declaratum fuerat in superioribus verbis : *Ne ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur*. Ad quæ verba refertur verbum docendi inferius absolute positum. Et ob eamdem rationem, vel majorem, non solum qui verbo, sed etiam qui scripto hoc facit, quantumvis clam, vel occulte tale scriptum alteri communicet, incurret hanc censuram, quia vere docet.

Imponit tertio idem decretum censuram reservatam,

contra docentes contrarium,

9 Secundum verbum est, *defenderit;* ex vi cujus incurret hanc censuram, qui munus assumpserit defendendi exterius illam doctrinam, etiamsi nec illam teneat, nec habeat animum persuadendi illam, quia verbum *defenderit* in rigore hanc ampliationem continet. Tertium est, *imprimi fecerit*. Quod caute et limitate positum videtur, ne putetur hoc positum propter ministros vel officiales, qui materialiter imprimunt, sed propter eum solum, qui facit imprimere. Itaque illi ministri etiamsi sciant, quid imprimant, et in eo peccent ad malum cooperando, non incurrent, quia non est pro illis pœna imposita, ut verba ipsa declarant, quæ stricte intelligenda sunt. Imo per eum, qui facit imprimere, videtur solum comprehendi auctor operis, in quo talis doctrina miscetur; ille enim est, qui facit imprimere, juxta proprietatatem verborum, eorumque communem usum. Unde si quis ejus nomine curam gerat impressionis, et curet, ut ab officialibus imprimatur, vel ut correcte imprimatur, vel quid simile faciat, non videtur incurrere. Addo tamen incursurum eum, qui licet non sit auctor operis, est tamen (ut ita dicam) auctor impressionis, ut si sit primarius motor ejus, procurando et faciendo imprimi tale opus, maxime si ejus editio neque ab ejus primo auctore curabatur. Et idem existimo de illo, qui talem doctrinam, contra hoc decretum semel et illicite impressam, iterum imprimi fecerit; nam contra hæc verba delinquit. Dico autem *contra hoc decretum;* nam facere imprimere libros antiquiores hoc decreto, in quibus illa propositio continebatur, contra hoc decretum non est, nec materia censuræ, ut per se notum est.

contra defendentes,

contra imprimi facientes;

quis dicatur facere imprimi,

10 Quartum verbum est, *aut de ea etiam disputative tractaverit, nisi forsan impugnando*. In quo non solum prohibetur defensio, ut in primo verbo, sed absolute disputativa tractatio. In disputatione autem duo interveniunt, scilicet defensio, et argumentatio. Quoad primum parum videtur differre hæc actio a prima. Nisi quis forte velit ibi prohiberi defensionem ex animo, hic etiam disputationis gratia. Vel si utrumque, ut dixi, primo verbo prohibetur, hinc solum potest accipi quoad hanc partem major explicatio : nimirum sub hac censura prohiberi, sub colore disputationis propo-

contra disputative tractantes, defendendo et argumentando.

sitionem hic damnatam defendere ac propugnare, nam re vera hoc est disputative de illa tractare defendendo. Argumentando autem, non censeo hic esse prohibitum disputando argumentari in favorem propositionis hic damnatæ, sicut solemus argumentari contra alias fidei veritates, quia ecclesia non consuevit prohibere hoc genus discussionis et exercitii, etiam circa certissima dogmata, quia totum ordinatur ad meliorem illorum intelligentiam et explicationem, et ut ecclesiæ ministri discant rationem reddere ejus, quæ in illis est fidei, et contrarias rationes dissolvere. Unde hujusmodi exercitium tandem ad impugnandam doctrinam ab ecclesia damnatam ordinatur. Tunc ergo argumentatio in favorem doctrinæ hic damnatæ, sufficiens erit ad hanc censuram incurrendam, cum vel facta fuerit ex animo asserendi, vel persuadendi contrariam doctrinam, vel in modo disputandi id ostenditur, quia talis disputatio per se eo tendit, et potest nocere, et scandalum inferre, et ideo merito sub tali censura prohibetur.

Argumentatio in favorem decreti non prohibetur.

11 Sed quæret aliquis circa hæc verba, an incurrat hanc excommunicationem, qui non absolute propositionem illam docuerit, defenderit etc., sed solum dixerit esse probabilem pro aliquo casu, id docendo, defendendo etc. Nam licet ex dictis constet illum graviter peccaturum contra secundam partem prohibitionis, in hac lege factam, non tamen videtur ita manifestum, an illa culpa sufficiat ad incurrendam censuram : vel e contrario an hæc censura ita lata sit, ut extendatur et cadat in hanc culpam. Et ratio dubii est, quia illa clausula, in qua fertur censura, ita incipit : *Quod si quis illam* (scilicet propositionem) *docuerit, defenderit* etc., *excommunicationem incurrat* etc. Solum ergo excommunicatur, qui illam propositionem aliquo ex illis modis asseruerit; at vero qui solum dicit esse probabilem in aliquo casu non asserit simpliciter illam propositionem, ergo non incurrit. Quia verba legis pœnalis restringenda sunt ad transgressionem perfectam et consummatam, quam verba legis, in omni proprietate et rigore intellecta, prohibent.

An eamdem censuram incurrat, qui propositionem decreto contrariam defenderit, vel docuerit esse probabilem.

Ratio dubii.

12 Nihilominus censeo etiam in illo casu, et propter illam culpam incurri hanc censuram. Quia verba illa : *Quodsi quis illam* etc. referunt illam propositionem eo modo, quo damnata fuerat et prohibita, et sicut fuerat in ipso præcepto explicata : fuerat autem in superiori præcepto prohibitum, non solum absolute illam docere, defendere etc., sed etiam illam eisdem modis tradere, ut probabilem in aliquo casu : ergo censura, quæ postea additur in utramque cadit, ita ut sensus illorum verborum sit : *Quod si quis illam, sive ut veram, sive ut aliquo casu probabilem, docuerit, defenderit* etc. Ratio est tum quia censura cadit in totum præceptum, prout fuerat propositum et explicatum, tum etiam quia ex materia et circumstantiis constare potest hanc fuisse mentem pontificis. Quia hoc erat præcipue necessarium ad vitanda scandala et inconvenientia, quæ ex illa doctrina sequebantur vel sequi poterant. Tum præterea quia eo ipso, quod propositio dicitur probabilis in aliquo casu, tota propositio absolute prolata censetur probabilis in toto rigore, et ita simpliciter docetur vel defenditur contra decretum. Tum denique quia cum sub eadem censura prohibeatur usus illius doctrinæ pro quolibet casu, necessarium fuit etiam doctrinam ipsam eodem modo et cum eadem extensione prohiberi. Et ita facile responsum est ad rationem dubitandi.

Auctoris resolutio;

Ejus ratio quadruplex.

13 Ultimum igitur verbum est : *Vel ad praxim directe seu indirecte deduxerit.* In quo constat ad praxim deducere nihil aliud esse, quam opinione illa in praxi uti conficiendo sacramentum inter absentes. Item constat hoc directe committi ab his, qui tale sacramentum proxime conficiunt. Existimoque non solum incurrere hanc censuram sacerdotem, qui pœnitentem absentem scripto vel verbo tentat absolvere, quod est per se clarum et indubitatum, sed etiam pœnitentem, qui absenti sacerdoti confitetur, ut ab eodem absente absolvatur. De quo nonnihil dubitari poterat, quia pœnitens non est minister hujus sacramenti. Sed nihilominus etiam illud videtur certum, quia etiam pœnitens tunc directe deducit ad praxim propositionem illam. Et in decreto non fit distinctio inter eum, qui illam deducit ad praxim, ut minister sacramenti, vel ut confitens, sed simpliciter, et indistincte dicitur : *Vel ad praxim deduxerit.*

Contra deducentes ad praxim propositionem contrariam decreto.

14 Subobscurum autem est in illis verbis, quid sit indirecte deducere ad praxim doctrinam illam, quia nullus alius videtur posse incurrere hanc censuram ex hoc ca-

Quid sit indirecte deducere ad praxim.

pite, nisi vel pœnitens confitens tali modo nixus hac doctrina vel sacerdos absolvens : at illi directe semper delinquunt. Quid est ergo *indirecte?* Respondere quis potest verbum *directe* positum esse propter sacerdotem ministrantem sacramentum : vocem autem *indirecte* adjunctam esse ad comprehendendum pœnitentem. Sed non placet, quia re vera pœnitens directe concurrit, et cooperatur eo modo, qui ad ipsum pertinet, qui satis est, ut non indirecte utatur illa doctrina, prout in illa propositione formaliter continetur. Probabilius dici potest per illam particulam *indirecte* comprehendi etiam internuncium, qui eadem doctrina utens tali sacramento conficiendo cooperatur. Nam ille licet non confiteatur, nec absolvat in absentia, et ideo non applicet directe illam propositionem ad praxim, tamen indirecte videtur illam applicare, utendo illa ad suam cooperationem, quæ est quædam praxis. Item dici potest indirecte id committere, qui inducit confessorem, ut in illo casu absolvat, vel pœnitentem, ut sic confiteatur ratione talis doctrinæ; nam illa inductio etiam est quædam praxis. Isti ergo omnes ex vi illius extensionis hanc censuram incurrunt.

Responsio quorumdam non placet.

Probabilis responsio.

Altera etiam responsio.

15 Sed quæres an incurrat hanc censuram sacerdos, qui absolvit absentem, non quia putat absolutionem esse validam, sed ex malitia, ut decipiat pœnitentem, vel ex timore humano, ut illi complaceat, vel ex falsa specie pietatis, ut illum consoletur exterius, etiamsi interius nihil proficiat. Et est ratio dubii, quia ille gravius delinquit, quam si absolveret ex animo, et falsa existimatione et opinione. Nihilominus censeo non incurrere, quia ille non deducit doctrinam illam, seu propositionem ad praxim, quia, qui non operatur ex aliqua opinione ad speculationem seu doctrinam pertinente (qualis est illa, an talis absolutio valida sit, nec ne) non potest dici deducere illam ad praxim. Quia deducere ad praxim est ex tali principio speculativo practice inferre talem usum; quod non facit is, qui ex malitia, vel alio affectu id facit sine fundamento in tali principio. Sicut qui fornicatur, sciens fornicationem esse malam, et prohibitam, non potest dici deducere ad praxim doctrinam erroneam asserentem, fornicationem esse licitam, quia non ex tali opinione, sed ex solo pravo affectu operatur. Ita ergo in præsenti.

An absolvens absentem non quia putat valere, sed ex aliquo alio affectu incurrat censuram.

Responsio auctoris.

16 Dices non esse simile, quia in fornicatione facile separatur usus practicus a doctrina, quia secluso tali errore habet fornicatio delectationem, propter quam appetatur : at in præsenti non est separabilis usus practicus ab applicatione doctrinæ falsæ, quia nisi supponatur sacramentum tale esse alicujus valoris, non est cur fiat. Respondeo hoc habere aliquam verisimilitudinem ex parte pœnitentis : ille enim profecto nisi sibi persuadeat talem confessionem fore sibi fructuosam, ac proinde licitam, vix utetur illa. Est enim res molesta et difficilis; si ergo infructuosa etiam judicetur, quis appetet illam præsertim in articulo necessitatis, in quo maxime desiderari potest talis confessio? At vero in confessore hoc non procedit, quia potest facile habere alia motiva practica cur id faciat, etiamsi nullius momenti, et illicitum esse censeat, ut in ipsamet dubitatione satis propositum et declaratum est. Talis ergo confessor licet ex alio capite gravius fortasse delinquat, non tamen ita delinquit contra hanc legem, vel potius non delinquit contra hanc particulam hujus legis, et ideo hanc censuram non incurrit. Imo etiam ex parte pœnitentis non repugnat peccare aliquando in hoc ex alio affectu, vel carnis, vel vani honoris; regulariter tamen vix continget nisi ex ignorantia, atque adeo ex pravo usu illius doctrinæ. In quo etiam advertendum est, aliquando esse posse talem ignorantiam invincibilem, seu excusabilem, præcipue ex parte pœnitentis, et tunc excusabitur a censura, quatenus excusatur a contumacia : in quo regulæ generales de excommunicatione, quatenus ob ignorantiam non incurritur, observandæ sunt.

Objectio contra responsionem

Dissolutio.

17 Venio ad alteram partem de declaratione divini juris per hoc decretum facta. Aliqui enim tentarunt dicere, decretum hoc solummodo esse novi juris inductivum, et constitutivum, non vero esse declarativum alicujus divini juris, ratione cujus ante hoc decretum esset semper, et in omni casu illicitum celebrare hoc sacramentum inter absentes. Moti sunt, qui hoc senserunt, quia non putant posse inveniri tale jus divinum, in quo fundetur id esse per se ac semper illicitum. Vel enim illud jus divinum esset mere naturale; et hoc non, cum naturalis ratio hunc actum confitendi et absolvendi non dictet, et a fortiori nec

An decretum pontificium sit inductivum novi juris, an declarativum antiqui :

esse tantum novi juris inductivum quomodo aliqui probent.

modum, quo faciendus est, præscribat. Vel est juris divini mere positivi, et superadditi institutioni talis sacramenti; et de tali jure non constat per scripturas, nec per ecclesiæ traditionem, et ideo nec affirmandum est, nec est verisimile pontificem in illo fuisse fundatum. Vel denique tale jus est quasi connaturale, et intrinsecum ipsi sacramento, ita ut in ipsa institutione virtute contineatur, et ideo sicut institutio est juris divini, ita etiam sit hoc jus. Et hoc etiam non videtur dici posse, quia potius ex ipsa institutione videtur oppositum deduci. Nam hoc sacramentum ex institutione sua habet quod sit quoddam judicium : at judicium ex sua natura potest celebrari inter absentes, ut per se constat; et absolutio ex vi absolutionis potest dari absenti, ut de absolutione a censura constat. Ergo etiam hoc judicium sacramentale potest hoc modo celebrari, quantum est ex ejus natura : maxime quia nec rationi sacramenti, ut sic, repugnat celebrari inter absentes, ut in matrimonio constat. Dicunt ergo hoc declarari illicitum a papa, qui ab ipso prohibitum est. Unde etiam addunt, vel hoc factum ita esse illicitum, ut non sit nullum contra id, quod primo capite definitum est : vel si est nullum, ideo esse, quia pontifex faciendo hoc decretum, abstulit jurisdictionem ad absolvendum illo modo, quod sine dubio facere potuit, et verisimile est fecisse, quia intendit usum illum interdicere quantum potuit.

Quid iidem auctores addant.

Esse primario declarativum juris divini.

18 Hæc vero sententia nullo modo probabilis mihi videtur, ideoque dicendum censeo, decretum hoc directe ac principaliter esse declarativum divini juris, et conditionis cujusdam sacramenti pœnitentiæ intrinsere inclusæ in ejus institutione : secundario vero, et consequenter ad observantiam hujus divini juris additas esse prohibitiones, et pœnas supra declaratas.

Probatur primo.

Probatur primo ex controversia, quæ ante hoc decretum in ecclesia orta est, cujus occasione factum est hoc decretum, scilicet, an esset licitum, nec ne sacramentum hoc inter absentes celebrare, et pœnitentem absentem absolvere, propter confessionem ab eo missam per litteras vel internuncium. Hæc enim quæstio versabatur ante hanc prohibitionem humanam, ergo tractabatur ex vi solius juris divini; nam antea non erat de hac re ecclesiasticum jus conditum, ut constat ex jure, et ex omnibus auctoribus illam quæstionem disputantibus, qui ex vi solius institutionis sacramenti illam decidere conati sunt : at pontifex per hoc decretum eam partem probavit, quæ negabat esse licitum illum modum conficiendi hoc sacramentum. Ergo declaravit hoc esse illicitum ex vi juris divini.

Probatur secundo.

19 Secundo hoc constat ex introductione ipsa ad decretum, quæ sic habet : *In generali congregatione sanctæ Romanæ et universalis inquisitionis, habita in palatio apostolico in Monte Quirinali coram S. D. N. D. Clemente divina providentia Papa VIII, proposita quæstione, utrum liceat per litteras, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.* Hæc sanctissimo D. N. Clemente VIII, quia nec illa prohibitio facta erat, quando talis quæstio proposita est, nec esset locus quæstioni, si facta jam esset : ergo intelligitur quæstio per se, et absolute, ac independenter ab hoc decreto, atque adeo an ex vi antiqui juris quod perpetuo fuit in ecclesia illa propositio ad discutiendum proposita, vera semper fuerit, vel falsa. Ergo in eodem sensu declaratum est esse falsam, id est ex se, et ex suis meritis talem esse semperque fuisse, et non fieri de novo falsam ratione novæ prohibitionis nondum factæ. Unde hoc confirmatur ex verbis illis : *Auditis votis patrum theologorum, et re cum Ill^mis^ et R^mis^ Dominis cardinalibus mature, ac diligenter considerata.* Vota enim theologorum non poterant fundari in jure novo condendo a pontifice, et nondum condito, ut per se notum est, quia vota non erant de hoc, an expediret illam propositionem facere falsam prohibendo illius usum, sed an esset jam falsa; et judicium eorum fuit esse falsam et damnabilem propositionem; ergo ex vi divini juris. Et de hoc fuit præcipua, et diligens, ac matura consideratio; per quam illud judicium theologorum approbatum est, et ad hoc est conditum hoc decretum : ergo est per se primo declarativum divini juris.

Probatur tertio.

20 Tertio ad hoc expenditur verbum illud : *Damnavit;* et declaratur in hunc modum, quia decretum pontificium doctrinale, ut sic dicam, potius quam præceptivum, declarativum est veritatis doctrinæ potius, quam introducens novam prohibitionem, vel præceptum tale autem

est hoc decretum, quatenus damnat hanc propositionem, ergo est declarativum ipsius doctrinæ veræ, atque adeo divini etiam juris, in quo illa fundatur. Major est evidens; quia quando ecclesia definit aliquid de fide, declarat potius quam jubeat : quia, licet ad talem definitionem consequatur prohibitio credendi vel docendi contrariam doctrinam, illa non est prohibitio juris humani, sed divini, supposita manifestatione et sufficiente propositione veritatis catholicæ, quæ per talem definitionem fit. Hoc autem ipsum ob eamdem rationem dicendum est de quocumque decreto doctrinali, quod dici potest quasi speculativum potius quam practicum : et ita non concipitur verbis moventibus, sed obligantibus ad aliquid agendum vel non agendum; nec refertur ad personas vel actiones, in quas directe cadit obligatio vel prohibitio, sed refertur ad doctrinam ipsam, quæ ut vera vel falsa auctoritate ecclesiæ proponitur et declaratur. Ergo tale decretum semper declarat jus divinum, vel divinam traditionem aut revelationem, in qua talis doctrina fundatur. Tale autem esse hoc decretum, declarat evidenter verbum *damnavit*, quod directe cadit in propositionem ipsam; et non est verbum practice præceptivum aut prohibitivum, sed est judicativum (ut sic dicam) de falsitate et qualitate talis propositionis. Et hæc est primaria et quasi fundamentalis decisio hujus decreti; principaliter ergo continet declarationem divini juris, in quo fundatur talem usum sacramenti non esse licitum.

Probatur quarto.

21 Quarto quia nisi talis declaratio supponeretur facta per hoc decretum, vix aut nullo modo potuisset vel debuisset prohiberi usus practicus illius doctrinæ pro quocumque casu extremæ necessitatis, et sub tam gravi censura, prout per hoc decretum fit. Probatur, ac declaratur assumptum : quia si stando in jure divino, sacramentum pœnitentiæ inter absentes licite, ac proinde valide confici posset, non posset ecclesia, vel certe non deberet illum usum prohibere pro casu extremæ necessitatis : in quo vere intercedit impotentia sacerdotis veniendi ad præsentiam pœnitentis, et pœnitentis comparendi coram sacerdote, et alioqui pœnitens sit in extremo periculo moriendi sine hoc sacramento. Hic enim casus frequenter accidere potest. Unde si pro illo reliquit Christus sacramentale remedium, vix credibile est, quod possit ecclesia tam generaliter illud denegare ac prohibere, et multo difficilius creditu est, quod expediat sitque pietati ejus consentaneum id facere. Ergo dum id facit, plane declarat Christum Dominum non reliquisse hoc medium pro illo articulo et casu : nec essentialem ritum hujus sacramenti posse illi accommodari. Confirmatur, quia ob hanc causam ecclesia nihil denegavit ex parte sua necessarium ad ministrandum hoc sacramentum in casu extremæ necessitatis, et ideo nullum reservat casum, non censuram pro illo articulo, nec prohibet aliquem sacerdotem ab hoc ministerio ratione alicujus malitiæ, censuræ vel alterius conditionis : ergo nec ratione absentiæ prohibuisset, si jus divinum non interveniret.

Confirmatur.

22 Atque hinc constat, nullitatem, quam dicimus esse in tali casu et administratione pœnitentiæ, et veram esse, et non fundari in hoc, quod pontifex negat jurisdictionem ad celebrandum hoc sacramentum tali modo, qui alias esset sufficiens ad valorem sacramenti, si jurisdictio non denegaretur. Nam in primis divinant, qui hoc affirmant. Unde enim constat talis denegatio jurisdictionis? aut quod est verbum in hoc decreto, quo illa indicetur? Deinde non posset talis abstractio jurisdictionis convenienter extendi ad casum extremæ necessitatis, in quo ecclesia non solet auferre jurisdictionem, quam potest conferre. Fundatur ergo illa nullitas in hoc, quod talis modus conficiendi sacramentum est contra ritum essentialem ejus; ut sæpe diximus, nondum tamen satis explicuimus aut ostendimus, quia in sequenti cap. expediemus commodius.

1 Corollarium ex dictis, quo respondetur ad additamentum in fine num. 17.

23 Secundo infertur ex dictis constitutionem hanc quoad hanc partem retrotrahi ad præteritum tempus : quia veritas hæc, ut ex divino jure pendet, semper fuit eadem, ex quo institutum fuit hoc sacramentum usque nunc. Unde et declaratio hujus veritatis omnia tempora comprehendit. Ideoque jure definitum est legem declarativam comprehendere præterita tempora. Et in hoc fundatur, quod supra diximus, absolutionem et confessionem, inter absentes quocumque tempore factam, fuisse nullam. Oportet tamen distinguere illud, quod est per se, ab eo quod est per acci-

2 Corollarium.

dens, hic enim declaratur per se hoc non licere. Per accidens vero id fieri potuit per ignorantiam, ut antea liceret, quatenus probabilis ignorantia excusat a culpa. Et quoad hoc nunc extenditur verbum, *Non liceat*, non solum quia per hoc decretum addita est nova prohibitio, sed potius quia per illud, quantum est ex se, ablata est ignorantia, quæ in opinione illa fundabatur, quæ prohibita est. Sed hæc distinctio de licito per se, aut per accidens, non habet locum in valore actus; nam ignorantia quæ excusat culpam, non impedit quominus actus sit invalidus, si aliquid illi deest pertinens ad essentiam ejus, ut ex materia de legibus per se notum est.

3 Corollarium.

24 Ultimo sequitur ex dictis per hoc decretum nullum usum sacramenti pœnitentiæ esse prohibitum, qui ex se et ex vi divini juris prohibitus non sit : quia solum prohibetur usus repugnans veritati, et substantiæ sacramenti. Imo si attente penderentur omnia, quæ in hoc decreto sub censura prohibentur, re vera sunt per se mala, supposita priori declaratione ad veritatem doctrinæ pertinente : sed ad vitanda scandala, et ad majorem cautionem, et augendam obligationem illa omnia prudenter addita sunt.

CAPUT IV.

Quod sit fundamentum solidum hujus decisionis et declarationis.

Fundamentum pontificii decreti non est sola ecclesiæ prohibitio, aut denegatio jurisdictionis ad absolvendum.

1 Notavimus jam superiore capite hujus decreti ac decisionis ejus fundamentum non in sola ecclesiæ prohibitione, aut denegatione jurisdictionis ad absolvendum tali modo, esse constituendum, quia nec est solidum fundamentum, nec consentaneum auctoritati hujus decreti. Aut enim talis prohibitio ecclesiæ est antiquior ipso decreto, vel est per illud facta. Hoc posterius dici non potest, ut probavi, quia hoc decretum est doctrinale et declarativum antiquæ veritatis. De primo autem non constat, quia nullius pontificis aut generalis concilii canon invenitur, quo talis prohibitio facta sit. Traditio item ecclesiæ, vel consuetudo quæ hanc prohibitionem introduxerit, non satis constat, præsertim cum ante hoc decretum multi graves auctores talem prohibitionem non agnoverint, imo illam negaverint, et nonnulli consuetudinem contrariam allegent, etsi non admodum antiquam. Recurrendum igitur necessario est ad divinum jus. Et quoniam hoc jus intelligi potest, vel intrinsece inclusum in institutione propria et ritu essentiali ipsius sacramenti, vel superadditum per speciale præceptum divinum ultra institutionem : in priori modo facienda est vis, nam de posteriori genere præcepti nullum probabile fundamentum afferri potest.

Aliquorum fundamentum.

2 Tota ergo difficultas hujus puncti est in demonstranda illatione, quomodo scilicet ex institutione et ritu hujus sacramenti tanta necessitas hujus præsentiæ inter pœnitentem et confessorem eruatur, ut sine illa numquam confici possit hoc sacramentum. Primo ergo fundari hoc potest in generali ratione sacramenti novæ legis : cum enim non tantum sit signum, sed etiam vera causa sanctificationis personæ, cui applicatur, et consequenter minister etiam sacramenti sit suo modo causa sanctificans alium, necesse est, ut intercedat præsentia inter hoc agens et passum, ut sacramentum sacrificativum personæ conficiatur. Nam licet Deus pro sua omnipotentia possit per instrumentum suum agere in rem distantem et absentem ab ipso instrumento; tamen in ordinario modo agendi per instrumenta corporalia sese accommodat naturali modo agendi corporum, quia suaviter omnibus providet. Ergo ex generali ratione sacramenti, præsertim novæ legis recte colligitur necessitas hujus præsentiæ. Atque huc accedit ratio moralis, quod ministri sacramentorum debent esse moraliter certi de vita et dispositione subjectorum, quibus conferunt sacramenta, ut cum debita reverentia ea tractentur, et non se exponant periculo vel inaniter vel sine fructu illa præstandi. Ad hanc autem moralem certitudinem necessarium est, ut minister non conferat sacramentum, nisi personæ præsenti merito ergo talis conditio necessaria creditur. Denique inductione potest hæc ratio et fundamentum confirmari in baptismo, confirmatione, unctione et ordine, de quibus nulla potest esse dubitandi ratio. Et in eucharistia idem cum proportione servatur : nam illud sacramentum non conficitur circa subjectum, quod illud postea recipit, sed circa materiam, quæ consecratur, et ideo illius præsentia postulatur, ut sacramentum confici possit :

Accedit ratio moralis.

Accedit inductio per alia sacramenta.

nam postquam confectum est, clarum est non posse ministrari nisi personæ præsenti, et licet possit minister illud mittere ad personam absentem, hoc ideo est, quia sacramentum illud est permanens, et deferri potest usque ad præsentiam recipientis, et tunc qui illud defert, subit vicem ministri applicantis sacramentum, et ille etiam pervenit usque ad præsentiam recipientis.

Quid ad exemplum Matrimonii celebrati inter absentes prædicti auctores respondeant.

3 Hæc vero inductio, ac subinde totum hoc fundamentum enervari multum videtur exemplo sacramenti matrimonii, quod inter absentes celebrari potest. Nam licet aliqui propter hanc rationem dixerint matrimonium sic celebratum non esse sacramentum, sed tantum contractum naturalem, et postea incipere esse sacramentum, quando conjuges jam sibi præsentes expresso vel tacito signo iterant consensum.

Rejicitur dicta responsio.

Hæc tamen opinio nec vera est, nec probabilis : quia ex traditione ecclesiæ illud matrimonium tam verum sacramentum est sicut reliqua : unde æque est indissolubile, et easdem proprietates et effectus habet.

Rejicitur altera responsio.

Multo vero magis improbandum est, quod aliqui dicere tentarunt, matrimonium non esse tam proprie sacramentum, sicut sunt reliqua, et ideo ab illa generali regula excipi. Omnino enim falsum hoc est et contra definitionem expressam Concilii Tridentini sess. 7 et 24. Melius ergo dicitur generalem illam regulam habere locum in his sacramentis, quorum speciales ritus a Christo sunt instituti, non solum formaliter (ut sic dicam) in genere signi vel causæ, sed etiam materialiter quoad ipsum ritum et actiones, vel res, quæ ad conficienda ipsa sacramenta designatæ sunt. Matrimonium vero licet acceperit a Christo Dño sacram significationem et causalitatem, et ita fuerit formaliter institutum, non tamen materialiter illi addidit particularem ritum, sed contractum ipsum naturalem ad esse sacramenti elevavit, nullam specialem conditionem ad illud conficiendum adjungens, supposita capacitate personarum, scilicet quod baptizatæ sint. Quoniam igitur contractus matrimonii ex natura sua potest inter absentes celebrari, cum eadem proprietate relictum est, etiamsi sit sacramentum.

Melior responsio.

Nova ratio dubitandi consurgens ex præcedenti responsione.

4 At enim ex hac responsione nova ratio dubitandi consurgit : nam etiam in hoc sacramento non invenimus a Christo Dño peculiarem ritum celebrandi judicium institutum. Erexit quidem Christus Dñus, cum hoc sacramentum instituit, novum tribunal, novumque genus jurisdictionis ac potestatis hominibus dedit, novamque materiam (quæ ut habet respectum ad Deum, illius solius judiciis reservata erat) judicio hominum subjecit : tamen circa modum tractandi hanc causam, et quoad solemnitatem, qua judicanda est, nihil peculiare ordinavit aut instituit. Ergo potius ex generali ratione judicii colligere debemus proprietates communes hujus sacramenti : at judicium inter homines, ut tale est, non postulat præsentiam : ergo in illa conditione, tam est facienda exceptio in hoc sacramento, quam in matrimonio.

Alii subtilius respondent ad instantiam de Matrimonio in num. 3 factam.

5 Persistendo vero in ratione facta, melius fortasse responderi posset, negando fieri exceptionem in sacramento matrimonii ab illa generali regula, si attente res consideretur. Nam licet sacramentum matrimonii confici possit inter absentes. Quod non negamus, tamen minister illius sacramenti non confert illud alteri absenti omnino, quod ad rem præsentem, et ad exceptionem faciendam necessarium erat. Declaro : nam in matrimonio hoc est peculiare, ut minister sacramenti sint ipsimet contrahentes; nam alius minister sacer ex vi institutionis illius sacramenti necessarius non est : et nunc parochus ex institutione ecclesiæ solum requiritur, ut testis peculiariter ab ecclesia postulatus ad valorem contractus. Contrahentes autem non ita dividunt inter se hoc ministerium, ut unus faciat sacramentum, prout in alio recipitur, et e converso; sed ex utraque persona consurgit unus adæquatus minister, et singulæ personæ efficiunt et conferunt totum sacramentum, licet non singulæ totaliter, sed quasi partialiter. Sicut etiam ex utraque componitur unum adæquatum subjectum illius sacramenti : non sunt enim ibi duo sacramenta, sed unum, sicut est unum vinculum, unus contractus, et sicut sunt duo in carcere una. Atque ita fit ut minister sacramenti, et subjectum recipiens illud, non sint omnino inter se distantia, vel absentia : nam licet unus partialis minister distet ab uno partiali subjecto illius sacramenti tamen totus minister semper habet sibi præsentem et propinquam aliquam personam, imo etiam habet identitatem aliquam cum partiali subjecto, cui ministratur sacramentum, et hoc satis est,

ut tale sacramentum absolute loquendo non ministretur absenti. Nam ut agens agat in passum præsens, non est necesse ut omnis pars agentis præsens sit omni parti passi : sed satis est, ut agens secundum aliquam partem suam præsens habeat passum, etiam secundum aliquam partem ejus. Quia ergo singulare est in illo sacramento, ut ex duabus personis inter se distantibus consurgat unus minister integer, et unum adæquatum subjectum receptivum sacramenti, ideo mirum non est, quod inter personas absentes confici possit, quia unaquæque illarum, quasi agendo in se, consequenter agit in aliam.

Non satis placet prædicta responsio rationesque num. 2, allatæ infirmantur.

6 Sed quidquid sit de hac speculatione, quæ ad res morales nimia videtur, ut hoc fundamentum solidius sit, necessarium est in proprio et speciali ritu sacramenti aliquod fundamentum hujus necessitatis præsentiæ investigare, quia ex sola generali ratione sacramenti re vera non satis convincitur. Quia ratio sumpta ex causalitate est etiam nimis metaphysica, cum facile dici possit, vel satis esse causalitatem moralem, vel instrumenta divina et supernaturalia non esse limitata ad præsentiam materialem, ut agere possint, ut in multis aliis casibus facile ostendi potest, etiam in verbis sacramentorum, quæ sine dubio sæpe possunt sacramentaliter proferri circa subjectum, vel materiam adeo distantem, ut naturaliter non possent aliquid circa eamdem physice efficere. Altera vero ratio moralis de certitudine vitæ et dispositionis subjecti, licet sit optima congruentia, ut hæc præsentia regulariter ac per se adhibenda sit, non tamen ita urget ut sit essentialiter necessaria, seu ex vi essentialis ritus, quia in necessitate sufficit moralis certitudo ex probabili humana fide, et aliis conjecturis deducta : ut constat aperte in confessione, quæ fit per interpretem; nam tota fere notitia confessionis pendet ex fide quam confessor interpreti adhibet. Item ponamus sacerdotem esse cæcum, et pœnitentem mutum, certe id non obstat, quominus possit hoc sacramentum celebrari, interveniente opera alicujus tertii, qui signa pœnitentis verbis indicet sacerdoti : in quo casu sacerdos nec potest suis oculis aut auribus certus fieri cum evidentia de vita, vel conscientia pœnitentis, et nihilominus certitudo illa per fidem humanam sufficit : ergo ad probandam absolutam necessitatem altius fundamentum necessarium est.

Fundamentum solidum decreti sumendum est ex essentiali ritu sacramenti pœnitentiæ.

7 Oportet ergo ad sacramentalem ritum recurrere. Hic autem ritus neque est idem in omnibus sacramentis, neque ex sola generali ratione postulat actionem, vel materiam vel aliqua certa verba, quæ sine præsentia adhiberi non possunt, ut per se notum est. Quid enim hoc est, aut quale esse potest, cum generalis ratio sacramenti de se abstractissima sit, et pendeat ex arbitrio imponentis, potuerintque sub eo genere infinitæ aliæ species a sapientissimo et potentissimo sacramentorum auctore Christo institui? Igitur necessarium est, ut, in quocumque sacramento hæc conditio fuerit necessaria ex vi institutionis ejus, id proveniat ex proprio aliquo ritu specifico et essentiali ejus, qui includat vel actionem materialem, quæ circa rem absentem exerceri non possit, vel talem verborum significationem, quæ præsentiam indicet, et sine illa subsistere non possit. Id quod inductione facta in omnibus sacramentis videre licet. Nam in baptismo tam actio materialis, quam prolatio verborum, præsentiam intrinsece postulant : quomodo enim potest quis lavare corpus non sibi sufficienter præsens, imo ei propinquum? Verba item illa : *Ego te baptizo* ad personam præsentem in propria significatione diriguntur. In confirmatione item, et unctione utrumque facile considerare licet. Et similiter in ordine, impositio manuum, traditio instrumentorum, et contactus eorum, nisi in præsentia fieri non possunt. Quod si fortasse in aliquo ordine non appareat tam evidens necessitas ex parte materiæ, non refert : tum quia omnes ordines componunt unum sacramentum, et referuntur ad unum principalem, scilicet sacerdotium : et ideo omnes participant hanc conditionem, ut necessariam : tum etiam quia semper adhibetur forma, aut indicativi, aut imperativi modi : *Accipe potestatem* etc., ex vi suæ significationis postulans præsentiam, ut mox videbimus. In eucharistia theologi omnes necessitatem præsentiæ materiæ colligunt ex forma : *Hoc est* etc.; quia ille articulus demonstrat rem præsentem. Possetque etiam colligi ex eo, quod illud sacramentum non conficitur, nisi per actionem sacrificandi : nemo autem sacrificare potest, nisi rem sibi præsentem. At in matrimonio, neque ex parte formæ, neque ex parte materiæ necessaria est præ-

sentia personarum, ut inter se contrahant, et ideo neque ad sacramentum necessaria est. Superest ergo ut videamus, quid sit in ritu essentiali sacramenti pœnitentiæ, quod hanc præsentiam tam absoluta necessitate requirat : et an ex parte materiæ, vel ex parte formæ inquirendum sit.

Ex parte materiæ pœnitentiæ sumunt aliqui dictum fundamentum.

8 Nonnulli conati sunt ostendere ex parte materiæ, idest confessionis pœnitentis, esse hanc conditionem necessariam. Primo, quia confessio debet esse actus proprius et personalis pœnitentis; ita enim definiunt concilium Florentinum et Tridentinum materiam seu quasi materiam hujus sacramenti esse actus pœnitentis; debet item esse actus externus et sensibilis, qui sit signum sensibile interioris doloris, ac manifestationis peccatorum : ergo ex vi talis actus necesse est, ut confessio fiat in præsentia sacerdotis, ac proinde necessarium est, ut totum sacramentum in præsentia conficiatur. Probatur consequentia, quia per illum actum pœnitens debet significare sacerdoti mentem suam, et dare illi notitiam suæ conscientiæ, et dispositionis : non potest autem pœnitens hanc notitiam et significationem dare sacerdoti per suummet proprium sensibilem actum, nisi habet illum præsentem : ergo hæc præsentia necessaria est ex parte materiæ necessariæ ad hoc sacramentum conficiendum.

Infirmatur eorum ratio.

9 Dices posse pœnitentem per illum externum actum et signum confessionis suæ dare illam notitiam sacerdoti, etiam absenti, mittendo illam confessionem per nuncium, vel per epistolam. Nam licet confessio sit actus personalis, non est necessarium, ut sacerdos immediate ac suis oculis vel auribus videat vel audiat talem actum, prout ab ipso pœnitente immediate fit, sed potest per alium modum illi applicari, seu ad ejus notitiam deduci, ac proinde etiam ad absentem mitti : hæc ergo ratio non satis probat necessitatem præsentiæ.

Dictam rationem sustinent illi auctores auctoritate.

10 Contra hoc vero obstat in primis communis sententia theologorum asserentium, confessionem non posse fieri sacerdoti absenti per nuncium vel per scriptum. Ita docet Augustinus lib. de pœnitentiæ medicina. Et habetur in cap. *Quem pœnitet* de Pœnit. d. 1. D. Thom. 4, d. 17, q. 3, art. 4, q. 3. Ubi alii scholastici communiter ita loquuntur, et Cajet. in summa verb. *Confessio* § *undecima*. Marcus Antonius Cucchus lib. v suarum Institutionum n. 4, n. 79. Soto in 4, d. 18, q. 2, art. 3. Ledesma in 4, 2 p., q. 9, dub. 2. Cano relect. de pœnit. p. 3 versus finem §. *In quinto principali argumento*. Tolet. in summ. lib. III, c. 6, ubi significat necessarium esse actum pœnitentis fieri in præsentia sacerdotis, ac proinde confessionem factam per nuncium vel scriptum non esse confessionem.

Sustinent etiam rationibus prout confessio est actus pœnitentis.

11 Deinde obstat etiam ratio, in qua sententia hæc fundata est; quia non in positivo aliquo jure, sed in institutione ipso, seu illa supposita in natura talis actus fundatur. Primo, quia de ratione confessionis est, ut fiat cum rubore et erubescentia, et hæc conditio impeditur, si fiat sacerdoti absenti. Secundo est de ratione hujus confessionis sacramentalis, ut secrete fiat soli Deo, et homini, ut tenenti locum ejus, et ideo non admittit testes, nec publice fieri debet : at si fiat per nuncium vel epistolas, eo ipso publice fit, quantum est ex tali modo confitendi. Tertio talis modus confitendi expositus est scandalis, si nuncius sit infidelis, vel si scriptum perdatur, vel si pœnitentes inde assumant occasionem ita confitendi, ut evitent non solum pudorem coram sacerdote, sed etiam molestas interrogationes, vel admonitiones ejus. Quarto, quia cum quis per internuncium confiteri vult, non confitetur ipsi internuncio, quia ille non habet claves ecclesiæ; nec etiam nuncius postea confitetur sacerdoti, quia non se accusat, nec sua narrat facta, sed aliena : confessio autem, ut dictum est debet esse actio personalis, et accusatio ipsiusmet rei : ergo illa non est sacramentalis confessio. Et eadem ratio potest cum proportione ad scripturam applicari.

Prima eorum ratio.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Rationes aliæ, prout confessio est organum, quo datur notitia confessori.

12 Atque hæ rationes procedunt de confessione considerata ut est actus pœnitentis. Ulterius vero considerari potest, ut organum, quo datur notitia confessori : et ut sic, etiam sane videtur talis confessionis modus non esse sufficiens ad conferendam notitiam confessori necessaria, ut debito modo suo munere fungatur : tum quia non possunt illo modo satis explicari omnes circumstantiæ peccatorum, et numerus, ac reliqua omnia, quæ ad integritatem requiruntur : tum etiam quia moraliter loquendo necessarium est ut confessor aliquid interroget, quia per simplicem narrationem pœnitentis non satis percipit qualitatem peccati, vel certitudinem numeri, vel obli-

gationem, quæ ex illa nascitur; et alia similia dubia oriuntur, quæ nisi per mutuam interrogationem et responsionem expediri non possunt, ad quas necessaria est præsentia. Tum præterea quia necessario intercedit aliquod tempus inter actum pœnitentis, et perceptionem sacerdotis absentis; quo tempore potuit mutari pœnitens, vel quoad dolorem et propositum, vel committendo novum peccatum mortale, in quod nullo modo potest cadere talis confessio. Tum denique quia talis materia semper est valde incerta, et sacerdos non debet applicare formam sacramenti, nisi super materiam sibi certam.

Cur prædictæ rationes num. 11 et 12 positæ non sint efficaces.

13 Verumtamen hæc omnia non sufficiunt ad solidum et adæquatum fundamentum hujus decreti. Num quædam illorum efficacia non sunt, sed parvi momenti. Alia probant ad summum illum confitendi modum per se et ordinarie non esse licitum, ac proinde præsentiam sacerdotis esse per se necessariam. Non tamen probant esse absolute et simpliciter necessariam ex vi essentiæ sacramenti, ita ut sine illa conditione subsistere non possit; de qua necessitate loquitur hoc decretum, et ex

Duo supponuntur verissima.

dictis constat. Suppono enim (id, quod certissimum est) conditionem illam, sine qua potest sacramentum confici in aliquo casu, etiam rarissimo et extremæ necessitatis, nec essentialem esse, neque intime et intrinsece fundatam in essentia sacramenti, cum connexione absolute necessaria.

Ostenditur primum quod supponebatur.

Primum patet etiam ex principiis metaphysices, quia sine principiis essentialibus nulla res consistere potest, propter quod dicitur essentia rei immutabilis. Nam eo ipso, quod desit aliquid essentiale, res aliter constituta, non erit illa, quæ per talem essentiam constituenda erit. Unde hac ratione quidquid essentiale est, dicitur esse de primario conceptu rei, quia sine illo non solum esse verum, sed nec concipi potest. Atque hoc principio utuntur omnes theologi in materia sacramentorum, ut concludant in nullo casu posse confici sacramentum sine eo, quod essentiale illi est, nec in hoc posse cadere dispensationem humanam.

Ostenditur secundum.

Secundum etiam ex terminis notum est, quia si essentia et tota res quoad essentiam suam potest fieri et esse sine aliqua conditione, evidens est illam conditionem non esse absolute connexam cum tali essentia. Absoluta enim necessitas hic vocatur, quæ nullam patitur exceptionem: ergo eo ipso, quod admittitur exceptio, tollitur absoluta necessitas. Ostensum autem est in cap. 2 decretum hoc intelligendum esse de absoluta necessitate, quæ nullam omnino in ullo casu admittat exceptionem, ac proinde exigere illam conditionem præsentiæ tamquam essentialem, vel omnino connexam cum essentia hujus sacramenti. Ergo si rationes illæ tantam necessitatem non ostendunt, non possunt sufficiens et adæquatum fundamentum hujus decreti continere.

Ad rationem de actione personali in num. 8 positam.

14 Quod autem illæ rationes non probent absolutam necessitatem, qualem explicuimus, probatur facile discurrendo per singulas. Et in primis ad fundamentalem illam (quæ est Cajetani, eamque magnifaciunt Cano, Soto et Ledesma) scilicet confessionem esse actum personalem, bene responsum est solum probare talem actionem debere necessario prodire ab ipsamet persona pœnitentis, ita ut ipsa se accuset, ipsa de se testificetur, quod hoc vel illud fecerit, ipsaque suis propriis signis a se factis dolorem animi ostendat, et satisfactionem offerat. Hoc enim tantum significatur, cum dicitur aliqua actio personalis, id est, quod ab ipsa persona exerceri debeat, nec possit per solam aliam fieri. Et hoc sensu est certissima in præsenti hæc necessitas: tum quia concilia Florentinum et Tridentinum definiunt materiam hujus sacramenti esse actus pœnitentis: tum etiam quia in hoc judicio idem esse debet reus, accusator et testis, et ideo propria materia ejus est accusatio sui, in quo relativo reciproco concluditur quod accusatio et testificatio prodeat ab eadem persona, quæ judicanda est: et hoc est actionem debere esse personalem. Ut autem actio sit personalis, non est necesse, ut quatenus emanat, a tali persona scilicet confitentis, fiat coram alia persona, scilicet sacerdotis, quia non dicitur personalis confessori, sed confitenti, id est, habet quod sit personalis ex habitudine ad personam, a qua elicitur, non ex habitudine ad personam, ad quam ordinatur; quia videlicet fiat in præsentia ejus, vel quia debeat sensus ejus immediate et per se ipsam excitare ac movere. Hoc ergo ex alio principio investigandum est, non ex illo solo, quod actio sit personalis. Sicut in matrimonio consensus est actus personalis, non enim potest alius pro

me consentire, si ego dissentio; et ideo si post datam procurationem revocet consensum, qui illam dedit, priusquam procurator illa utatur, matrimonium per illam factum, nullum est; quia re vera procurator non præbet consensum essentialem matrimonio, sed applicat vel explicat consensum ejus, pro quo contrahit, qui ut actus personalis ejus est essentialis matrimonio. Sic ergo confessio est actus personalis, an vero sit illi essentiale, ut immediate fiat sacerdoti, ut Soto loquitur, seu coram sacerdote, alia quæstio est, quia hæc proprietas ex actione personali non necessario sequitur.

Ad alteram rationem de erubescentia pœnitentis in n. 11.

15 Nec etiam sequitur ex aliis proprietatibus confessionis, quæ in aliis rationibus tanguntur. Una est erubescentia illa, quæ in præsentia inter pœnitentem et confessorem nascitur. De hac autem evidens est non esse essentialem, imo aliquando fugi posse sine culpa, si bono medio fiat, ut quærendo confessorem, qui nec me agnoscat, nec fortasse amplius me sit visurus; tunc enim vel nullus, vel fere nullus rubor est confiteri, et tamen id procurare per se nullum peccatum est. Item sæpe locus confessionis ita constructus est, ut sacerdos pœnitentem videre non possit, quod consultissimum est, præsertim pro fœminis. Et tunc nulla est erubescentia respectu sacerdotis, maxime si confessor non possit ex voce pœnitentem agnoscere. Interdum etiam solet confessor esse cæcus, et pœnitentes ad illum libenter accedunt, et mutant etiam sonum vocis ne cognoscantur, et ut hoc modo de confessore non erubescant, in quo non peccant (per se loquendo). Erubescentia ergo per se necessaria ad confessionem esse debet apud Deum, et apud hominem est utilis ad majorem humiliationem, confessionem et satisfactionem; non est tamen ita necessaria, ut procurare vitare illam non sit per se licitum, nedum valori confessionis contrarium. Ergo ex hoc capite, quod absentia obstet erubescentiæ non ostenditur esse contra substantiam, imo nec contra honestatem confessionis. Quamquam hæc conditio, aliis adjuncta, juvet ut ille modus confessionis per se non liceat.

Ad rationem de secreta confessione in eodem num. 11.

16 Altera conditio, quæ ad hoc propositum in confessione consideratur, est, quia debet esse secreta. De qua certum et indubitatum est non esse essentialem, præcipue in hoc sensu intellectum, quod necessario debeat inter solum pœnitentem et confessorem transigi. Nam constat posse fieri per interpretem, et consilii gratia posse fieri coram homine literato, vel coram duobus sacerdotibus : et in necessitate fieri posse publice, et si oportuerit voce alta coram multis. Imo concilium Tridentinum sess. 14, licet in can. 6 definiat, modum hunc secrete confitendi coram solo sacerdote non esse alienum a Christi institutione, tamen in cap. 5 expresse declaraverat non prohibuisse Christum, quin propter majorem humilitatem et exemplum ecclesiæ possit quis publice confiteri, si velit. Ex hoc ergo solo capite non potest censeri nulla confessio, quæ per internuncium fieret. Eademque ratio est de illa, quæ fieret per scriptum, quia omnes doctores modo relati, et alii infra referendi fatentur inter confessorem et pœnitentem posse intervenire scripturam continentem peccata omnia, etiamsi de se sit instrumentum publicum, tum quia potest adhiberi cautio, ne in publicam notitiam veniat, tum quia in hoc potest pœnitens cedere juri suo, licet non teneatur. Unde licet mittendo talem scripturam ad absentem majus periculum publicationis interveniat, hoc etiam voluntarium est pœnitenti, qui nullo jure prohibetur in hoc etiam cedere juri suo. Modus ergo ille secrete confitendi regulariter servandus est propter usum ecclesiæ, et propter decentiam et reverentiam sacramenti, et propter scandala et inconvenientia, quæ frequenter licet per accidens adjungi possunt. Et ideo per se seu ordinarie non licet hunc modum confitendi immutare, tamen ex justa causa licet, non solum in necessitate extrema, sed etiam extra illam ob necessitatem confitendi semel in anno, vel non differendi multo tempore confessionem, maxime si quis habeat conscientiam peccati mortalis. Ergo etiam ex hac conditione non potest firmum fundamentum nostri decreti desumi.

Ad rationem de inconvenientibus ortis ex confessione in absentia in eodem num. 11.

17 Et hinc obiter responsum est ad tertium de inconvenientibus, quæ ex tali modo confessionis sequi possunt. Probat enim ad summum non licere usurpare hunc modum sine causa urgente, nec sine magna prudentia, non tamen probat esse intrinsece malum, multoque minus esse contra valorem sacramenti. De qua re iterum occurret sermo in fine hujus com-

Ad ultimam rationem ibidem.

mentarii. Cum vero quarto loco argumentantur, quia talis confessio nulli fit, quia nec fit nuncio, nec nuncius ipse confitetur sacerdoti. Respondemus eamdem argumentationem fieri posse de confessione facta per interpretem, quia nec pœnitens confitetur interpreti, qui non habet claves; nec interpres confitetur, quia non accusat sua peccata, sed narrat aliena. In quo exemplo dato utroque membro, addendum est tertium, et dicendum pœnitentem confiteri sacerdoti per interpretem. Unde interpres non confitetur, sed est organum, per quod pœnitens confitetur sacerdoti. Idem ergo de internuncio dicimus, et de quocumque alio, per cujus testimonium pœnitens suam confessionem defert ad confessorem, quando per se ipsum non potest. Eademque ratio est de scripto, nam pœnitens per scriptum confitetur sacerdoti, quia non potest aliter. Hoc enim sacramentum non habet determinatum instrumentum, vel signum ex parte materiæ, quod omnino essentiale sit; et ideo est permissum per scriptum confiteri, quando homo est mutus, vel alia ratione impeditus, ne voce possit confiteri. Et similiter licitum est nutibus confiteri, quando vox deficit, ut expresse definit Leo Epist. 89 alias 91, infra tractanda.

Ad auctoritates in num. 10.

18 Augustinus ergo in dict. cap. *Quem pœnitet* aperte loquitur de ordinario modo confitendi, qui non excludit exceptionem in casu necessitatis. Atque eodem modo locutus est D. Thomas in 4°; quod aperte ipse declarat in solutione ad 2^m^ dicens : *In eo, qui usum linguæ non habet, sicut mutus, vel qui est alterius linguæ, sufficit quod per scriptum, aut nutum, aut interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus quam possit.* Et subjungit fundamentalem rationem hujus materiæ, valde notandam : *Quamvis homo non debeat baptismum suscipere, nisi in aqua, quia aqua est omnino ab exteriori, et nobis ab alio exhibetur : sed actus confessionis est a nobis, et ideo quando non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri.* Sentit ergo D. Thomas pro articulo necessitatis nullum esse præscriptum modum confessionis, qui sit de essentia ejus.

Exponitur D. Thomas.

19 Solet autem urgeri, quia ibidem in solutione ad 3^m^ subjungit D. Thomas *potius esse faciendam confessionum laico præsenti, quam sacerdoti absenti :* quod absurdissimum dictu esset, si absenti sacerdoti posset fieri sacramentis confessio, cum confessio facta laico sacramentalis non sit. Sed hoc ipsum mentem D. Thomæ declarat. Loquitur enim de confessione facta absenti sacerdoti, ut in absentia consummetur, absque eo, quod sacerdos vocetur, ut in præsentia absolvat pœnitentem : talis enim confessio sacramentalis non est, ut infra ostendemus, et in nostro decreto est declaratum. In hoc autem convenit talis confessio cum confessione facta laico : et aliunde est periculosa propter infamationem, et non deservit ad erubescentiam, neque ad consilium et similia, ad quæ potest esse utilis confessio facta laico; et ideo hanc prætulit D. Thomas. Quid vero dicendum sit de confessione facta sacerdoti absenti, ut veniens in præsentia absolvat, infra videbimus.

Exponuntur alii auctores in n. 10 allati.

20 Similiter alii auctores, cum negant licere confiteri per nuncium vel scriptum, loquuntur per se et ordinarie absque causa cogente, ut fere omnes disserte explicant, approbantes confessionem per interpretem vel scripturam. Quod si dicas, eos loqui tunc in præsentia, non in absentia : respondeo verum esse : tamen nos etiam nunc non defendimus aliquam confessionem in absentia, nam de hoc postea videbimus. Solum dicimus ex hoc solo capite, vel usu talis signi, vel instrumenti non satis ostendi confessionem, in absentia factam, esse semper et in omni casu illicitam, nedum nullam. An vero ex alio fundamento ostendi possit, dicam in cap. 6 et latius in 3 parte hujus tractatus.

Quousque valeant num. 12 allatæ de necessitate præsentiæ propter notitiam a confessore habendam.

21 Cum ergo ex conditionibus confessionis, quatenus ex parte pœnitentis necessaria est, hoc fundamentum sufficiens sumi non possit, reliquum est, ut videamus, an possit saltem desumi ex notitia, quam sacerdos debet per confessionem pœnitentis comparare : et ad hoc tendunt aliæ rationes adductæ n. 12, quibus uti solent interdum auctores. Et præsertim Toletus supra, cum dixisset confessionem in absentia non esse confessionem, subdit rationem, *quia sacerdos non fit certus, quia potest esse fraus, et quia potest pœnitens esse mutatus, vel obiisse.* De his ergo congruentiis dicimus in primis procedere optime de consummatione seu confectione totius sacramenti inter absentes : nam si inchoetur per confessionem in absentia, ut consummetur per absolutionem in præsentia, cessant illa

incommoda : de quo infra videbimus. Deinde dicimus recte probari illis rationibus confessionem in absentia per se loquendo, et vi sua non esse sufficientem ad dandam confessori notitiam necessariam, ut hoc sacramentum ministret, ac proinde talem modum confitendi per se loquendo non esse licitum, nec sufficientem etiam ad valorem sacramenti, si temere et absque evidente necessitate usurpatur. Quod sane satis aperte docet Leo papa in citata epistola, si attente legatur. Dicit enim etiam in extremo mortis periculo necessarium esse manifestare sua peccata sacerdoti, *per indicia integri sensus*, si vox desit, et sacerdos adsit. At ille manifestationis modus non nisi circa personam præsentem locum habet : ergo ille modus confitendi per se necessarius est, si potestas adsit.

Non tamen valent ad omnimodam necessitatem probandam.

22 Nihilominus addo, illis rationibus non satis probari, et fundari eam necessitatem, quæ absoluta sit, et nullum casum exceptionis admittat. Ratio est, quia confessio, quatenus per illam datur confessori sufficiens notitia, eas maxime conditiones requirit, quæ ad integritatem ejus pertinent, quia propter eumdem finem integritas necessaria est. At integritas materialis, quam vocant, licet per se necessaria sit, non tamen in omnibus casibus et eventibus pertinet ad substantiam sacramenti, nec sub obligationem cadit. Quin potius interdum potest sine peccato omitti ob necessitatem, dummodo formalis integritas, et animus dicendi omnia non desit : ergo nec notitia sacerdotis de tota conscientia pœnitentis, et de dispositione ejus cum omni certitudine et sensibili experimento est simpliciter et in omni casu necessaria ad conficiendum hoc sacramentum : ergo ex sola necessitate hujus notitiæ non potest satis fundari absoluta necessitas illius præsentiæ.

Respondetur singillatim ad dictas rationes num. 12. Ad 1.

23 Quod melius confirmabimus discurrendo per conjecturas seu congruentias, quas in illo puncto adduximus. Prima erat, quia in absentia non possunt satis explicari omnes circumstantiæ peccatorum, et alia, quæ ad integritatem requiruntur: quæ ad summum probat tam necessariam esse præsentiam, sicut integritatem materialem, et vix tantum, quia *propter quod unum : quodque tale, et illud magis*. Atque idem dicendum est de secunda, quæ erat de necessitate interrogandi, et conferendi cum pœnitente : est enim hæc necessitas solum moralis, et ut plurimum; et clarum est non solum in extremo mortis articulo, sed etiam ob impotentiam aliam vel temporis vel linguæ etc. posse confessorem illa obligatione liberari. Tertia erat de tempore interpo- Ad 3.
sito, ex quo pœnitens suam confessionem misit, et sacerdos absens illam recepit. Sed in primis potest esse tam breve tempus, et tales circumstantiæ, ut moraliter non possit timeri mutatio; moralis autem certitudo satis est. Et deinde notitia illius temporis maxime postulatur propter integritatem, et ideo non potest esse magis necessaria, quam ipsa integritas. Aliqui vero in hoc vim faciunt, quod ratione illius temporis interpositi non est sufficiens simultas inter materiam et formam, ut possit ex illis sacramentum confici. Sed hoc nullius momenti est; quia hæc simultas est moralis, et non est ejusdem modi in omnibus sacramentis, sicut nec in omnibus actionibus; et ideo in hac actione judiciali satis est, quod accusatio eo tempore et modo fiat, quo moraliter fieri possit, et statim sententia sequatur. Denique ultima con- Ad 4.
jectura de certitudine materiæ magnam profecto latitudinem habet. Nam semper procuranda est materia certa, quando autem haberi non potest, et necessitas urget, satis est probabilis, imo ad applicandam formam sub conditione, satis interdum est materia dubia. Et quod in hoc sacramento sæpe non sit necessaria major certitudo moralis de dispositione pœnitentis, quam per fidem humanam fundatam in testimonio alicujus, aperte ostenditur in confessione facta per interpretem. Quodsi quis dicat in illo casu videre saltem confessorem signa pœnitentis : addamus confessorem esse cæcum, qui nullam certitudinem per visum accipere possit : numquid propterea non poterit suo munere uti? Itaque ex vi notitiæ, et certitudinis confessoris non probatur absoluta necessitas præsentiæ. Aliunde ergo fundamentum magis essentiale quærendum est.

Ad 2.

24 Est igitur necessario recurrendum ad formam absolutionis, in qua præcipue, et fere in illa sola consistit essentialis ritus hujus sacramenti, et in ea fundandum est hoc dogma et hoc decretum. At sane merito tum ex ratione generali, quod forma est, quæ dat esse rei, et ab illa manant

In forma pœnitentiæ consistit ejus essentialis ritus, et in ea fundandum est decretum pontificis.

proprietates rei maxime propriæ. Tum maxime quia hoc sacramentum primario institutum est ex parte formæ, dando ministris potestatem remittendi peccata, per illa verba : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, ut concilium Trid. definit sess. 14, cap. 1. A quibus Christi verbis absolutionis forma sumpta est, in qua præcipua vis hujus sacramenti sita est, ut idem concilium dixit cap. 3. Ac propterea solus sacerdos dicitur absolute ministrare sacramentum hoc, quia solus ille verba formæ profert, licet pœnitens materiam applicet. Ac denique quoad solam formam habet hoc sacramentum præscriptum essentialem ritum essentialium verborum; nam materia licet ordinarie per verba sit explicanda, non tamen habet in eo ritu essentialem determinationem, sed potest aliis signis fieri, prout necessitas, vel occasio tulerit. In forma ergo fundandum radicaliter est, quidquid ad valorem hujus sacramenti simpliciter necessarium est. Quod adeo verum est, ut ipsamet necessitas integritatis confessionis, et dispositionis pœnitentis in eadem forma, et in potestate a qua procedit, et in æquitate justitiæ, quam requirit, fundetur, ut ex concilio Trid., et aliis in doctrina de hoc sacramento constat. Atque hoc fundamentum in hac materia, quoad absolutam necessitatem præsentiæ, attigit Cajet. in Summa verb. *Confessio* in undecima conditione. Ubi post alias conjecturas, subdit hæc verba : *Monstrat autem hoc veritas formæ sacramentalis, cum dicitur : Absolvo te : nam* TO te *demonstrat præsentem personam. Sicut in eucharistiæ consecratione* TO hoc *demonstrat contentum sub præsenti hostia.*

Clavis scientiæ et clavis potentiæ in sacramento pœnitentiæ exercentur.

25 Ut autem hoc fundamentum explicemus advertendum est duas claves exercere sacerdotem ministrantem hoc sacramentum : una est clavis scientiæ; alia est clavis potentiæ, quæ est potissima, et proxime effectiva sacramenti. Nam prior ordinatur ad actum posterioris, præparando illi materiam. Est enim clavis scientiæ ad examinandam judicialiter conscientiam rei, in ordine ad ferendam in illa causa sententiam vice Dei, et ideo ad illam clavem pertinet omnis diligentia, quam sacerdos adhibet ad comparandam plenam notitiam talis causæ, et formandum judicium de qualitate sententiæ et satisfactionis, imponendo illam, vel remittendo, seu denegando. Postquam autem prior clavis perfecit suum actum, altera perficit sacramentum proferendo formam per potestatem remittendi peccata, quæ propterea clavis ordinis seu potentiæ dicitur. Ad usum autem utriusque clavis est necessaria et convenientissima præsentia ministri coram pœnitente, seu pœnitentis coram sacerdote, a quo absolvi debet. Et propterea fortasse dixit concilium Trident. sess. 14, cap. 2, noluisse Christum baptizatos in peccatum lapsos per iteratum baptismum ablui, cum id in ecclesia catholica nulla ratione liceat. *Sed ante hoc* (inquit) *tribunal tamquam reos sisti voluit, ut per sacerdotis sententiam, quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possint liberari.* Nam illa verba *ante hoc tribunal sisti* præsentiam rei coram judice solet in jure significare, et ita videtur indicasse concilium ad ferendam sententiam in hoc judicio, necessarium esse, ut reus coram judice præsentialiter compareat. Verumtamen, ut ex dictis colligi potest, ad usum clavis scientiæ hæc præsentia est convenientissima, et ex illa optima congruentia sumitur, ob quam talis præsentia jure divino postulata sit, tamquam omnino necessaria ad veritatem hujus sacramenti. Tamen illa congruentia non satis erat ad inducendam absolutam necessitatam ex vi institutionis, nisi in ipso ritu essentiali talis sacramenti aliquid adderetur, quod vi sua talem præsentiam omnino postularet. Hoc ergo adjunctum est in usu alterius clavis, qui in prolatione sententiæ per verba consistit. Nam limitatus est ille usus ad talia verba, quorum significatio et veritas præsentem reum seu pœnitentem requirant. Unde, quia sine tali forma et veritate illius numquam et in nullo casu potest licite et valide hoc sacramentum confici, ideo inter absentes in nullo casu celebrari potest.

Utraque clavis in suo usu requirit præsentiam pœnitentis.

Usus prioris clavis non tantam necessitate requirit dictam præsentiam, quanta usus posterioris.

26 Ut autem ex verbis formæ hoc colligamus, supponendum in primis est ad essentialem ritum hujus sacramenti pertinere, ut hæc forma voce humana ab ipsomet sacerdote hoc sacramentum ministrante proferatur. Quam rem nonnulli viri catholici in dubium revocare tentarunt, dicentes posse hanc formam scripto tantum pœnitenti datam seu notificatam ad hoc sacramentum constituendum sufficere. Quod

Ad ritum essentialem formæ pœnitentiæ spectant verba vocalia, et oppositum est temere dictum.

sane non sine magna novitate inventum, ac temeritate assertum fuit, ut in tomo de pœnitentia probavi. Primo ex consuetudine ecclesiæ, quæ semper fuit, ut hæc forma verbo proferretur : nec in tota antiquitate aliud legimus, et usque ad nostra tempora universaliter observatum videmus sine ullo actu contrario, de quo constare possit, vel quod factus sit, vel multo minus, quod sit ab ecclesia scienter toleratus. Secundo ex concilio Florentino definiente formæ hujus sacramenti esse verba, quod cum cum proprietate intelligi debet, dum aliud ex ecclesiæ consuetudine vel sufficienti auctoritate non constiterit, quod hic re vera non constat. Maxime cum idem concilium, quasi declarans vocem illam, *verba subjungit, quæ sacerdos profert, cum dicit, etc.* Ubi verbum proferre declarat sermonem esse de propriis vocibus. Quod tandem confirmatum est a concilio Trid. dicente in cap. 3. *Sacramenti pœnitentiæ formam* in illis ministri verbis positam esse : *Ego te absolvo etc.* Tertio quia hoc multum refert ad expressam significationem sacramentorum novæ legis, propter quod in omnibus ejusdem legis sacramentis ad essentialem ritum eorum pertinet, ut formæ eorum per propria humana verba ab corum ministris proferantur. Uno excepto matrimonio, in quo id fuit speciale, vel quia (ut supra dicebam) non recepit specialem ritum a Christo Domino, vel quia principalis ejus significatio magis in facto, id est in vinculo et consummatione, quam in verbis posita est. Et ideo in hoc sacramento specialiter dixit concilium Florentinum *regulariter* contrahi per verba. Ubi addens *regulariter* et ostendit se loqui de propriis verbis : et ubi ipsummet limitationem non addidit, a nemine addendam esse. Quarto quia alias sequitur posse sacerdotem tacentem vel mutum absolvere pœnitentem nutibus, vel inclinando caput, interrogatus ab ipso pœnitente, an remittat sibi peccata, vel alio signo ostendendo illam voluntatem, ut dando benedictionem, et condonationis signa ostendendo. Nam re vera licet peccaret, validum esset sacramentum, si propria verba humana essentialia non sunt : quod tamen dicere absurdissimum est.

Primo id probatur.

Secundo.

Tertio.

27 Atque ex hoc principio, quod certum esse debet, colligo nullum esse argumentum, quod ex generali ratione judicii sumitur ad probandum posse hoc judicium sacramentale inter absentes transigi; eo quod præsentia non sit de ratione judicii ut sic. Nam etiam propria vox humana non est de essentiali ratione judicii, vel sententiæ, et nihilominus est de essentia hujus sacramentalis sententiæ. Item e contrario in nonnullis judiciis humanis pertinet ad essentialem ritum humana lege præscriptum, quod sententia in scriptis proferatur : quod in hoc judicio necessarium non est, nec fieri debet. In nonnullis item sententiis humanis necessariæ sunt, et scriptura, et vox, scilicet ut sententia ex scripto legatur, licet id non sit de communi ratione judicii. Dices has speciales conditiones requiri, quando lex illas præscripsit, quod de hoc sacramento non constat. Respondeo imo constare satis ex verbis Christi : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* prout sunt ab ecclesia intellecta, et usu confirmata, tam in hoc sacramento, quam in cæteris : in nullo enim sacramento Christus præcepit, quasi in actu signato, *baptizate,* vel *consecrate* per verba, sed dum dixit, *baptizantes eos,* vel cum dixit : *Hoc est corpus meum :* et addidit, *hoc facite,* intelligitur dixisse, quasi in actu exercito his verbis, *baptizate,* et *consecrate.* Ita ergo cum dixit : *Quorum remiseritis etc.* vel *quæ solveritis.* Est enim eadem ratio de omnibus, ut ritus sacramentorum certus esset, et immutabilis, et ut expressam significationem contineret. Est denique eadem ecclesiæ traditio, ergo esse debet eadem certitudo.

Argumentum quod ex generali ratione judicii sumitur ad probandum posse pœnitentiam exerceri in absente nullum est.

28 Jam vero addendum est verba illa formæ, *absolvo te,* humana voce prolata, vi sua, et ad suam veram significationem requirere præsentiam ejus, qui absolvitur, ratione illius pronominis *te,* nemo enim ad absentem ita loquitur, ut ex omni usu et communi modo concipiendi constat. At dicet aliquis pronomen *te* non est essentiale; quia, licet essentialis sit designatio, vel nominatio personæ, quæ absolvitur, quia verbum *absolvo* simpliciter prolatum vel non significat verum, aut falsum, vel non definitum aliquem effectum, seu significationem ostendit; nihilominus non videtur essentiale, ut id fiat per pronomen *te;* potest enim in nomen proprium mutari dicendo, *absolvo Petrum,* et tunc potest dirigi ad absentem. Et ratione fieri potest in pronomen *illum* dicendo, *absolvo illum,* quod

Forma pœnitentiæ vocaliter prolata, requirit præsentem pœnitentem, propter pronomen *te.*

pronomen *te* non videri essentiale tripliciter objicitur.

optime cadit in absentem. Potest etiam mutari in illam formam : *Absolvatur servus Christi*, juxta proprietatem Græci ritus in forma Baptismi; nam in illo constat mutationem illam non esse essentialem, ac proinde validam esse formam, quæ ex modo suæ significationis præsentiam non postulat.

Urgetur primo ratio facta præcedenti numero.

29 Sed contra hoc urgeo dupliciter rationem factam. Primo quia eo ipso quod in hac forma requiritur vox humana, et talis est locutio, ut ad aliam personam referatur, ut illi significet, ex vi suæ institutionis, requirit præsentiam inter eum, qui loquitur, et alium cui loquitur. Nemo enim more humano loquendo, voce humana loquitur ad absentem, qui illum percipere non potest. Optimum exemplum est in illis verbis Christi Domini, Joan. 20 : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis;* per quæ Christus dedit apostolis potestatem in corpus suum mysticum. Unde recte colligunt communiter doctores, tunc non dedisse illam potestatem Thomæ, qui absens erat, quia Christus ita loquendo, solum ad præsentes loquebatur, quia soli illi poterant verba ejus percipere. Unde verbum *accipite* vi sua solum excitabat, et movebat præsentes, eisque solis significabat, ac virtute includebat totum hoc : *Vos qui adestis accipite* etc. Et re vera hic est communis ac proprius sensus omnis humanæ locutionis unius hominis ad alterum. At in hoc sacramento forma est vera locutio humana, per quam unus homo loquitur alteri homini; ergo vi sua tendit ad præsentem hominem, nec ad absentem potest, salva propria significatione et proprietate, proferri. Et huc accedit congruentia valde consentanea huic sacramento; voluit enim Christus Dñus, ut peccatores homines propriis corporalibus auribus sententiam suæ absolutionis audire possent, simulque crederent eamdem in cœlis proferri, cum magna consolatione, et spe veniæ, si per ipsos non impediretur.

Urgetur secundo.

30 Atque hinc sumitur secunda ratio, et responsio ad instantiam factam. Nam in primis omnis illa mutatio per se est illicita, cum sit contra consuetudinem ecclesiæ, nec video quo colore possit in ullo casu honestari. Deinde si illicite fiat, ut valida sit forma, necessarium est, ut retineat eumdem sensum essentialem et substantialem, quem habet ecclesiastica forma, ab universa ecclesia præscripta : hæc autem usitata forma vi sua requirit præsentiam, ut evidenter probat pronomen *te*. Ergo si mutatio permittatur, debet esse talis, quæ eamdem conditionem requirat.

Expeditur primum exemplum in contrarium allatum n. 28.

31 Unde illa forma, *absolvo Petrum*, satis dubia videri potest, quia raro ita loquimur ad eamdem personam, quam nomine proprio nominamus; sed potius videmur loqui cum alio, cum Joanne v. g. cui dicimus, nos absolvere Petrum. At forma hujus sacramenti essentialiter est locutio ad illum, qui absolvitur, ut forma ecclesiæ ostendit. Et ratio est quia in hoc sacramento omnis alia persona est accidentaria et impertinens, eo præsertim tempore, quo forma profertur : ergo cum forma ejus sit locutio facta alicui homini, plane non fit, nisi ipsi pœnitenti : ergo verba ex se postulant, ut talia sint, quæ ad illum referri possint, non ad alium tertium. At enim impossibile non est, ita loqui ad præsentem personam, quæ nomine proprio exprimitur; interdum enim ita fit, vel ad certius significandam personam, cum qua vel de qua loquimur. Ut si adsint multi præsentes, non satis designabitur persona per pronomen *te*, nisi aliquo alio signo indicetur, ad quem sermo dirigatur; et tunc solet proferri proprium nomen, certitudinis causa. Quod etiam interdum fit ad fugiendam offensionem locutionis per pronomen secundæ personæ, vel tertiæ, vel alio titulo majoris honoris. At hæ rationes et similes non habent locum in usu hujus formæ : quia et proferri solet cum solo pœnitente, et ex confessione prævia constat cum illo esse sermonem, et non cum alio : et in hoc tribunali, in quo confessor vicem gerit Dei, non est quod alios humanos respectus observet. Quocumque tamen modo quis temere utatur illa forma, oportet, ut cum eo, quem nominat, loquatur, alias non utitur illa forma ut æquivalente alteri : si autem cum illo loquitur, tamquam ad præsentem loquatur necesse est, propter rationem factam, et propter aliam, quam statim subjiciam.

Expeditur secundum exemplum allatum in eodem num. 28.

32 Illa vero forma, *absolvo illum*, in rigore non censetur æquivalens, ac proinde nec sufficiens, sicut in forma eucharistiæ si mutatur signum *hoc* in signum *istud* non censetur æquivalens, nec sufficiens forma, quia pronomen *istud* in rigore et proprie-

tate designat rem absentem : idem autem videtur de pronomine *illum*, comparato ad pronomen *te*. Quod si quis contendat etiam posse per pronomen *illum* designari personam præsentem, dico in hac significatione debere sumi, ut possit conjungi cum illa locutione, quæ ad ipsammet personam dirigitur, quam per pronomen designamus. Et ita loqui solemus ad personam præsentem, quando multi adsunt, et ex antecedentibus sermonibus, vel circumstantiis constare non potest ad quem vel de quo loquamur. Unde, quia in usu hujus Sacramenti vix potest hæc necessitas accidere, ideo non nisi ineptissime utitur quis illo signo tertiæ personæ, præter culpam temeritatis et periculi nihil faciendi. Ergo ex tali mutatione colligi non potest talem significationem illius formæ, quæ necessario requirat præsentiam non esse necessariam : quia vel illa mutatio est impossibilis, et corruptiva formæ, vel trahenda est et limitanda ad designandam personam præsentem. Accedit quod significatio formæ debet esse sensibilis, et non tantum intellectualis, quia sacramentalis est. Debet item esse satis determinata, et particularis, quia practica est et operativa; at vero nisi per illud pronomen designetur persona præsens, neutrum horum habere poterit : absens enim potius intellectu vel imaginatione designatur. Imo si dicatur *absolvo illum*, ut sensibilis sit significatio, oportebit ut motu aliquo, vel indicio sensibili ostendatur, ad quem sermo ille dirigatur. Ergo quocumque tandem modo forma proferatur semper vi sua requirit pœnitentis præsentiam.

Expeditur tertium exemplum in eodem n. 18 allatum.

33 Quocirca etiam in alia mutatione per verba : *Absolvatur Petrus vel Servus Christi*, eamdem significationem observari necesse est. Est enim advertendum verbum illud *absolvatur* non posse esse deprecativum, alias non esset sufficiens ad substantiam sacramenti, ut nunc ex propria materia suppono : quia repugnat actui judiciali. Item non debet sumi verbum illud de futuro, tamquam per illud præcipiatur alteri, ut postea absolvat, vel declaretur illum esse dignum absolutione postea tradenda. Debet ergo sumi in sensu imperandi de præsenti, et efficaciter. Ex quo necessario sequitur etiam debere dirigi ad personam præsentem, quia nemo imperat voce humana personæ absenti. Dices hoc esse verum de imperio, quo alius moveri debet ad agendum, quia tunc necesse est, ut percipiat imperium; secus vero esse de imperio, quod solum est ad aliquid agendum circa eum, cui imperatur, quia tunc poterit imperium operari, etiamsi ab illo non percipiatur, sicut nunc operabitur hæc forma circa surdum; vel licet tam submissa voce proferatur, ut non audiatur. Respondeo etiam præceptum practicum non fieri per vocem humanam natura sua et in significatione propria, nisi personæ præsenti. Ut in ordinatione cum per verbum imperativum dicitur : *Accipe potestatem* etc. vel *Accipe Spiritum sanctum :* re vera ex vitalis formæ requiritur personæ præsentia : quia non solent homines ita loqui ad absentes. Ratio est, quia etiam tale præceptum debet habere sensibilem significationem et designationem, maxime quando sacramentale est. Unde quamvis non ordinetur ad movendum alium ad aliquid agendum, ordinatur ad significandum illi, quid circa illum agatur, ut illud acceptet, vel voluntarie amplectatur. Quod si contingat illum non audire, id accidentarium est, et non mutat significationem verbi, quæ sola essentialiter consideranda est.

Objectio.

Responsio.

34 Ex hoc ergo fundamento (mea sententia) efficacissime concluditur pro materiæ capacitate, sacramentum hoc non posse absenti ministrari. Et quod me maxime movet, vix invenientur in aliis sacramentis fortiores rationes, quæ necessitatem præsentiæ concludant. Ergo si hæc in præsenti non sufficit, in omnibus sacramentis poterit res hæc in dubium revocari. Nam in eucharistia præsentia materiæ solum exigitur ratione formæ; quod si licet ad mutationes recurrere, ibi etiam locum habebunt. In baptismo etiam multo certius valet illa forma *Baptizetur N.* Quodsi dicas ibi requiri præsentiam propter contactum aquæ, sequitur profecto aliud absurdum, scilicet ex vi formæ non esse necessarium, ut idem qui profert formam lavet, quia hoc non exprimitur per verbum *baptizetur*. Unde necesse est respondere in illa mutatione retinendam esse significationem illam, ut non intelligatur imperari alteri, ut baptizet; sed esse imperium exercitum (ut ita dicam) ab eodem, qui profert verbum. Et hoc modo jam ex vi illius formæ etiam requiritur præsentia : ac proinde etiam in hoc sacramento idem tamquam necessarium obser-

Ex tractato fundamento concluditur in hoc sacramento requiri præsentiam pœnitentis, nec fortiores rationes id convincunt in aliis sacramentis.

vare licebit. Et ob eamdem causam non potest talis forma committi alteri, ut illam in præsentia proferat, nisi illemet sit sacerdos, qui constituatur minister talis sacramenti. Alioqui non posset ille eam proferre sententiam, et jus dicendo, sed solum referendo vel imprecando, quod ad formam hujus sacramenti non sufficit, ut concilium Trid. declaravit. Est ergo de intrinseca necessitate hujus sacramenti, ut inter præsentes conficiatur : merito ergo per hoc decretum declaratum est non licere confiteri sacerdoti absenti, et ab eodem absente absolutionem obtinere.

CAPUT V.

In quo gradu certum sit esse illicitum id quod per hoc decretum damnatur.

Duo in hoc capite tractanda.

1 Verba decreti sunt : *Propositionem hanc ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit.* Circa quæ duo explicare necesse est. Unum est, quomodo hæ censuræ locum haberent ante hoc decretum, ut per illud declarari potuerint : aliud est, an per hoc decretum sit illa propositio digna majori censura.

Pro primo supponitur decretum pontificis, qua doctrinale est, esse declarativum propositionis damnatæ.

2 In primo puncto supponimus ex dictis decretum hoc, quatenus doctrinale est, esse declarativum, et non proprie constitutivum, seu effectivum. Hoc enim posteriori modo posset per hoc decretum effici falsa illa propositio, *licitum est* etc., prohibendo illam de novo : sic enim propositio, in qua enunciatur aliquid esse licitum, potest nunc esse vera, et tamen lato præcepto, per quod prohibeatur, incipere esse falsa, cum res eadem, jam sit illicita, quia prohibita. Ut nunc vere dicimus esse licitum, comedere carnes feria quarta; si autem ecclesia id prohiberet, eo ipso esset falsum id dicere. Idem ergo potuisset in hac prohibitione contingere. Sed non hoc tantum modo, nec principali intentione factum est; sed de doctrina ipsa, qualis antea esset, judicatum est ac declaratum. Et hoc aperte significant illa verba : *Ad minus uti falsam damnavit.* Prius enim damnatur, quam prohibeatur propositio, et ideo prohibetur, quia damnatur, et non e converso.

Propositio damnata, semper fuit falsa.

3 Nec in hoc gradu censuræ est aliqua difficultas, quia verba illa potius moderantur, quam exaggerant damnationem. Meritoque potuit illa propositio tamquam falsa damnari quoad hanc partem, quia re vera falsa est, semperque fuit, juxta vera principia theologiæ et sacramentorum, ut superiori cap. probatum est. Neque obstare potuit huic declarationi quoad hanc partem aliquorum doctorum opinio, licet plures essent, quia revera non habebant solidum fundamentum, nec rem sufficienter discusserant, et quia ecclesiastica doctrina sicut lux splendet, et crescit de die in diem, prout ad ejusdem ecclesiæ utilitatem opportunum est. Et ad hunc finem data est Petro peculiaris clavis scientiæ, ut possit ex cathedra docere ecclesiam, et verum a falso discernere quando oportuerit.

Nec prædictæ damnationi obstat aliquos doctores tenuisse illas propositiones,

4 Major difficultas esse potest circa secundam particulam illius censuræ, in qua propositio illa *temeraria* declaratur, et ut talis damnatur. Etenim si hoc diceretur de hac propositione post hoc decretum, esset clarissimum absque ulla difficultate. Quæ enim major posset esse temeritas, quam illam propositionem affirmare, aut verum esse defendere contra pontificiam auctoritatem, in cujus comparatione omnium privatorum doctorum opinio vel auctoritas, etiamsi in unum coalescerent, quasi nihil putanda esset. At vero considerando propositionem illam secundum statum, quem habebat ante hoc decretum, difficile est, quomodo potuerit temeraria declarari. Est enim temerarium id, quod sine auctoritate, vel ratione cogente contra receptam sententiam vel communem sensum, profertur. At illa propositio asserebatur antea, et simpliciter tenebatur a gravibus auctoribus, non paucis, nec parum doctis, et piis, et tam in theologia, quam in jure canonico versatissimis, ut fuerunt Palud. Antonin. Adrian. Navarr. et plerique ex summistis Sylvestr. Tabien. Armill. et aliis. Ex his vero qui illam impugnabant, alii probabilem appellabant, ut Rutilius : alii dubitationem ostendebant, ut Soto, qui aliquando dixit fortasse esse veram; et Cano, inquit, sibi quidem non probari, *quamvis argumenta*, inquit, *quibus confutari solet non sint magnopere vehementia.* Quo ergo sensu, aut modo poterit illa propositio tamquam temeraria damnari.

temerariam non fuisse dictam propositionem ante decretum pontificis quomodo suadeatur.

5 Sunt qui ad tuendam hanc censuram conentur negare propositionem illam fuisse assertam ab auctoribus, qui referri solent in illius favorem. Nam Palud. quem fere

Quidam temerariam re vera fuisse asserentes negant ullos auctores eam

simpliciter asseruisse.

omnes alii referunt, illam sententiam illi tribuentes, eam non docet satis clare. Quamvis enim dicat in casu impotentiæ posse pœnitentem scriptam mittere confessionem ad sacerdotem absentem et hunc posse absolutionem rescribere, et utramque validam esse : tamen de absolutione non absolute dicit esse validam, sed ait : *Et absolutio valet plus, quam si fieret laico :* potest autem hoc exponi, quod valeat ut sacramentale quid, ad remissionem venialium, vel ad majorem impetrationem, aut ad censuram tollendam, non vero quia sacramentum verum conficiat. Unde cum reliqui auctores Paludanum sequuti sint, videntur in eodem sensu loquuti, ac proinde eorum opinio non obstat, quominus dicta propositio temeritatis damnari potuerit.

In quo sensu credi potest nullum auctorem asseruisse propositionem a pontifice damnatam.

6 Verumtamen duobus modis intelligi potest propositionem, in hoc decreto damnatam, non asseri ab auctoribus. Prior est, quia non proferunt illam simpliciter, nec approbant sub illis verbis *licere per literas, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.* Posterior sensus est, quod citati auctores non asserant in aliquo casu necessitatis et impotentiæ posse licite hoc fieri. In priori sensu facile id concedet, qui attente auctores legerit : nullus enim est (quem ego viderim) qui talem propositionem simpliciter approbet, vel tueatur. At in posteriori sensu difficile est negare, plures et graves auctores id asseruisse, vel ut absolute verum, vel saltem ut probabile practice. Fateor quidem ante Paludanum me non legisse sententiam illam in aliquo ex scholasticis doctoribus. Nam licet soleat attribui Alexandro Alensi, non tamen recte, quantum ad absolutionem pertinet. Namin 4 p. q. 18, membr. 4, art. 4, § 9, licet de confessione indicet posse fieri per scriptum, vel tertiam personam in necessitate, tamen de absolutione expresse subjungit, quod debet dari præsenti, et non absenti. Richardus etiam, qui refertur in 4 d. 17, ar. 2, q. 3, solum dicit esse opus supererogationis confiteri sacerdoti absenti; qualis vero sit illa confessio, et an a sacerdote absente possit dari absolutio, non declarat : quamvis dicendo esse opus supererogationis indicet esse utilem ad sacramentum, alias cur esset consulenda. Primus ergo qui hoc insinuavit, fuit Palud.; et quamvis addendo illam particulam : *Absolutio valebit plus, quam si fieret laico,* obscurum sensum reddiderit, nec satis explicuerit ad quid valeat talis absolutio : nihilominus ita illum intellexerunt posteriores theologi, et ideo communiter illa opinio tamquam Paludani circumfertur. Cui sensui magnam occasionem ipse dedit, tum dicendo id posse fieri in casu necessitatis, et non alias : quæ cautio in actionibus non sacramentalibus non esset necessaria; tum addendo illam absolutionem esse validam : ad quid enim aliud potest esse valida? Quod autem ait, *plusquam si fierit laico,* videtur dixisse, ut occurreret dicentibus, in illo casu melius esse confiteri laico quam sacerdoti; ipse autem ait melius esse confiteri absenti sacerdoti, qui sic potest absolvere, quod non potest laicus. Atque ita retulerunt ex Palud. et sequuti sunt Antonin. 3 p. n. 14, cap. 19, § 9, et Sylvest. verb. *Confessio* 1, g. 15, et nonnulli alii summistæ, et Adrian. in 4, 9. 1, de confessione ad 3, et Navarr. in dict. cap. *Quem pœnitet*, et copiosius magisque scholastice, quam cæteri, Palavos in 4 d. 17, disp. ult. sub finem §. *Reliquum est.*

In quo sensu videntur aliqui auctores illam asseruisse.

Quidquid auctores præfati censuerint, vere damnata est propositio de confessione in absentia a pontifice.

7 Quocirca non obstante horum auctorum opinione, dicendum omnino est, merito damnatam esse propositionem illam ut temerariam. Nec enim potuit in hoc error contingere. Quia, ut Augustinus ait in Enchiridio c. 17, non solum errat, qui affirmat falsa pro veris, sed etiam qui incerta pro certis, vel certa pro incertis affirmat. Sicut ergo Pontifex non potest falsa pro veris affirmare, ita nec incerta pro certis declarare, quia simpliciter non potest errare. Quomodo autem, aut cur illa propositio temeritatis damnetur, explicabitur propositam objectionem solvendo.

Prima responsio ad objectionem factam num. 4.

8 Duobus itaque modis respondere possumus. Primo decretum hoc duas partes continere, una est, in qua damnatur illa propositio, simpliciter prolata, *licere* etc. Alia est, qua prohibetur ne pro aliquo casu tamquam probabilis defendatur. In priori parte additur illa censura, per quam temeraria declaratur propositio in eadem parte damnata : talis autem propositio, sub illis terminis, et simpliciter, ac sine restrictione prolata apud nullum auctorem gravem reperietur, ut dixi : merito ergo temeraria dicitur. Quia in re gravissima temerarium semper fuit talem licentiam

hominibus dare. Nam qui dicit absolute hoc esse licitum, indicat esse in arbitrio hominum sic confiteri et absolvi. Et ita contra hanc partem non procedit objectio facta : negamus enim auctores ibi citatos illam propositionem docuisse. Quia licet dixerint in casu aliquo licere, non ideo dixerunt absolute licere, nec unum ex alio inferendum erat. Quia quod per se non licet, quamvis in casu liceat, non est simpliciter licitum, alioqui quidquid per epikeiam vel solam necessitatem licet, posset dici absolute licere, quod absurdissimum est. Alias dimidiare confessionem dici posset absolute licitum, imo et furari, quia in extrema necessitate licet. In altera vero parte, in qua talis propositio, magis stricta et limitata, etiam ad aliquem casum prohibetur, non additur temeritatis censura, sed tantum prohibetur, ne tamquam probabilis defendatur, aut ad praxim applicetur.

Occurritur cuidam oppositioni.

9 Dices, perinde fere esse declarare non esse probabilem, et esse temerariam. Quid enim magis temerarium quam in re tam gravi pertinaciter defendere opinionem non probabilem, aut illa in praxi uti? Item quomodo probabile non erat, quod a tot auctoribus non sine aliquod fundamento asserebatur? Respondeo pontificem in hac parte non declarare illam propositionem sic limitatam nunquam fuisse probabilem, ibi enim nullum est verbum declarans, sed tantum prohibens. Duo igitur facit. Unum est prohibere defensionem et usum illius propositionis, etiam ut probabilis in casu. Quæ prohibitio optime potuit fieri, sive illa prohibitio sic limitata fuerit antea probabilis, sive non : quia multa sunt uno tempore probabilia, quæ postea experientia ostendit vel nullo modo esse probanda, vel non expedire ecclesiæ, etiam in illo gradu probabilitatis. Aliud itaque per illam prohibitionem non tam declaratum, quam factum est, scilicet ut illa propositio jam non sit probabilis etiam pro aliquo casu, qualiscumque antea fuerit. Cum enim probabilitas propositionis non sit proprietas, quæ oriatur ex re ipsa, sed ex conjecturis, vel extrinsecis rationibus, sæpiusque ex humana auctoritate, facile est interventu majoris auctoritatis amittere propositionem aliquam probabilitatem, quam antea habebat. Ita ergo in proposito potuit contingere. Imo etiam dicendum est jam nunc esse temerariam illam propositionem, etiam cum illa limitatione *pro aliquo casu :* esto antea talis non fuerit, quia quoad hoc potest hoc decretum esse operativum, licet non sit declarativum. Prohibendo enim illam ut probabilem, vel utilem ad praxim, etiam pro aliquo casu, efficit plane, ut non sine magna temeritate possit defendi, vel affirmari etiam cum eadem limitatione. Quod magis ex altera parte hujus capitis constabit.

Altera responsio ad dictam objectionem num. 4.

10 Alius modus respondendi ad objectionem factam est, non omnem propositionem, quæ a multis doctoribus defenditur, eo ipso temerariam non esse. Multi enim doctores asseruerunt posse revelari secretum confessionis propter vitandam Reipub. proditionem, vel aliud simile detrimentum. Alii docuerunt posse revelari ad probandum secretum conjugum. Et nihilominus opiniones illæ profecto temerariæ sunt, ne quid gravius dicamus. Itaque illa descriptio temerariæ propositionis ampliatione aliqua vel distinctione indiget. Oportet enim in primis expendere, quando, et quomodo cœperit talis opinio introduci; quam firma ratione nixus fuerit, qui primus illam invenit; et quam exacta disputatione fuerit postea a pluribus admissa; et quod caput est, in qua materia versetur : nam pro materiæ qualitate accidere potest, ut auctoritas, quæ in una materia sufficeret ad tollendam temeritatem, in alia non sufficiat propter ejus gravitatem vel periculum.

vid. Covar in epist. 4, sap. 2, a. 10, num. 9, a. 10.

Exemplo declaratur proxima responsio.

11 Denique ut hoc magis declaremus, sicut dialectici et theologi distinguunt aliquam propositionem dupliciter esse per se notam, scilicet in se, vel quoad nos : ita existimo posse de temeritate distingui. Fieri enim potest, ut aliqua propositio vere, et in re fuerit aliquando temeraria : quia et omni auctoritate, et omni solida ratione erat destituta, et alioqui usui ecclesiæ, et gravibus auctoribus, ac rationibus repugnabat : et nihilominus quod vel per inadvertentiam alicujus, vel per temeritatem cœperit affirmari, et paulatim aliqua auctoritate obumbrari, ac subinde absque temeritate non temeraria judicari, quamquam revera numquam firmo satis fundamento vel auctoritate stabilita fuerit. Talem ergo propositionem in tali statu constitutam voco temerariam in se, licet jam non quoad nos. In se quidem, quia quasi ab intrinseco, et ex propria materia, propter pondus rationis, et antiquitatis

talis est : non vero quoad nos, quia jam non ex sola audacia profertur, sed sub specie alicujus auctoritatis Unde etiam hic habet locum distinctio de doctrina, et de personis : fieri enim potest, ut aliqua propositio in se temeraria sit, et tamen illam asserentes non sint temerarii, quia probabili auctoritate nituntur.

Applicatur præcedens exemplum ad rem de qua agitur.

12 Ita ergo de illa propositione ante hoc decretum censeo. Existimo enim ante Paludanum (si fortasse fuit primus auctor ejus) temerariam re vera fuisse, quia erat nova, in re valde gravi contra graviores theologos, Alexandrum Alensem, D. Thomam, Scotum et alios; et fundata in sola generali ratione judicii, quæ est valde infirma, considerata speciali institutione talis judicii. Nec propterea Paludanum temerarium appello, quia fortasse illum sensum non habuit, cui verba occasionem dederunt, vel si habuit, bona fide, et ex pietate quadam, et apparenti ratione ductus id protulit, quamquam sine sufficienti examine, ut ex ipso constat. Postea vero alii sub illius auctoritate, vel non bene intellecta, vel non satis examinata, bona etiam fide illi opinioni adhæserunt sine disputatione, et rigoroso examine. Quod genus opinandi et scribendi, re vera multo minus ponderis et auctoritatis habet, quam cum res diligenti disputatione expenditur atque deciditur. Id vero satis esse potuit, ut posteriores doctores sine temeritate potuerint illi opinioni adhærere, ac proinde ut quoad nos desierit esse temeraria, quamvis in se qualitatem suam numquam mutaverit. Pontifex ergo, qui potestatem habet observandi et tuendi doctrinam convenientem ecclesiæ, habet etiam a Spiritu Sancto lumen et directionem, ut de qualitate doctrinæ secundum se judicet, non curando, nec timendo quid per incuriam, vel inadvertentiam paulatim introductum sit. Atque hoc modo expensa qualitate hujus materiæ, et periculis contrariæ doctrinæ, potuit summus pontifex judicare propositionem illam esse temerariam in se, et expedire illam, ut talem, ecclesiæ proponere, et auferre speciem illam probabilitatis aut non temeritatis, quam ex auctoritate humana accipere cœperat. Et post talem declarationem, jam illa propositio temeraria est in se et quoad nos, nec temeritatis excusari poterit, qui illam defenderit.

13 Atque ex his facile declarari potest tertia pars illius censuræ, qua illa propositio scandalosa declaratur. Nam si sit sermo de formali propositione absolute prolata, prout in titulo decreti pro quæstione proponitur, non habet difficultatem ullam illa censura. Nam propositio illa scandalosa dicitur, quæ potest esse fidelibus occasio ruinæ, et introducendi in ecclesiam vel errorem aliquem, vel abusum in moribus. Utrumque autem in illa propositione simpliciter prolata invenitur. Possent enim simplices fideles ex illa colligere pro suo arbitrio vel commodo se posse absenti confiteri, et ab eodem absente absolvi; quod perniciosum valde esset, tum doctrinæ, tum moribus. Si autem sit sermo de illa propositione ut limitata ad aliquem casum extremæ necessitatis, sic nonnullum dubium habet, an illam censuram mereretur ante hoc decretum, et consequenter an illa censura comprehendatur. Primum patet, quia ex illa propositione sic limitata non potest dicta occasio sumi; quod si ab aliquo sumatur, erit scandalum passivum, non activum. Imo auctores, qui ita opinati sunt, ex quadam pietate movebantur, ut extremis necessitatibus peccatorum hominum copiosius subvenirent. Secundum vero ex hoc primo consequitur : nam si hæc pars scandalosa non est, non potuit ut scandalosa declarari, ut ex ipso textu colligi potest : quia illa censura in decreto non additur, nisi in prima parte, ubi propositio simpliciter damnatur; in secunda vero, ubi extenditur prohibitio ad omnes casus, nulla fit scandali mentio.

Propositio damnata a pontifice scandalosa est, si simpliciter, et absolute proferretur.

Limitatam vero ad casum extremæ necessitatis non videri scandalosum ante decretum pontificis.

14 Nihilominus existimo illam extentionem prohibitionis, ut in nullo casu doctrina illa probabilis reputetur, vel ad praxim applicetur, præcipue additam esse ad vitanda scandala, et occasiones tum dissensionum in doctrina, tum maxime abusuum in celebratione hujus sacramenti. Deinde existimo valde consideratum esse quod, uno vel alio casu admisso, facile esset ampliationes facere ex similitudine rationis, ut videmus in auctoribus, qui eam opinionem tenuerunt; prius enim visi sunt loqui de uno casu extremæ necessitatis, postea extensionem fecerunt ad omnem causam, quæ gravis et rationabilis videretur, ut ex Adriano et Palacios constat. Indeque facile fuisset de ipsa causa rationabili arbitrium facere, et usum illum nimium extendere. Atque ob hanc rationem existimo propositionem illam etiam sic

Probabilius est declarari dictam propositionem scandalosam, etiam ante decretum.

limitatam judicatam fuisse illa censura dignam. Certius vero est post illam prohibitionem pontificis mereri censuram illam; jam enim magnum scandalum esset contra pontificiam prohibitionem talem doctrinam probabilem reputare, aut defendere, vel ad usum applicare; quod per se notius est, quam ut aliqua probatione indigeat.

certius vero est talem esse post ipsum decretum.

15 Sed quæret aliquis, an gradus hujus censuræ cadant in illam propositionem, non solum quatenus in ea affirmatur talem usum sacramenti pœnitentiæ esse licitum, sed etiam quatenus affirmatur esse validum, ac subinde, an in eodem gradu certitudinis tenendum nunc sit factum illud esse nullum, ac esse illicitum. Videtur enim non esse ita certum, quia de primo habemus certitudinem per formalia verba decreti, quæ nullam rationem dubitandi relinquunt : de secundo vero minime; sed opus est magna consideratione et eductione. Nam formalia verba potius videntur id non comprehendere, ideoque magnos viros dubitare fecerunt : adeo ut ipsemet pontifex interrogatus, sine nova consultatione et examine respondere noluerit.

Propositionem damnatam a pontifice non videri censuras mereri, quatenus affirmabat validum fieri sacramentum in absentia, sed quatenus affirmabat esse licitum,

16 Nihilominus censeo sub eis censuris comprehendi propositionem illam, etiam quoad valorem actus. Nam quod falsa ibi declaretur, jam supra ostensum est cap. 1. Ratio autem falsitatis tota fundatur in ritu essentiali et necessario ad valorem Sacramenti : nec potest cum solido fundamento defendi, doctrinam illam esse falsam, nisi simul dicatur illud sacramentum sic factum seu intentatum esse nullum. Ergo quam esset temerarium dicere illam propositionem declaratam esse falsam sine solido fundamento, tam esset temerarium dicere sacramentum illud esse validum. Unde etiam clarum est fore scandalosum, quia si esset validum, facile esset occasionem arripere dicendi, aliquando saltem esse licitum. Ergo, considerato toto decreto, non dubito quin censuræ illæ utrumque sensum comprehendant. Fateor tamen hoc ipsum non esse tam certum de uno sensu, sicut de alio, quod probat ratio facta. Fieri enim potest, ut duæ propositiones secundum rectam rationem sint dignæ eisdem censuris, et tamen quod de una illarum certius proferatur, quam de alia; ita ergo judico de illis duobus sensibus illius propositionis, quia unus continetur in formalibus verbis propositionis, alius in ratione, ac fundamento, et modo damnationis et prohibitionis.

verius est censurari, prout utrumque affirmabat.

17 Quocirca cum majori certitudine applicantur censuræ ad priorem sensum de licito, quam ad posteriorem de nullo, quamvis re vera rationes ad utrumque debeant applicari. Audio tamen jam S. D. N. declarare utrumque comprehendi in illo decreto : quodsi de hac declaratione certo constaret, jam esset in omnibus æqualis certitudo; sed nondum de illa declaratione authentice constat, et nunc ex vi tantum decreti loquimur.

Certius tamen id dicitur de licito, quam de valido.

18 Superest ut de altera parte in principio posita unum verbum dicamus, an scilicet post hoc decretum sit illa doctrina digna majori censura, quam in ipso decreto declaretur : et in summa interrogo, an illa doctrina jam hodie sit de fide : ita ut illa propositio damnata sit hæretica reputanda. Videtur enim nullo modo id posse affirmari, quia actus agentium non excedunt intentionem eorum, nec verba legis et decreti rigorosi ultra id, quod ipsamet limitant, extendenda sunt. At pontifex suam damnationem limitavit per illa verba : *Ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam :* ergo ex vi decreti hujus nemo affirmare potest illam propositionem esse dignam majori censura, quia illa verba habent vim exclusive, scilicet ut in hoc gradu damnetur propositio, et non in majori. Unde quodammodo decretum sibi contradiceret, si ex vi illius propositio damnans in altiori gradu certitudinis constitueretur, quam per illa verba explicetur. Et confirmatur a simili, quando enim concilium Viennense declaravit opinionem de habitibus infusis inhærentibus esse probabiliorem, non fecit illam certam in majori gradu, nec in veritate ipsa, sed solum in majori probabilitate, quia ad hoc limitavit verba sua : ergo idem est in præsenti.

Agitur de 2 parte capitis num. 1 proposita, an propositio damnata sit hodie hæretica,

non videri hæreticam ratione probatur.

Confirmatur.

19 In contrarium vero est, quia hæc declaratio facta est a pontifice, ut pontifice ex cathedra docente universam ecclesiam : ergo declaratio ipsa est infallibilis veritatis in eo, quod docet. Docet autem illam propositionem esse falsam, ergo est infallibile ex vi hujus decreti illam propositionem esse falsam. Sed nulla propositio in hac materia est infallibiliter falsa, nisi quæ est hæretica : ergo talis propositio ex vi hujus decreti jam est hæretica. Primum antecedens suppono tamquam certissimum, tum

Videri nihilominus hereticam suadetur 1°.

quia alias non posset hoc decretum obligare totam ecclesiam; tum etiam quia alias nullius esset momenti, vel ad summum induceret pro illa sententia, quam tuetur, magnam quamdam auctoritatem humanam; tum maxime, quia verba decreti hoc ostentendunt, nam referunt S. D. N. *damnasse*, et *prohibuisse :* non prohibet autem, nisi ut pontifex : ergo nec damnat, nisi ut pontifex. Prima item consequentia certissima est, ut suppono ex materia de fide. Tota item secunda consequentia per se nota est. Quod autem omnis propositio infallibiliter falsa in hac materia sit hæretica patet, quia supponimus non esse falsitatem infallibilem ex contraria evidentia seu demonstratione : et ad hoc denotandum addidi illam particulam, *in hac materia,* idest in doctrina obscura, et quæ ex revelatione pendet. Hoc autem supposito constat aperte illam infallibilitatem non posse oriri, nisi ex revelatione divina, vel formali, vel virtuali, qualis est definitio facta cum assistentia Spiritus sancti. Ergo si est jam infallibile talem propositionem esse falsam, ex revelatione divina constat esse falsam : ergo jam est contraria divinæ revelationi, ac proinde hæretica. Item si illa est infallibiliter falsa, contradictoria est infallibiliter vera, ergo revelata a Deo immediate, et in se ipsa; ergo de fide.

Suadetur 2°. 20 Ex alio item principio potest hæc difficultas urgeri. Quia est infallibile summum pontificem, non posse errare in his, quæ pertinent ad mores totius ecclesiæ, ac proinde nec in tradenda debita materia, et forma sacramentorum, nec in præscribendo usu licito, vel illicito illorum, et maxime in eo usu, ex quo potest animarum salus æterna pendere. Sed hoc decretum hæc omnia continet, ut ex dictis constat : ergo certissimum ac de fide est non potuisse pontificem in illo perniciosum errorem committere. Esset autem perniciosus error, si in tali materia prohiberet doctrinam illam, ut falsam, quæ in re ipsa falsa non esset : ergo eadem certitudine tenendum est illam propositionem esse falsam, ac proinde certitudine fidei, quod est dicere esse hæreticam.

Plus videtur damnata propositio falsitatis, quam temeritatis, et scandali. 21 Quocirca licet fortasse existimari possit, plus fuisse damnare illam propositionem, ut temerariam, vel scandalosam, quam ut falsam; re vera in effectu plus fuisse videtur illam, ut falsam damnare. Quia non repugnat propositionem aliquam esse temerariam et esse veram; quia illa censura temeritatis oritur magis ex cognitione nostra, seu ex defectu ejus, quam ex re ipsa. Temere enim quis affirmat, quod non novit; et tamen fieri potest, ut in re verum affirmet. Itaque licet declaratio illa sit infallibilis, tamen quatenus cadit in censuram temeritatis, solum facit esse infallibile et fortasse de fide illam propositionem, nunc esse temerariam; tamen ex hoc præcise non faceret infallibile contrariam esse veram, quia temeritas non opponitur veritati. Ut si ecclesia definiat aliquam opinionem esse probabiliorem, vel contrariam esse improbabilem, nondum definiret alterutram esse veram, et ideo non facit veritatem de fide, licet forte faciat probabilitatem. At cum definit aliquid esse falsum, eo ipso definit oppositum esse verum, et consequenter veritatem ipsam constituit sub revelatione divina, et lumine fidei : ergo hac ratione plus esse videtur damnare propositionem aliquam, uti falsam, quam ut temerariam. Idemque dici potest de altera censura scandali : quia interdum aliqua propositio vera, incaute prolata, potest esse scandalosa propter ignorantiam hominum. Itaque etiam hoc attributum non nascitur ex re ipsa, sed ex habitudine ad nos : et ideo declaratio scandali non ita redundat in veritatem oppositæ doctrinæ, sicut declaratio falsitatis. Et ita reddit discursus factus, quod plus sit declarare authentice falsam esse propositionem, quam scandali damnare.

Suadetur 3°. 22 Unde tandem confici potest alia ratio : nam ex vi hujus decreti de fide est illam propositionem esse temerariam, et scandalosam, ergo etiam est de fide esse falsam, ac proinde hæreticam, ut probatum est. Antecedens patet, quia quando ecclesia authentice declarat attributum aliquod convenire alicui propositioni, licet non definiat propositionem ipsam de inesse, definit tamen modalem, seu affectam illo attributo, quia in eo habet infallibilitatem, ut in exemplo illo concilii Viennensis : licet non fecerit de fide illam propositionem : *Dantur habitus infusi;* fecit nihilominus de fide hanc : *Probabilius est dari habitus infusos ;* ergo idem est in præsenti quoad gradum temeritatis et scandali. Sed quia etiam ipsiusmet falsitatis declaratio facta est, videtur concludi contrariam veritatem esse de fide definitam.

Respondetur ad argumentum num. 17 positum defendendo dictam propositionem esse hæreticam nunc.

23 Neque erit difficile verbis decreti satisfacere, si partem hanc tueri voluerimus. Aliud enim est, quod decretum declarat, aliud quod facit : declarat enim illam propositionem veluti ex se, et absque hoc decreto habere illos tres gradus doctrinæ damnabilis, quamvis ante hoc decretum de illorum certitudine non constaret. Dum autem declarat hoc auctoritate divina, plus efficit, quam directe declaret; confert enim illi propositioni quemdam gradum certitudinis, quem antea non habebat, ac proinde non poterat declarari eo modo, quo alii declarati sunt. Quapropter nulla ex hoc sequitur repugnantia, quia verba decreti non declarant omnem certitudinem, quam propositio habet post decretum, sed quam antea habebat, vel quam postulabat ex se, vel ex aliis principiis, secluso hoc decreto; unde possumus etiam dicere dupliciter propositionem aliquam fieri de fide per decretum aliquod pontificium. Primo in actu signato, ut sic dicam, quia scilicet directe declarat hoc, vel illud esse tenendum, vel credendum sub anathemate, seu certitudine fidei. Secundo in actu exercito, quia proponendo authentice practicam aliquam veritatem ecclesiæ, ibi in actu exercito docet veritatem infallibilem ibi contentam. Ut proponendo ut licitam communionem sub una specie, virtute definit communionem sub utraque specie non esse præceptam jure divino. Ad hunc ergo posteriorem modum potest intelligi præsens definitio, ut satis declaratum est.

Dupliciter fieri potest aliqua propositio de fide.

Judicium Auctoris in hac quæstione.

24 Hæc vero disputando potius, quam definiendo dicta intelligantur; ultimum enim hujus rei judicium Sedi Apostolicæ remitto. Solum assero hoc decretum reddidisse hanc veritatem certissimam, et indubitabilem omnibus catholicis, et prudentibus theologis. Si tamen verius est rem adhuc non esse definitam tamquam de fide, nec propositionem illam esse hæreticam; necessario dicendum est, quando decretum dicit damnare illam propositionem, ad minus uti falsam; non loqui de falsitate quam infallibiliter habeat in re ipsa, sed quam debet habere in judicio, et communi æstimatione ecclesiæ; et hanc vult esse, non ut de re quæ sit contra doctrinam absolute revelatam; sed contra ita certam, ut propterea sit temeraria et scandalosa.

CAPUT VI.

Quæ propositio per hoc decretum directe vel indirecte damnata sit.

Cur proposita dubitatio hoc loco tractetur.

1 Videri potest hoc præpostero ordine collocatum : prius enim explicare oportebat, quid prohibeatur vel damnetur, postea de sensu et gradu prohibitionis tractare. Consulto tamen id fecimus, quasi supponendo id, quod clarum est, damnari videlicet propositionem illam, quæ in quæstionis titulo proposita est, ut in hoc capite possemus certa ab incertis distinguere, et ultimam difficultatem indicare, quæ sola in hac materia superesse potest, atque ita ad alias duas partes hujus commentarii aditum parare.

Proponitur quæstio distinguendo tres propositiones, unam hypotheticam, et duas categoricas illam conflantes.

2 Ut ergo id, quod inquiritur distincte percipiatur, tres hic propositiones distinguere possumus. Prima est illa hypothetica, seu composita, quæ in titulo decreti proponitur : *Licitum est confiteri sacramentaliter peccata sacerdoti absenti, et ab eodem absente absolutionem obtinere.* Aliæ duæ sunt duæ illæ propositiones categoricæ, ex quibus hypothetica constat per se, ac pure spectatæ sine connexione unius cum alia. Inquirimus ergo an hæc omnia directe et per se sint damnata in decreto, vel solum aliquid, et quid illud sit. Et rursus, an præter id, quod directe et formaliter damnatur, quidpiam aliud indirecte et virtute damnetur, et quid illud sit.

Proponitur aliter eadem quæstio, distinguendo tres opiniones, et inquirendo, an omnes, vel aliqua tantum damnetur.

3 Alio item modo hoc possumus explicare. Nam de confessione et absolutione in absentia triplex potuit esse opinio. Prima est utramque posse fieri in absentia, et ex ambabus sic factis confici verum pœnitentiæ sacramentum in aliquo casu necessitatis (cum hac enim moderatione semper loquemur, et subintelligenda semper est, licet brevitatis causa interdum non exprimatur). Secunda est, esto utraque simul in absentia facta non sufficiat, tamen si confessio in præsentia præcessit, et casu aliquo absolutio dari non potuit, vel data non est valide, posse in absentia dari. Et hanc opinionem quoad hanc secundam partem referunt Antonin. Sylvest. et alii, placuisse multis theologis ex his, qui ad concilium Basileense convenerunt, et ipsi eam non rejiciunt. Tertia est absolutionem numquam posse ferri in absentia,

sive confessio in absentia præcesserit, sive in præsentia, tamen interdum posse sufficere confessionem sacerdoti absenti factam : ut, si absolutio in præsentia conferatur, verum ex utraque conficiatur sacramentum. Difficultas ergo in præsenti est, an per hoc decretum omnes istæ opiniones damnatæ sint, et earum usus prohibitus; vel si non omnes, quæ sit prohibita, quæ vero adhuc subsistat.

1ª assertio tamquam certa præmittitur.

4 Prius vero quam rationes dubitandi, et opiniones, quæ esse possunt, proponamus, id, quod certissimum est, præmittamus. Dico ergo primo per hoc decretum formaliter directe et ex vi verborum damnari propositionem illam hypotheticam in titulo quæstionis propositam : ac subinde prohiberi eodem modo opinionem et usum ejus, quæ asserebat inter absentes posse confici sacramentum ex confessione facta sacerdoti absenti, et absolutione ab eodem absente data. Hoc constat primo ex verbis expressis decreti : nam proposita quæstione de illa propositione, respondetur : *SS. hanc propositionem damnavit*. Secundo, quia necesse est, vel hypotheticam, vel categoricam damnari, aut alteram earum. Si primum dicatur, habetur intentum : si secundum eo ipso etiam primum est verum, quia ut propositio copulativa falsa sit, satis est alterutram partem esse falsam : ergo ut illa damnaretur, satis esset alteram ex categoricis damnari. Tertio hæc assertio evidentius constabit ex sequenti.

Constat primo,

secundo.

2 assertio.

5 Dico secundo per formalia verba decreti non damnatur directe nisi illa composita propositio; singulæ vero categoricæ, per se, ac divisim sumptæ, non intelliguntur damnatæ ex necessitate, ac sola vi verborum. Non asserimus nunc solam illam propositionem de facto, aut ex mente pontificis esse damnatam per decretum : sed solum asserimus formalitatem, proprietatem et veritatem verborum non plus requirere. Sunt autem in summa verba decreti : *Damnamus hanc propositionem, licere confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere*. In quibus tria expendo. Primum, particulam conjunctivam *et* quæ ut est vulgare apud dialecticos, duas habet proprias significationes : nam potest accipi copulative, seu distributive, vel copulatim, et conjunctim. Et in priori sensu licet dividere propositionem compositam, seu hypotheticam, ita ut ad singulas partes, seu propositiones simplices veritas, aut falsitas, approbatio, aut damnatio pertineat : posteriori autem sensu non licet dividere totam propositionem, nec ad singulas descendere, sed de tota ipsa prædicatum, quod ei attribuitur, verificare. Et utraque illius culpæ significatio tam propria est, ut de se reddat propositionem ambiguam, nisi ex materia et circumstantiis constet in qua significatione sumatur. In præsenti ergo potest illa particula *et* in posteriori significatione sumi, quia nihil est, quod repugnet, et satis est ut in omni proprietate illa propositio per modum unius damnetur absque necessitate descendendi ad singulas partes secundum se spectatas, sed tantum ut inter se connexas. Vel si copulative sumatur, satis erit ad damnationem totius, ut altera simplicium propositionum damnabilis sit, quia sicut ad falsitatem totius copulativæ sufficit unam partem esse falsam, ita ad damnationem ejusdem satis est, quod una ex categoricis damnabilis sit.

Ad probandam assertionem expenditur primo duplex significatio copulæ *et* positæ in decreto.

In decreto copula *et* sumitur in secunda significatione.

6 Potestque manifestis exemplis declarari : hæc enim locutio propriissima, et verissima esset : *Catholica fides damnat hanc propositionem, licitum esse dare mutuum infideli, et ab eodem infideli aliquid ultra sortem accipere*. Quis enim neget hanc locutionem in prædicto sensu, et in omni proprietate, et usitata significatione verborum esse verissimam; quia non licet mutuum dare etiam infideli, ut aliquid ultra sortem ab eo accipiatur. Per hoc autem non damnatur absolute illa prior pars, *licitum est mutuum dare infideli* per se et simpliciter sumpta, ut per se notum est. Aliud exemplum est, quia fides damnat hanc propositionem : *Præceptum divinum est, ut laici omnes a sacerdotibus corpus Christi sub speciebus panis accipiant, et ab eisdem sacerdotibus sanguinem Christi sub speciebus vini recipiant :* quia est falsa propositio hypothetica, quamvis non sit falsa utraque categorica, ex qua constat.

Id probatur exemplis.

1.

2.

7 Atque ita optimum hujus rei exemplum sumi potest ex illis verbis Joan. 6 : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis :* nam juxta catholicum sensum copulatim, et conjunctim accipienda sunt, ita ut sensus sit, si neque carnem manducaveritis, neque sanguinem biberitis : unum enim illorum necessarium est, non

Tertium exemplum.

autem utrumque simul. Simile vel clarius exemplum sumetur ex verbis illis Lucæ 16:
4. *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit mœchatur :* necessario enim intelligenda sunt de illo, qui ita dimittit unam, ut simul alteram ducat : nam qui dimittit suam, et alteram non ducit, non mœchatur, imo aliquando potest licite id facere ratione
5. adulterii, ut dicitur Matth. 19. Possumus etiam ex jurisperitis aliud exemplum afferre : apud illos enim hæc propositio vera est : *Qui errat in jure et in facto, excusari potest et præscribere :* et nihilominus utraque pars per se sumpta non est vera, sed altera tantum, nam qui errat in jure non excusatur nec præscribit; qui vero errat in facto excusatur. Hic ergo sensus et proprius, et usitatus est in similibus locutionibus. Igitur quantum est ex formalitate verborum ac sermonis interpretatione, illa non solum est decreto contraria, verum potius est illi maxime consentanea.

Ratio assertionis a priori.

8 Ratio autem a priori est, quia ille sensus conjunctivus seu complexivus sæpe est ad veritatem sermonis necessarius, et non sunt alia verba magis propria, quibus significetur. Item quia potest hypothetica esse falsa et prohibita, etiamsi non singulæ categoricæ falsæ sint, vel prohibitæ per se, ac divisim sumptæ : sed sufficit, vel quod una earum sit falsa et prohibita, vel quod si altera etiam prohibetur, solum sit, quatenus ad aliam ordinatur, et cum illa connexionem habet, licet per se, et simpliciter, vel sub alio respectu licita esse possit, ut ex exemplis datis clare patet.

Confirmatur.

9 Et confirmatur in præsenti, nam si pontifex voluisset utramque categoricam per se, et absolute sumptam, damnare absque ordine unius ad aliam, clarius id faceret, utendo particula *vel* hoc modo : *Damnamus dicentes licitum esse confiteri absenti, vel sacerdote absente absolutionem obtinere.* Sic enim utraque pars per se sumpta damnaretur, quia per negationem inclusam in verbo *Damnamus* distribuitur particula disjunctiva, et applicatur damnatio ad singulas partes. Et hic modus loquendi est usitatus in conciliis, ut in Tridentino, sess. 6, can. 10 dicitur : *Si quis dixerit homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit justificari, aut per eam formaliter justos esse, anathema sit.* Sic enim utramque partem per se damnat, nec talis locutio alium sensum admittit. At vero particula *et* in primis ambigua est, et admittit sensum conjunctivum, seu copulativum : et deinde licet copulative sumatur, ita ut ad singulas partes liceat descendere, non requirit in rigore damnationem utriusque partis, ut copulativa tota damnetur, sed sufficit alteram partem damnabilem esse. Ergo ex vi illius particulæ non cogimur aliter interpretari hoc decretum.

Objectio solvitur multipliciter.

10 Dices interdum in jure licitum esse particulam *et* disjunctive interpretari, ut est regula juristarum. Respondemus, nunc 1.
nos non dicere illam interpretationem non esse possibilem, sed solum non esse necessariam; item non esse juxta rigorem et proprietatem vocis. Unde ipsi juristæ dicunt, tunc solum esse admittendam illam interpretationem, quando materia cogit, quia ex alio sensu sequeretur sensus absurdus : quod in præsenti dici non potest, ut ex sequentibus constabit. Rursus, si ali- 2.
quando admittitur illa interpretatio, ut benignior, esto necessaria non sit, solum est in materia favoris, ita ut interpretatio in gratiam et favorem redundet, non in rigorem. In præsenti autem illa interpretatio augeret rigorem potius, quam favorem : quia damnatio et prohibitio per se ad rigorem pertinet, et illa extenditur per illam expositionem, ut per se constat, et ex dicendis evidentius fiet. Denique habere po- 3.
test locum illa extensio et interpretatio, quando illa verba vel circumstantiæ legis illam induunt : at in hoc decreto nihil tale invenitur, sed potius alia verba fere cogunt ad intelligendam illam particulam in sua proprietate.

Expenditur secundo duplex signum demonstrativum *Hanc*, et *ista*.

11 Unde secundo loco expendo signum illud singulare demonstrativum : *Hanc propositionem damnavit,* et iterum : *Præcepitque ne ista propositio.* Nam illud signum 1.
demonstrativum singulare *Hanc* non solum permittit, sed etiam cogit, ut in omni proprietate sermonis intelligamus unam tantum propositionem fuisse damnatam directe et formaliter. Quod si est una tantum, quæro an sit categorica, vel hypothetica. Primum dici non potest, ut per se constat; ergo cogimur dicere secundum. Præterea 2.
certum est potuisse sanctissimum illam propositionem damnare in sensu hypothetico explicato, cur enim non potuisset? Si ergo id facere voluisset, quibus aliis verbis præstare potuisset? Profecto nullis, nisi dicendo : *Damno hanc propositionem :* Licitum

est etc. E contrario vero si voluisset damnare duas propositiones categoricas per sese, ac divisim, non satis hoc expressisset dicendo 5. *hanc propositionem*. Ergo præterea more dialectico ita hoc declaro: nam sub termino vel signo singulari determinato non licet descendere ergo; sub illo signo *hanc propositionem* non licet descendere, sed immobiliter accipere totam illam propositionem, quæ designatur tamquam damnata. Quocirca ut alteri expositioni locus daretur, oporteret dicere vel singulare positum esse pro plurali virtute, repetito scilicet *damnavit hanc* et *damnavit hanc :* vel certe vocem illam *hanc propositionem*, æquivalere huic: *hanc doctrinam ;* sub quo termino doctrinæ possunt facilius plures propositiones ostendi, quia sub nomine doctrinæ singulæ designari possunt, et omnes simul etiam componunt unam doctrinam. Hæ vero expositiones extrahunt verba a sua proprietate, et violentæ sunt. Unde quamvis admitti possent, quando materiæ necessitas cogeret, vel si ex alio sensu proprio absurdum aliquod sequeretur : tamen sine causa et necessitate non est cur admittantur, maxime ad extendendam materiam odiosam.

Expenditur tertio relativum *ab eodem*.

12 Tertio expendo illud relativum identitatis, *et ab eodem absente absolutionem obtinere;* non enim parvam vim habet ad confirmandum sensum conjunctum et hypotheticum illius contextus. Nam plane indicat sermonem esse de uno toto sacramento, quod ex confessione facta sacerdoti absenti, et absolutione ad eodem absente expectata conficiendum est. Et hoc totum factum ibi damnatur, ergo ex vi illorum verborum sola illa propositio ex illis duabus partibus constans formaliter damnatur.

Objectio.

13 Dices : Qui fieri potest ut totum illud factum damnetur, quin singulæ partes, seu actiones, tam pœnitentis, qui absente sacerdoti confitetur, quam sacerdotis absentem pœnitentem absolventis, damnentur? Si enim illæ non damnantur et prohibentur, quid est, quod damnatur? Damnata ergo tota illa propositione, necesse est singulas partes damnari. Nec dici potest damnari unam et non aliam partem; tum quia damnatio absolute cadit in totam propositionem; tum etiam quia tam pœnitens, sic confitens, quam sacerdos, sic absolvens, graviter peccat, et si nunc id facerent, contra hoc decretum committerent.

Respondetur objectioni.

14 Respondeo, ideo me semper dixisse per illa verba formaliter non damnari singulas partes per se, et absolute spectatas : quia, ut ad invicem relatæ, et conjunctæ ad componendum illud factum integrum, sine dubio ambæ sunt prohibitæ et damnatæ, ut convincit ratio facta. Itaque quoties pœnitens confitetur sacerdoti absenti, ut ab illo absente absolvatur, et sacerdos illum absentem absolvit, uterque graviter peccat, et contra hoc decretum delinquit. Et hoc modo considerantur illæ duæ partes, ut inter se relatæ, et conjunctæ ad unum factum damnatum componendum, et ita sine dubio ambæ prohibitæ sunt et damnatæ. Possunt tamen singulæ considerari sine tali conjunctione, ut si confessio fieret absenti, non ut absens absolvat, sed ut veniat ad absolvendum in præsentia, vel e contrario: et hoc modo dicimus singulas illas partes non esse formaliter et expresse damnatas per illa verba. An vero aliquo alio modo damnatæ sint, videbimus in sequentibus. Unde etiam constat, ex tribus opinionibus supra insinuatis, expresse ac formaliter damnatam esse illam, quæ dicebat, sacramentum posse confici inter absentes. Quid vero de aliis duabus dicendum sit, ex dicendis fiet manifestum.

3. assertio.

15 Dico tertio, ex vi hujus decreti satis declaratum est absolutionem sacramentalem non posse cadere in personam absentem, quamtumvis confessio in præsentia præcesserit : unde implicite et virtute damnata hypothetica propositione, damnata in universum est categorica propositio, asserens absolutionem in aliquo casu dari posse personæ absenti. Contrarium hujus assertionis voluerunt aliqui inferre ex præcedenti, quia licet aliqua propositio hypothetica simpliciter declaretur falsa, non sequitur alterutram ejus partem determinate falsam esse; sed ad minus relinquitur incertum, an propter aliquam partem illarum tota propositio composita falsa dicatur, vel propter utramque; et si propter unam, quænam illa sit : ergo ex decreto nihil certum constare potest, quoad damnationem hujus partis. Imo interdum potest damnari propositio hypothetica, neutra part eper se damnata, aut falsa existente, ut hæc propositio : *Licitum est mane sumere jentaculum, et communicare* damnabilis est, licet singulæ partes divisæ veræ sint. Dictum autem est per hoc decretum forma-

Contra assertionem arguunt aliqui ex præcedenti.

Primo.

Secundo.

liter damnari hypotheticam : ergo ex vi illius neutra categorica, per se spectata, damnata est.

Probatur tamen assertio primo.

16 Nihilominus assertio posita certa est, et de mente Sanctisimi, ut alias etiam nobis certo constat, et ex ipso decreto, et ratione, ac materia ejus plane convincitur. Primo quia quando aliqua propositio hypothetica simpliciter damnatur, eo ipso damnatur illa pars, quæ est ratio, et fundamentum falsitatis totius : sed ostensum, est fundamentum falsitatis illius propositionis : *Licitum est confiteri absenti, et ab eodem absente absolvi*, maxime positum est in verbis formæ, quæ non possunt vere proferri circa personam absentem : ergo æque damnata est illa pars de absolutione, sicut tota propositio de toto sacramento. Major est per se clara, quia damnatur propositio tota ratione suæ falsitatis, ergo si falsitas provenit ex alterutra parte, illa

Confirmatur.

maxime damnatur. Et declaratur in exemplo supra posito de illa Christi propositione : *Qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, mœchatur :* nam ex illa recte sequitur etiam eum mœchari, qui alteram duxerit, licet priorem non dimittat; quia ratio damnationis prioris facti maxime est ducere secundam vivente prima; ita ergo est in præsenti.

Diluitur quædam objectio.

17 Dices, esto hoc verum sit, tamen in hoc decreto non declarari, quod ratio hujus damnationis sit posita in verbis absolutionis, et in determinato ritu eorum : ergo ex vi decreti dici non potest partem illam, per se spectatam, etiam esse damnatam. Respondeo rationem legis esse animam legis, et ideo quando ex re ipsa, de qua agitur, et ex materia propositionis satis constat, in qua parte hypotheticæ sit potissimum fundamentum falsitatis totius; quamvis hoc non expresse et formaliter declaretur in lege seu decreto, re ipsa et (ut sic dicam) in actu exercito satis declarari. Ut in exemplo adducto, Christus Dominus non declaravit formaliter cur mœchetur is, qui suam uxorem dimittit, et aliam ducit; tamen quia ex materia hoc satis notum est, ideo Christus id affirmans satis etiam sua auctoritate confirmavit hoc simplex dogma; mœchiam esse ducere secundam uxorem vivente prima. Ita ergo dicimus in præsenti auctoritate hujus decreti satis confirmatum esse numquam posse absolutionem dari absenti, eo ipso quod declaratum est, sacramentum pœnitentiæ non posse confici inter absentes, quia ex materia satis notum est hoc præcipue verum esse ratione formæ.

Dilutio confirmatur primo.

18 Potestque hoc optima ratione confirmari, quia hoc sacramentum tunc conficitur, quando forma profertur, quia præcipua ejus vis in forma existit, ut concilium Trid. dixit, et quia ritus sacramentalis ejus non est proprie definitus, nisi ex parte formæ, et ita tota institutio ex parte illius directe facta est, reliqua vero consequenti quadam ratione sunt instituta, quatenus ex potestate ad illam formam vere proferendam consequutione quadam sequuntur : ac denique ideo solus sacerdos, qui profert formam, est proprius minister hujus sacramenti : ergo cum hoc decretum declaret non posse confici hoc sacramentum inter absentes, eo ipso declarat non posse formam proferri circa absentem. Imo magis quodammodo hoc declarat juxta Aristotelicum dogma : *Propter quod unumquodque tale, et illud magis*. Hic enim forma est id, propter quod totum non potest confici inter absentes. Nam si in aliquo casu posset absolvi absens, quæ posset ratio reddi, ob quam totum sacramentum non posset etiam confici inter absentes? Profecto nulla. Unde

Confirmatur secundo.

etiam sumitur optima confirmatio, quia quidquid necessarium est, ut aliqua definitio vel authentica declaratio habeat solidum fundamentum, et non reddatur inanis ac frivola, intelligitur eadem definitione comprehensum, quamvis formaliter non declaretur, sicut in citatis verbis Christi videri potest : ita vero est in præsenti, ut satis ostensum est, ergo etc.

Ad id quod in num. 15, arguebatur contra tertiam assertionem.

19 Unde satisfactum jam est rationi dubitandi : nam id, quod apparere potest non satis declaratum per formalia verba legis, potest esse satis determinatum, et certum ex materia et ratione legis, et ita est in proposito, ut exposuimus. Quod autem dicebatur, interdum esse hypotheticam falsam, etiamsi neutra pars falsa sit, verum non est, nisi quando in hypothetica involvitur aliqua habitudo vel compositio partium inter se veritati repugnans. Ut in illo exemplo, quod liceat sumere mane jentaculum, et communicare : si solum consideremus absolute hypotheticam illam, non invenietur falsa, quia potest utrumque esse licitum, si debito ordine fiat, scilicet communicando prius, et postea jentaculum

sumendo. Unde illa non est falsa, nisi quatenus præter absolutam affirmationem utriusque partis, affirmatur determinata eorum habitudo, scilicet esse licitum prius sumere jentaculum et postea communicare. Et idem est in similibus. Et seclusa hac affirmatione ineptæ compositionis aut ordinis, non potest propositio hypothetica esse falsa, nisi ratione partis alicujus. In præsenti autem constat, seclusa forma absolutionis, et ratione in illa fundata, non esse in compositione, vel connexione, aut habitudine talium partium specialem deformitatem, aut repugnantiam, ob quam copulatio illarum falsitatem includat, et ideo considerata materia, de qua agitur, et intentione ac ratione decreti, evidens est partem etiam illam, quæ ad absolutionem pertinet, per se damnari.

Exploditur amplius.

20 Eo vel maxime, quod impossibile fere est totam confessionem in præsentia præcedere et absolutionem postea in absentia rite dari. Nam si prius quis præsenti sacerdoti confessus est, et ab ipso tunc non absolvitur, postea vero absens absolvatur, necesse est tempus aliquod intercedere inter priorem confessionem et absolutionem. De illo autem tempore nihil constat per priorem confessionem : ergo non potest de toto illo tempore dari absolutio; nam temere dabitur, et cum periculo absolvendi hominem indispositum, et non integre confessum. Nec satis est dicere, posse sacerdotem habere probabilem conjecturam, quod pœnitens non peccaverit mortaliter eo tempore, quia morale non est, ut de hoc sufficiens certitudo habeatur, maxime quando præcedens confessio fuit de peccatis mortalibus, quia similia facile possunt ab eodem committi; et maxime quia de internis actibus nulla potest esse conjectura sufficiens, nedum certitudo. Ac denique quia qualiscumque sit illa cognitio, non pertinet ad hoc forum, in quo necesse est, ut pœnitens reddat rationem conscientiæ suæ judici de toto tempore, ex quo confessus non est, usque ad tempus absolutionis.

Opinio dicens absolutionem datam sine jurisdictione posse dari in absentia, jurisdictione obtenta, falsa est.

21 Unde opinio illa, quam referunt, et probare videntur Antoninus et Sylvester, et nonnulli alii moderni de sacerdote, qui sine jurisdictione absolvit, quod petita jurisdictione possit iterum absolvere absentem, satis damnata est per hoc decretum; et re vera numquam debuit judicari probabilis, tum propter rationem proxime factam : tum etiam quia illa confessio, quæ præcessit legitima non fuit, utpote coram non judice facta; et ideo non potest esse materia sacramenti, nisi iteretur, vel uno verbo, aut signo ratificetur; ad quod necesse est (saltem per se loquendo) præsentia pœnitentis, qui coram eodem sacerdote illa peccata clavibus subjiciat : nam antea re vera subjecta non fuerant.

An confessio facta in absentia, etiam ut absolutio detur in præsentia, per decretum damnetur.

22 Jam vero superest dicendum de confessione in absentia, an eodem modo sit in universum et sine ulla exceptione reprobata per hoc decretum sicut absolutio in absentia : non solum quando talis confessio ordinatur, ut cum absolutione in absentia conjungatur; nam hoc modo constat perpetuo esse reprobatam; sed etiamsi ordinetur ad absolutionem in præsentia obtinendam. Nam ex similitudine rationis videtur idem dicendum esse de confessione, quod de absolutione; cum decretum æque, et eodem tenore verborum de utraque loquatur. In contrarium autem est, quia in aliquo casu videtur necessario admittenda, ut licita et valida, aliqua confessio in absentia facta, si postea per absolutionem in præsentia informetur. De quo casu fusius disputandum est in parte sequenti, et ideo usque ad finem tertiæ partis hujus operis hanc dubitationem non expediemus.

PARS SECUNDA HUJUS TRACTATUS.

DE VERO SENSU DECISIONIS LEONIS PAPÆ CIRCA POENITENTIAM DANDAM ÆGROTO EXTREME INDIGENTI QUI IN PRÆSENTIA SACERDOTIS ILLAM POSTULARE NON VALUIT.

CAPUT I.

Proponitur casus, et responsio canonum, ac difficultas quæ ex illa nascitur, et vulgaris evasio refertur.

Casus proponitur, ejusque difficultas augetur ex decreto Clementis VIII.

1 Contingit sæpe, ut homo repente incidat in extremum mortis periculum, et tunc pœnitentiam et absolutionem sacramentalem petat, signaque contritionis exhibeat, ac sacerdotem quem nondum habet præsentem, cui confiteatur, vocandum mittat; interim tamen, dum venit, solet ægrotus loquelam et sensum amittere, ita ut veniens sacerdos, et omnem diligentiam adhibens, nullum a tali ægroto signum pœnitentiæ aut confessionis obtinere possit : circumstantes vero, qui præsentes fuerunt, quando pœnitentiam petiit, de illius voluntate, et petitione, et de signis pœnitentiæ ab eo exhibitis testimonium præbent sacerdoti. De hoc ergo casu vulgaris et antiqua quæstio est, an in illo possit sacerdos sacramentaliter absolvere hujusmodi ægrotum. Cujus puncti difficultas aucta est ex hoc decreto sanctissimi D. N. Clementis, quod in superiori parte interpretati sumus; quia in illo decreto generaliter definiri videtur, confessionem in absentia nullo in casu esse licitam, nedum sufficientem : at in illo casu nulla intervenit confessio in præsentia, sed si quæ est in absentia sacerdotis facta fuit. Ergo.

Resolutio casus ex Leone papa.

2 In contrarium vero est, quia Leo papa in Epistola 89, alias 91, ad Theodorum episcopum, eumdem casum in terminis proponens, videtur clare definire, talem ægrotum absolvendum esse ac proinde confessionem, quæ ibi præcessit, esse sufficientem ad sacramentum hoc conficiendum. Verba ejus sunt : *Quodsi vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequantur.* Hæc est responsio ac resolutio S. Leonis; de qua in primis supponendum est esse pontificiam ac decretalem decisionem, de cujus veritate dubitare non licet. Poterit quidem de vero illius sensu esse controversia, quam mox videbimus; tamen quod in sensu ab ipso intento infallibilis sit, pro certo statuendum est.

Resolutio a Leone intenta certissima est, licet varie exponatur ab auctoribus.

3 Primo quia interrogatus de re gravissima, et ad bonos ecclesiæ mores pertinente. Respondet non ut doctor privatus (quamquam etiamsi hoc modo respondisset, tanti viri auctoritas, magnum esset pondus habitura); sed respondet ut pontifex, instruendo episcopum, et addens illam esse *ecclesiaticam regulam*, quam præcipit ab omnibus observari, ut ex principio et fine epistolæ aperte constat. Ergo quam est certum summum pontificem non posse errare in fide et moribus cum universam ecclesiam docet, tam est certum Leonis responsionem veram esse. Secundo quia si quis epistolam illam calumniari auderet, omnibus Leonis epistolis auctoritatem adimeret, cum tamen antiqua concilia et sequentes pontifices summa veneratione et tamquam fidei regulas illas susceperint. Sequela patet, quia non est major ratio de hac, quam de aliis; in nulla enim expressius et facilius loquitur, ut pontifex vel de materia ad substantiam fidei et morum pertinente. Addo non solum epistolam hanc, sed omnia decreta pontificia, præsertim quæ sunt de doctrina morum eludi, et auctoritate privari, si hæc licentia permittatur; unde ipsummet sanctissimi D. N. decretum periclitabitur, magnaque illi fiet injuria, si ad ejus veritatem tuendam necessarium putetur decisioni Leonis falsitatem adscribere. Itaque utrumque decretum, ut firmum et constans, retinendum est. At unum illorum dixit in nullo casu licitam esse confessionem in absentia, ac proinde nec validam; aliud vero docere videtur in aliquo casu validam esse confessionem in absentia, ac proinde licitam et acceptandam ab ecclesia : quomodo ergo concilianda sunt?

Primo. Secundo Tertio.

4 Nonnulli doctores ante hoc decretum sanctissimi D. N. dixerunt S. Leonem in

Auctores quidem sex modis exponunt Leonem.

dicta epistola, et præsertim in verbis citatis non fuisse loquutum de absolutione sacramentali. Pro qua sententia citari solent ex antiquis glossa in cap. *Qui recedunt* 26 q. 6, verbo *pœnitentia* et glossa ult. in cap. *His qui*, eadem causa, et quæst. et in cap. *Multiplex* de pœnit. d. 1, et Archidiac. ac Turrecrem. eis demlocis. Clarius id docuit Soto in 4, d. 18, q. 2, art. *s.* non longe ab initio. Et probabile existimant Cano Select. de pœnit. p. *s.* ad 3, principale sub finem; et Ledesma in 4, 2 p. q. 9, art. *s.* dub. 2 : qui tamen duo auctores in hac expositione non perseverant; ut infra dicam. Eamdem vero sequitur Navarr. in Manuali cap. 26, n. 27, et cap. 27, n. 269; quamvis non loquatur de textu Leonis, nec illius mentionem faciat, sed de can. concilii Carthaginen., quem infra tractabimus. Hi autem doctores varie declarant quid nomine *pœnitentiæ* ibi Leo papa intellexerit : quinque autem vel sex modi dicendi excogitari possunt. Primo ut intellexerit externam reconciliationem pœnitentium, quæ olim publice fiebat in ecclesia feria quinta hebdomadæ sanctæ. Secundo ut sit absolutio a censura. Tertio ut sit impositio pœnitentiæ satisfactoriæ. Quarto ut sit generalis et deprecativa absolutio, qualis est illa : *Misereatur tui omnipotens Deus* etc., vel illa : *Indulgentiam, absolutionem* etc. Quinto ut sit admissio ad sacram communionem, ad quam olim publice pœnitentes non admittebantur. Sexto ut solum sit declaratio quædam authentica in foro ecclesiæ, de interna pœnitentia talis ægroti, ut hoc modo ad sepulturam ecclesiasticam, et communia suffragia, aliaque pietatis officia admittatur. De quibus inferius singillatim dicemus.

Fundamentum, quo nixi sunt prædicti auctores.

5 Moti sunt autem illi auctores ad quærenda hæc diverticula, non ex proprietate verborum Leonis, neque ex contextu, ac discursu epistolæ, sed solum quia intelligere non potuerunt, vel credere noluerunt in illo casu ægrotum illum facere, aut fecisse sacramentalem confessionem : ex quo intulerunt nec sacramentalem absolutionem posse illi conferri, ac proinde nec S. Leonem de illa loqui potuisse.

In confessione ægroti confitentis in absentia sacerdotis defectus primus.

6 Ut autem hoc fundamentum intelligatur, sciendum est duos defectus notari posse in confessione illius ægroti, quos distinguere nobis necessarium est, ne a proprio instituto, et quæstione de confessione in absentia recedamus. Prior est, quod illa confessio non est alicujus peccati in specie, sed solum est generalis, quod peccaverit, quod Deum offenderit, vel quid simile. Imo hæc ipsa generalis confessio non fit ab illo ægroto in illo casu clare, directe et formaliter; sed implicite, indirecte ac virtute, quatenus ostendendo signa pœnitentiæ, et petendo confessionem, supponit se offendisse Deum. Alius defectus est, quod illa qualiscumque confessio non fit coram sacerdote, sed per sola testimonia circumstantium ei postea innotescit. In priori defectu fundatur Soto, Cano, Ledesma et Navarrus. Quibus Abulensis adstipulatur in cap. 16 Matth. q. 19; quatenus dicit signa generalia confessionis non sufficere, ut sacramentaliter absolvatur ægrotus. Nullam vero mentionem facit canonum, neque illos exponit. De posteriori autem defectu solum Dominicum Soto invenio mentionem fecisse : nam Cano, Ledesma et Abulensis nihil de absentia loquuntur : Navarrus vero expresse ait illam non impedire, si alius defectus non interveniat. Glossæ vero, et alii doctores canonistæ de neutro defectu, nec de tota hac controversia mentionem faciunt, et sine causa in hac causa allegantur, ut infra ostendam.

Defectus secundus.

An confessio generalis, quando specialis fieri non potest, sacramentalis esse queat.

7 Duæ igitur quæstiones in hoc fundamento tanguntur. Una est an confessio generalis possit esse sacramentalis, quando necessitas, vel impotentia plus dicere, aut explicare non sinit. Alia est, an confessio in absentia sacerdotis facta cum ordine ad absolutionem obtinendam in præsentia possit esse sacramentalis. Ex quibus sola posterior ad nostram institutionem pertinet. Ne tamen prioris resolutio veram interpretationem et intelligentiam canonum, et præsertim epistolæ S. Leonis impedire possit, circa illam breviter dicimus : probabilius videri confessionem generalem posse esse sacramentalem, quando clarior et expressior fieri non potest. Ita dixi, et probavi in IV tomo. Et summatim hic colligam quæ me movent, et addam nonnulla.

Pars affir. probatur primo.

8 Primo quia illam sententiam invenio in Augustino, D. Thoma, et multis aliis probatissimis auctoribus, quorum sententias et verba infra cap. 3 late referam.

Secundo.

Secundo quia illi multum favent Leo papa in dicta epistola, et canones conciliorum Carthaginen. et et Arausican. in cap. *Qui*

recedunt et cap. *Is qui* 26 q. 6, et cap. *Ægrotantes* de consecrat. d. 2. Quos omnes infra ponderabimus. Tertio quia nihil invenio in institutione hujus sacramenti, quod huic opinioni adversetur. Nam quod concilium Trid. sess. 19, cap. 5, dicit confessionem generalem non sufficere ad hoc Sacramentum conficiendum, sed specificam necessariam esse : manifestum est intelligi de necessitate per se, et ad communem usum, qualis est illa, qua integritas confessionis præcipitur. De hac enim integritate, ejusque necessitate agebat ibi concilium. Unde eodem tenore dicit esse necessariam confessionem omnium peccatorum in specie, et in numero, et in circumstantiis mutantibus speciem : loquitur ergo de sola necessitate per se; nam inferius subdit, si quid per oblivionem (idemque est de quacumque alia impotentia rationabili) omittatur, non obstare veritati confessionis. Ergo idem erit etiamsi ex legitima causa impotentiæ omnes species peccatorum omittantur, et accusatio solum in genere fiat.

Tertio.

Quarto probatur.

9 Quarto ex eodem concilio possumus in hunc modum argumentam retorquere. Cum enim in dicta sess. 14, cap. 5, explicasset necssitatem confessionis integræ, quoad omnes species et circumstantias peccatorum, subdit in hæc verba : *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa intelliguntur.* Ex quibus verbis hæc regula communiter approbata colligitur : Quoties quis paratus est confiteri omnia, et propter impotentiam vel legitimam causam aliqua omittit, in his, quæ confitetur, omnia omissa includuntur. Ergo eadem regula locum habet in præsenti casu. Nam ille ægrotus supponitur paratus ad confitendum omnia; sed quia præoccupatus morbo non potuit ad species peccatorum descendere, explicuit saltem in genere se offendisse Deum : ergo virtute ibi omnia inclusit, ac proinde sacramentaliter confessus est.

Evasio occupatur.

10 Dices non esse parem rationem, quia concilium loquitur, quando pœnitens dicit unum peccatum in particulari, et aliud omittit. Sed hoc in primis non videtur in universum verum : nam si quis recordetur se commisisse unum peccatum mortale, et oblitus sit cujus speciei fuerit, oportet ut generatim dicat se commisisse unum peccatum mortale, in quo genere species includitur propter impotentiam. Præterea ratio illius virtualis inclusionis non est quod peccatum declaratum fuerit in specie vel in genere, sed est voluntas et diligentia faciendi quantum potest. Quæ ratio in utroque casu habet locum : et alioqui non minus potest genus virtute continere species, quam una species aliam; nec minus explicat conscientiæ suæ pondus, qui dicit se offendisse Deum, quam qui unum peccatum veniale in specie profert.

Quinto probatur.

11 Quinto, quamvis expressio alicujus peccati in specie sit de integritate confessionis, quod tamen sit adeo essentalis, ut non possit propter impotentiam excusari, et in generali accusatione includi, nullibi est ab ecclesia declaratum, nullaque sufficienti ratione fulcitur, et alioqui restringit viam salutis : cur ergo affirmabitur? Maxime cum absolute loquendo certum videatur confessionem peccatorum, etiamsi in genere fiat, veram accusationem et confessionem esse. Sicut interior confessio, quæ de peccatis apud Deum fit, est vera accusatio interna, etiamsi de peccatis in genere fiat. Et signa pœnitentiæ, quæ Magdalena Christo exhibuit ad pedes ejus, vocantur a patribus *confessio*, etiamsi nullum peccatum in specie ibi dixerit. Unde est illud Augustini : *Prius fudit lacrymas cordis, lavit pedes Domini obsequio confessionis.* Et infra : *Accessit confessa, ut rediret professa.* Quid est ergo cur talis confessio in necessitate non possit esse sacramentalis?

lib. 36, homil. in 23.

Sexto probatur.

12 Sexto, est optimum argumentum; nam confessio illa, quæ extra necessitatem esse potest sacramentalis partialis, seu pars materiæ sacramentalis, in extrema necessitate potest esse totalis materia; sed confessio generalis est sacramentalis partialis extra casum necessitatis : ergo in illo poterit esse totalis. Major probatur, tum inductione in omni alia partiali materia sacramenti confessionis, tum ex paritate rationis : nam de ratione cujuscumque partialis confessionis sacramentalis est, quod sit accusatio partialis in foro sacramentali, et quod per illam aliquid subjiciatur clavibus ecclesiæ, et detur aliqua notitia sacerdoti alicujus rei, quæ sub absolutionem cadere possit : ergo hæc omnia convenire possunt in confessionem generalem. At ex his proprietatibus nascitur, ut in necessitate sufficiat accusatio ex parte

facta et quod in illa virtute intelligantur includi omnia, quæ eodem modo dicerentur, si facultas suppeteret : ergo quoad hoc eadem est ratio de quacumque partiali confessione. Minor autem est expressa D. Thomæ 4 d. 21 q. 1, art. 1 et 2, ut notavit Ledesma loco supra citato, dicens S. Thomam numquam negasse confessionem generalem posse esse sacramentalem, quin potius de partiali id affirmasse.

Ex D. Thoma augetur sextum argumentum.

13 Loquitur autem D. Thomas ibi de communi modo, quo solent uti pœnitentes, postquam in specie confitentur de omnibus, quæ memoriæ occurrunt, generalem clausulam subjicientes de omnibus oblitis, seu de omnibus quæ commiserunt; docetque D. Thomas etiam illam partem esse sacramentalem. Multo autem certius id erit, si talis confessio, in genere facta, necessitate aliqua fiat, ut potest contingere in casu superius posito, de illo, qui recordatur se commisisse unum peccatum mortale, non recordatur autem cujus speciei fuerit; tenetur enim illud in genere confiteri; at illa generica confessio pars erit sacramentalis confessionis, quia fieri non potest, ut pars aliqua confessionis sit sub obligatione, quæ sacramentalis non sit. Imo hinc concludi potest, illam esse posse totam materiam talis confessions. Nam si illa persona non habeat conscientiam alterius peccati mortalis, non tenetur venialia confiteri; et tamen tenetur de illo peccato mortali eo modo, quo potest, confiteri; et consequenter id satis erit ut absolvatur; si alias sit bene dispositus. Video responderi posse illam materiam esse specificam saltem in specie subalterna : at profecto parva est et voluntaria differentia. Et præterea urgeri potest casus, in quo certus sit quis se peccasse, non recordetur autem in qua materia, et dubius sit, an mortaliter, vel venialiter lapsus fuerit : nam tenetur id de quo certus est confiteri, scilicet se peccasse cum dubio gravitatis, et oblivione materiæ : quæ confessio generalissima est. Nam licet illud dubium videatur esse aliquid speciale, tamen idem virtute includitur in confessione illa, quæ ob necessitatem generatim fit : cur ergo non erit sufficiens materia?

Effugium præcluditur.

Ex auctoribus contrariis solus Sotus et Navarrus constanter docent suam opinionem.

14 Accedit quod ex auctoribus qui contrariam sententiam sequuti sunt, solus fere Soto et Navarrus constanter et clare eam tradiderunt. Nam Glossa, Archidiac. et Turrecrem. sine causa allegantur, quia de hoc puncto nullam mentionem faciunt, imo nec de alio pertinente ad absentiam, ut infra ostendam. Abulensis vero, licet aperte dicat signa generalia contritionis non sufficere ad sacramentalem absolutionem, tamen non conjungit illis signis petitionem confessionis. Unde posset exponi de signis non relatis ad claves, nec significantibus accusationem respectu hominis, sed tantum respectu Dei : nam illa re vera non sunt sufficiens materia, quia non sunt confessio facta sacerdoti sed Deo : nos autem loquimur de confessione generali sacerdoti facta. Præterea Cano, licet illam opinionem sequatur, *non tamen* (ut ipsemet inquit) *valde repugnat ei, qui contrariam sequi et in praxi uti voluerit.* Fateturque D. Augustinum in eo casu fuisse absoluturum sic confitentem, quantum ex ejus verbis in loco infra citando intelligi potest. Martinus item Ledesma eisdem fere, quibus Cano, utitur verbis. Et inter alia dicit : *Ego in hac quæstione non satis exploratum habeo quid dicendum sit.* Et D. Thomam potius opinioni contrariæ, quam suæ favere fatetur. Tantum ergo Navarrus et Soto illam partem constanter tuentur : et maxime hic posterior magna verborum exaggeratione utitur, sed rationes potius ponderandæ sunt, quam verba.

Eam non fulciunt rationibus alicujus momenti.

15 Unde ulterius addimus, hos auctores nec rationibus a nobis factis satisfacere, nec aliquas pro sua opinione afferre, quæ difficultatem ingerant, ut Cano ingenue recognoscit. Nam Abulensis solum in hoc vim facit, quod forma absolutionis est hæc : *Absolvo te a peccatis confessis et oblitis,* sentiens hanc formam postulare vel supponere specificam confessionem. Quod valde frivolum est, tum quia illa verba *a peccatis confessis,* non sunt de necessitate formæ : tum etiam quia illa etiam applicari possent ad peccata generatim confessa, sicut aliud verbum, quod adjungit, *et oblitis,* generale tantum est. Unde quod subjungit nihil in ea confessione apparere, quod sacerdos absolvat, falsum est, vel principium petit; apparent enim peccata commissa, saltem per accusationem generalem, quod satis est in casu necessitatis, ut ad illa dirigat sacerdos intentionem suam.

Instant primo aliqui.

16 Sed instant alii, quia humanum judicium non fertur circa generalia; est enim actus practicus, qui circa particularia ver-

satur, nec per solam generalem cognitionem potest confessor judicium ferre, nec pœnitentiam imponere, nec medicinam applicare. Imo addit Soto per illam confessionem generalem, nullam cognitionem comparare confessorem de conscientia pœnitentis, quam ante non haberet : quia de quolibet homine scimus omnes esse peccatorem, et aliquando peccare. At hæc ad summum probant, illum confessionis modum non esse per se sufficientem, nec regularem, seu regulariter admittendum; de casu autem necessitatis extremæ non procedunt. Quia oportet distinguere inter actionem confessionis, et materiam remotam ejus : actio enim semper est particularis, etiam quando materia remota, quæ expresse declaratur generalis est. Confessor autem judicat de accusatione hac, prout hic et nunc fit, et ita judicium versatur circa particularem actum. Et quamvis per illam accusationem non satis explicetur materia, ut exactum judicium de illa ferri possit, tamen hoc ipsum pertinet ad considerationem illius particularis actionis, et circumstantiarum ejus, quia tunc facit reus quantum potest, nec plus ab eo in necessitate postulatur. Nec impositio pœnitentiæ, sive vindicativæ, sive medicinalis tam necessaria est, ut omitti non possit in extrema necessitate, ut saltem substantiale remedium adhibeatur. Ad hoc autem sufficientem notitiam in illo foro acquirit sacerdos per illam confessionem, tum quia licet nihil novi sciat, tamen scit novo modo, id est per accusationem ipsiusmet rei in illo foro : tum etiam quia scit dispositionem et pœnitudinem confitentis. Tum denique quia in rigore non ita certo sciebat illum hominem habere conscientiam peccati, sicut per illam confessionem scit. Est ergo illa confessio in casu sufficiens, licet per se non sit.

Responsio.

Instant secundo.

17 Sed instant, quia esto hoc sit probabile, quando talis confessio veret actualiter fit, tamen in casu ægroti, de quo loquimur, etiam talem confessionem non inveniri, quia ille ægrotus petit confessionem, non facit. Sed profecto petendo confessionem, facit illam saltem in genere : sicut nos quando petimus a Deo veniam peccatorum, eo ipso illa confitemur saltem generatim. Sic dixit Tertullianus lib. de orat. cap. 7 : *Exomologesis* (idest confessio) *est petitio veniæ, quia qui petit veniam delictum confitetur*. Et ideo Leo papa, et alia decreta magnam vim faciunt in hoc, quod ægrotus postulet confessorem, vel confessionem ad absolution cum signis pœnitentiæ. Nam per illam petitionem se subjicit clavibus, et se accusat peccatorem, non solum Deo, sed etiam sacerdoti, per quem absolvi postulat. Et ideo (ut supra dicebam) si absque tali petitione aliquis signa pœnitentiæ ostenderet, nullo modo illa ad claves referrendo, certe non esset sacramentaliter absolvendus, quia talia signa nullo modo sunt confessio, non ex defectu materiæ remotæ, sed ex defectu accusationis relatæ ad hoc sacramentum; quæ relatio fit per petitionem confessoris, seu absolutionis, vel etiam confessionis. Unde cum dicitur ægrotus ille desiderare, aut petere confessionem non facere : respondendum est unam petere ac desiderare, aliam eo ipso facere, quasi in actu exercito : desiderat enim confiteri in particulari, et integre, ac distincte; dum autem hoc desiderium exprimit petendo confessionem vel absolutionem, confitetur generatim se habere conscientiam peccati, quam eo ipso, et quantum potest, clavibus subjicit : est ergo illa saltem generalis confessio.

Satisfit instantiæ.

18 Ultimo vero addendum est in hoc puncto, propriam difficultatem, quam hic tractamus non omnino ab hac quæstione pendere. Nam confessio, quam facit ægrotus in casu proposito, non solum potest esse generalis, sed etiam specialis, ut si circumstantibus dicat : Si forte, cum sacerdos venerit, me privatum sensu et judicio invenerit, dicite illi me commisisse hoc et hoc etc Et certa experientia mihi constat, ita solere facere eas personas, quæ sapientiores sunt, ut fugiant quoad fieri possit omne dubium. Igitur licet opinio illa, quæ negat confessionem in genere, vel signa contritionis cum petitione confessionis sufficere ad confessionem sacramentalem, sustineatur ut vera, adhuc superest difficultas, an ratione absentiæ sacerdotis talis confessio, adeo sit invalida, ut in illam non possit cadere sacramentalis absolutio. Possetque aliquis defendere esse validam in ordine ad absolutionem a sacerdote præsente conferendam; et ita exponere dictam D. Leonis epistolam, et alios canones. Quod fortasse tolerabilius esset, quam negare eos loqui de absolutione sacramentali : nam hoc est contra expressa verba, ut ostendemus; illud

Dicti auctores non tollunt difficultatem, quæ tractatur.

vero non ita manifeste. Nam Leo indefinite loquutus est de signis pœnitentiæ, et non declarat, qualia esse debeant, aut quæ sufficiant; et ideo explicari ab aliquo potest, ut intelligendus sit, quando per ea signa aliquod peccatum in particulari explicatur. Quæ quidem esset quædam additio ad sententiam Leonis, non tamen aperta contradictio, et ideo minus mala esset expositio. Teneretur autem sic interpretans, sufficienter ostendere, quo fundamento loquatur; quod sane facere non posset, ut ex dictis constat. Unde non est dubium, quin prior sententia, quam defendimus, sit magis consentanea dictis decretis, et facilius, ac sincerius illa intelligat.

2 quæstio ex propositis in n. 7 tractanda in sequentibus capitibus.

19 Superest ergo ut de alio puncto pertinente ad absentiam ex parte solius confessionis dicamus. Et quoniam intelligentia decretorum, et præcipue S. Leonis non est fundanda in privatis opinionibus circa illud punctum; sed in ipsa litera et verbis S. Leonis; et ex vero sensu illius vera etiam decisio illius puncti colligenda est : ideo in reliquis capitibus hujus partis secundæ verum Leonis sensum investigabimus : ut deinde in tertia propriam concordiam omnium decretorum, et illius puncti veram resolutionem tradamus.

CAPUT II.

S. Leonem in cap. multiplex *de pœnitentia d. 1, de sacramentali pœnitentia loqui, ex serie et contextu totius epistolæ demonstratur.*

Institutum præsentis capitis proponitur.

1 Ex tota epistola Leonis, verba quæ ad præsentem causam referunt, sunt tantum illa, quæ in fine epistolæ habentur : *Quodsi aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ, et reconciliationis beneficium consequantur.* Quæ verba Gratianus retulit in cap. *His qui* 26, q. 6, et in cap. *Multiplex* de pœnitentia d. 1. Quia vero illorum verborum separata ac præcisa consideratio fortasse fuit occasio eludendi illa, vel ad peregrinos sensus detorquendi, opere pretium duxi totam epistolæ seriem ante oculos ponere, et omnia verba quæ ad nostrum propositum pertinent expendere. Est autem propositum ac intentio nostra ostendere sensum responsionis S. Leonis fuisse, in illo casu, quem proponit, ægrotum esse a præsente sacerdote sacramentaliter absolvendum, sive hanc absolutionem intellexerit per *beneficium reconciliationis*, ut est probabile, sive per *beneficium pœnitentiæ*, quod longe certius est, ut infra dicetur.

Titulus epistolæ.

Interrogatio episcopi ad Leonem inveniri non potuit.

2 Quia vero S. Pontifex in hac epistola respondet interrogationi cujusdam episcopi Theodori, magni profecto momenti esset ad comprehendendam respondentis mentem, epistolam ipsam interrogationem continentem prius perlegere, ideoque summo desiderio ac diligentia eam in Romana Urbe quæsivi; invenire tamen non potui. Quapropter ex inscriptione seu titulo epistolæ, et ex ejus exordio conjectare debemus, de qua re Leo fuerit interrogatus.

Titulus epistolæ Leonis antiquissimus est, licet non sit ipsius Leonis.

3 Titulus autem epistolæ est : *Ut his, qui in exitu sunt, pœnitentia et communio non negetur.* Qui titulus non est quidem Leonis, est tamen non parvæ auctoritatis, quia in omnibus antiquis et modernis editionibus operum Leonis habetur. Unde constat, et valde antiquum esse, et communi sensu et approbatione receptum. In illo autem titulo vocem *pœnitentia*, perinde valere ac *sacramentum pœnitentiæ* ex multis colligere possumus. Primo quia verisimile est Theodorum interrogasse Leonem de hac pœnitentia, nam de qualibet alia non poterat esse difficultas, nec interrogatio digna, quæ ab episcopo fieret, et tanto pontifici proponeretur, et ad quam ipse tanto verborum pondere responderet. Secundo ex occasione interrogationis, quæ illo tempore occurrebat, quantum ex scriptis Ambrosii et Augustini, fere Leoni æqualium, conjectare possumus. Tractabatur enim eo tempore illa quæstio, an pœnitentia sera, et quæ usque ad vitæ finem differtur, vera reputanda sit, ut intelligimus etiam ex his, quæ Marianus Victor in suo de pœnitentia lib. cap. 8, retulit. Hinc ergo dubitari potuit ab illo episcopo, an is, qui differt petitionem pœnitentiæ usque ad illum articulum, ab ecclesia sit ad participationem sacramentorum pœnitentiæ et communionis admittendus. Unde tertio idem suadetur

Ex eo titulo colligitur vocem pœnitentiæ significare sacramentalem pœnitentiam primo.

Secundo.

Tertio.

ex conjunctione pœnitentiæ cum communione : nam certum est *communionis* nomine significari sacramentum Eucharistiæ : ergo signum est per illam vocem significari sacramentum pœnitentiæ, tum quia illa pœnitentia est quæ per se loquendo requiritur ante viaticum : tum etiam quia hic est sensus illorum verborum, quoties in jure ita conjunguntur, ut ex multis quæ Marianus Victor supra refert intelligi potest, et nos infra cap. 4 ostendemus. Tandem dubitari saltem non debet, quin hæc vox *pœnitentia* in una seu univoca significatione in hoc titulo sumatur; alias nihil certi ex his et similibus verbis habere possemus. Si autem una est significatio, non potest esse nisi sacramenti pœnitentiæ, quia saltem de multis casibus indubitatum est tale sacramentum cum communione his, qui in exitu sunt, dandum esse.

Quarto.

Exordium epistolæ.

Interrogatio episcopi et responsio pontificis fuerunt de re gravissima.

4 In exordio autem epistolæ primum omnium subordinationem et ordinem hierarchicum in omnibus servanda esse, gravissime docet Leo : admonens episcopum illum debuisse prius a suo metropolitano quærere, quod ignorabat : quodsi ille satisfacere interrogationi non valeret, tunc uterque per sedem apostolicam instrui postularet. Deinde subjungit hæc verba : *Sed ut quoquo modo instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu ecclesiastica habeat regula non tacebo.* Ex quibus verbis conjicere licet in primis interrogationem fuisse de re valde gravi et *pertinente ad generalem observantiam omnium Domini sacerdotum,* ut paulo antea dixerat, et de qua non immerito possent tam episcopus quam metropolitanus dubitare et sedem apostolicam consulere. Deinde etiam colligo responsionem esse gravissimam, et formalissime pontificiam, per quam ecclesiastica regula traditur, et servanda proponitur ac præcipitur. Unde in fine epistolæ ita concludit. *Hæc autem (frater charissime) quæ ad interrogationem dilectionis tuæ ideo respondi, ne aliquid contrarium sub excusatione ignorantiæ gereretur in metropolitani tui notitiam facies pervenire* etc.

Quomodo aliqui explicent vocem *pœnitentium.*

5 In prædictis autem exordii verbis non parum refert intelligere quid nomine *pœnitentium* Leo intelligat, cum dicit se non taciturum quid de *pœnitentium statu habeat ecclesiastica regula.* Aliqui enim in hoc verbo magnam vim faciunt, ut totam hanc epistolam de accidentaria quadam et externa pœnitentiæ ceremonia, interpretentur. Dicunt enim *pœnitentium* nomine intelligendos esse illos, qui juxta morem antiquum solemnem pœnitentiam agebant; illi enim usitato more loquendi illius temporis in statu pœnitentium esse dicebantur, erantque propter gravia crimina a cœtu aliorum fidelium, et præsertim a participatione eucharistiæ separati, indigebantque peculiari reconciliatione, ut admitterentur ad illam, ut videre licet in Bellarm. lib. 1, de pœnitentia, duobus ultimis capitibus et Mariano Vict. in libell. citato.

Explicatio hæc necessario non est. Primo.

6 In hoc vero puncto duo breviter assero. Primum est interpretationem hanc non esse necessariam. Primo quia Leo papa non dicit *publice* vel *solemniter pœnitentium,* sed simpliciter *pœnitentium;* quæ vox comprehendit omnes peccatores indigentes remedio pœnitentiæ, illudque petentes. Secundo quia intentio epistolæ est loqui de his, qui in exitu sunt et tunc postulant pœnitentiam; quod solet evenire non solum agentibus pœnitentiam publicam, qui pauci sunt, sed multo frequentius cæteris peccatoribus, qui multo plures et pene innumerabiles sunt. Tertio quia potius loqui videtur Leo de his, qui usque ad angustias illius temporis nullam voluntatem vel significationem pœnitentiæ habuerunt : at pœnitentes illi, qui jam erant in statu solemnis pœnitentiæ, voluntatem aliquam pœnitendi ostenderant, saltem regulariter loquendo : ergo non loquitur de illis solis. Major probari potest ex controversiæ vel interrogationis occasione, quam supra explicuimus; quia scilicet dubitabatur, an sera pœnitentia esset vera : at si sermo esset de publice pœnitentibus, non posset eorum pœnitentia dici sera, aut reservata ad mortis angustias; quia prius quam ad illas devenirent, pœnitentiam agere supponebantur. Et hanc fuisse occasionem dictæ dubitationis, satis intelligi potest ex testimoniis sacræ Scripturæ, quæ Leo adducit, ut suam responsionem stabiliat dicens : *Quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patiatur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per prophetam : Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.*

Secundo.

Tertio.

Quarto idem ostenditur ex aliis verbis papæ.

7 Præterea idem ostenditur ex multis aliis verbis ejusdem Leonis, ut sunt illa : *Si autem aliqui eorum, pro quibus Domino supplicamus.* Non enim orat ecclesia, et orabat S. Pontifex solum pro publicis pœnitentibus, sed pro omnibus fidelibus, maxime pro peccatoribus in eo articulo constitutis, in quo venia et misericordia Dei maxime indigent. Item ex longa admonitione, quam post medium epistolæ peccatoribus omnibus Leo facit, ne conversionem differant de die in diem, et ad eas se angustias temporis redigant, *in quo vix habeat locum vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis.* Quæ admonitio non habet locum in his, qui jam erant in publico pœnitentium statu constituti : illi enim non se redegerant ad illius temporis angustias. Loquitur ergo ad omnes, qui pœnitentiam differunt; et de illis subjungit : *Talium ergo necessitati ita auxiliandum est* etc. Recte igitur de omnibus hominibus in illo periculo, ac necessitate constitutis, et hæc epistola, et vox illa *pœnitentium* intelliguntur. Nec altera vox *status* movere debet, cum dicitur de *statu pœnitentium* : tum quia illa etiam vox generalis est, et potest significare statum, idest, conditionem, discrimen et periculosum statum, seu eventum in quo tunc inveniuntur, vel in particulari potest sumi juxta materiam subjectam pro statu agendi sero quasi involuntariam pœnitentiam. Adde aliam lectionem illius loci habere : *quid de instinctu pœnitentium,* idest de inspiratione et desiderio talis pœnitentiæ seræ judicandum sit etc.

Nec vox *status* vocem *pœnitentium* sumi pro publicis pœnitentibus solum indicat.

Alia lectio pro *statu* habet *instinctum.*

8 Addo vero ulterius non esse nobis necessariam hanc expositionem; nam punctum difficultatis in hoc solo situm est, an illis pœnitentibus, de quibus Leol oquitur, quicumque illi sint, danda sit absolutio sacramentalis ex sententia Leonis. Nam licet loquatur de publicis pœnitentibus, si illis in eo casu danda est talis absolutio, eadem vel majori ratione in simili eventu et necessitate, quibuscumque aliis peccatoribus danda erit. Notavit hoc Ferdinandus Mendoza lib. III in concilium Eliberitina cap. 29 in fine, sic dicens : *Quodsi lenitatis et pietatis Christianæ officia hæc concilia et patres pœnitentibus publicis ob graviora delicta a Christi et ecclesiæ communione repulsis, et gravi ægritudine obmutescentibus impertiunt, utramque illis in extremo vitæ spiritu restituentes : cur reliquis peccatoribus privatis, eadem morbi et linguæ gravitate loqui impeditis, si aliqua vel signis, vel nutu, vel verbis paulo ante pœnitentiæ signa expresserunt illa denegabitur? Retinendam enim firmiter censeo, quam paulo superius ex Augustino sententiam citavimus, etiam cum ægrotantis voluntas incerta sit multo satius esse nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet, et tamen credibilius sit eum, si posset velle, se potius dicturum esse sacramenta recipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire.*

Esto *pœnitentium* voce intelligantur publici, afortiori debent intelligi etiam qui sacramentaliter confitentur.

Id probatur auctoritate.

9 Et ratione convincitur, quia materia et forma sacramenti pœnitentiæ eadem est respectu omnium fidelium, sive pœnitentiam publicam agant, sive non. Ergo quæ sufficit pro pœnitentibus publicis, sufficit cum proportione pro quibuslibet. Aliunde vero illi solemniter pœnitentes erant gravissimi peccatores, et magis ab ecclesia separati. Si ergo petitio confessionis cum signis pœnitentiæ, per testimonium circumstantium sacerdoti notificata, sufficiens erat in articulo mortis, ut hi peccatores gravissimi a peccatis suis sacramentaliter absolverentur, multo magis pro quibusvis aliis sufficiens existimanda est. Scio, nonnullos auctores sentire illos, qui erant in statu pœnitentium, supponi jam confessos sacramentaliter, antequam in illas angustias devenirent, et ideo non esse parem rationem de cæteris, qui confessione non facta in illum necessitatis articulum incidunt. Sed quam sit hoc alienum a mente Leonis papæ ex his, quæ num. 6, 7 notavimus facile intelligi potest. Ulterius vero evasionem illam ex professo rejiciemus in III parte hujus opusculi, cap. 1.

Item ratione.

Evasio præcluditur remissive.

Partitio epistolæ.

10 Post exordium incipit Leo papa respondere interrogationi sibi factæ, quæ ut ex dictis intellectum manet, hæc fuit : An pœnitentia danda sit his, qui in extremo vel repentino mortis periculo illam petunt, et consequenter, an sit etiam illis danda communio. Possumus autem majoris claritatis gratia totam Leonis responsionem in tres partes dividere. In prima, quæ ab illis verbis incipit : *Multiplex misericordia Dei,* jacit fundamenta responsionis suæ. In secunda, quæ est in versu

Tres partes continet corpus epistolæ Leonis.

Prima.

Secunda.

Tertia.

His qui, responsionem generalem tradit. In tertia, versu *Unde oportet*, generalem responsionem applicat seu extendit ad varios necessitatis casus, præmissa admonitione periculi imminentis his, qui pœnitentiam usque ad mortem differunt.

Prima epistolæ pars.

In prima epistolæ parte multa dicit, quæ non nisi in sacramentum pœnitentiæ quadrant.

11 In prima igitur parte docet ac supponit sacramentum pœnitentiæ, ante mortem receptum, esse non solum utile, sed etiam necessarium ad salutem. Nec de hoc sensu dubitare poterit, qui eam partem legerit, nec scio aliquem id negasse. Igitur hoc sacramentum est, quod Leo vocat pœnitentiæ medicinam utique a Christo institutam; nam subdit quod per eam *Deus subvenit lapsibus humanis*, post baptismum commissis, et addit per illam medicinam reparari spem vitæ æternæ, per peccatum amissam. Itemque subjungit *ad illam indulgentiam præstandam datam esse a Christo Domino sacerdotibus potestatem*, ut eorum *supplicatione* (seu absolutione) *peccata hominum solvantur;* quam absolutionem dicit posse obtineri ab homine, quamdiu in hac vita vivit, non vero post mortem. Quæ omnia non possunt nisi de pœnitentia et absolutione sacramentali intelligi.

Verbum *supplicationes* intelligit Navarrus de accidentario absolut.

12 Duo tamen vel tria verba indigent in hac parte majori expositione. Unum est, quid per *supplicationes sacerdotum* Leo intelligat. Quia supplicatio fit per verbum deprecandi, quod non est satis ad formam absolutionis sacramentalis, quæ per verbum indicandi *Absolvo* proferri debet. Propter quod Navarr. in dict. cap. *Multiplex* dicit hoc verbum Leonis exponi posse de accidentali absolutione deprecatoria : *Misereatur tui* etc. vel de aliis precibus, quas sacerdos dicere solet quando sacramentum hoc administrat. Videturque habere fundamentum in D. Thoma, III part. quæst. 89, art. 3 ad 2.

Favere Navarro videtur D. Thomas.

De solis precibus accidentalibus intelligi non potest Leo.

1.

13 Verumtamen intelligi nullo modo potest Leo, ut de solis precibus sacerdotum, quæ accidentariæ sunt sacramento, loquatur. Primo quia Leo loquitur de supplicationibus sacerdotum, sine quibus indulgentia Dei obtineri non potest : illæ autem preces vel deprecatoriæ absolutiones sine absolutione sacramentali non sunt ita necessariæ. Secundo quia præmittit ad illam criminum remissionem necessariam esse confessionem, hoc enim significant illa verba : *Et qui regenerationis donum violassent proprio se judicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent.* Per confessionem enim se ipsum peccator accusat, ut a sacerdote remissionem criminum obtineat. Unde recte ibi Glossa in dict. c. *Multiplex* his verbis addidit : *Non quod ipsi pœnitentes sibimet pœnitentiam injungant, quia si ita hoc intelligeretur pro nihilo datæ essent sacerdotibus claves ecclesiæ, sed quia proprio motu confitentur sacerdoti.* Unde sumitur tertium argumentum, quia Leo statim probat necessitatem harum supplicationum sacerdotalium ex potestate clavium illis a Christo data : *Ut confitentibus* (inquit) *actionem pœnitentiæ darent* etc. Hoc autem non fit, nisi in hoc sacramento. Ideoque ex hoc loco solent doctores catholici necessitatem sacramentalis confessionis probare, ut videre licet in Bellarmino lib. III de pœnitentia cap. 9. Quarto quia dicit Leo has supplicationes sacerdotum non habere efficaciam circa hominem, nisi dum hic vivit. Unde concludit hanc partem dicens : *Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvantur.* Hæc vero utilitas et necessitas in sola potest absolutione sacramentali requiri.

2.

3.

4.

Leo nomine *supplicationis* comprehendit etiam absolutionem sacramentalem; nec D. Thomas eam excludit.

14 Necesse est ergo ut *supplicationes* illæ sacerdotum sint absolutio sacramentalis, vel saltem illam comprehenderit. Neque hoc negat D. Thomas loco citato; nam statim addit Leonem non excludere absolutionem sacramentalem. Nec Navarrus in hac parte potest nobis esse contrarius; nam ibidem notat ex hoc textu colligi institutionem sacramenti pœnitentiæ pro lapsis post baptismum. Sensus ergo esse debet, Leonem quidem præcipue loqui de substantiali (ut sic dicam) ministerio sacerdotum, tamen illud nominasse ab accidentalibus precibus, quæ cum illo adjungi solent, atque ita vocem illam *supplicationum* sumptam esse ex illis precibus; sub illa vero intelligi totum ministerium, quod sacerdos in remittendis peccatis exhibet. Prout sapienter intellexit, et tacite interpretatus est Bellarminus supra, et indicavit Glossa in dict. c. *Multiplex* verb. *supplicationibus*. Unde sicut confirmationis vel ordinis sacramentum solet vocari manus impositio, quo nomine significatur tota ejus

substantia, licet ab accidente sumptum sit : ita forma hujus sacramenti vocata est a Leone supplicatio sacerdotis, licet tale nomen ab accidentali deprecatione sit impositum. Adde absolutionem ipsam vocari interdum orationem sacramentalem : non qui verbis deprecatoriis proferatur, sed ut denotetur non esse a sacerdote, ut a principali causa, sed ut a ministro applicante merita Christi, ex Waldensi, tom. II de sacramentis cap. 147.

Verba alia ejusdem Leonis quomodo nonnulli interpretentur.

15 Aliud dubium in hac parte est, quid significent illa verba : *Ut pœnitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Quæ est enim *hæc janua reconciliationis?* et quæ est illa *sacramentorum communio,* ad quam per illam intratur? Ex ambiguitate enim et generalitate horum verborum sumpserunt aliqui occasionem pervertendi sensum totius epistolæ. Dicunt enim hanc januam esse pœnitentiam publicam et solemnem, vel absolutionem a censura, per quam admittitur ad recipienda quæcumque sacramenta, qui per ecclesiam erat ab eorum communione remotus. Quæ expositio licet gratis a nobis admitteretur, nihil nostræ intentioni obstaret, ut infra ostendemus. Nam ipsimet, qui ita exponunt hæc verba, negare non audent Leonem loqui in hac parte de vero pœnitentiæ sacramento, sed ajunt miscere etiam sermonem de reconciliatione externa cum ecclesia, et hanc volunt per illa verba significari. Nobis autem illud prius satis est, ut ex conclusione totius epistolæ evidens fiet.

Dicta interpretatio non obstat instituto.

Nec recte negabit per *communionem* sacramentorum intelligi receptionem Eucharistiæ.

16 Tamen simpliciter ac sincere hæc verba interpretando, existimo in primis verba illa : *Ad communionem sacramentorum* de eucharistiæ communione esse intelligenda, non de participatione sacramentorum in genere. Primo quia hic non agitur de excommunicatis, aut præcisis a participatione sacramentorum, sed universe de omnibus peccatoribus, ut ostensum est : at illi non indigent in rigore janua reconciliationis, nisi in ordine ad eucharistiam. Secundo quia interrogo an sit sermo de omnibus sacramentis; et hoc dici non potest, quia ad pœnitententiæ sacramentum non indiget homo peccator alia janua, nisi excommunicatus sit, quod ad intentionem præsentis epistolæ est valde accidentarium et extrinsecum. Vel est sermo de aliis sacramentis, excepto pœnitentiæ sacramento : et hoc est voluntarie dictum, et extra propositum, quia solum hic agebatur de sacramentis ministrandis hominibus in extremo periculo exsistentibus, quæ solum sunt eucharistia et pœnitentia, de quibus in tota epistola agitur. Et posset adjungi extrema unctio, sed omittitur, vel quia non est sacramentum necessitatis, vel quia est tamquam accessorium, quod ad illa duo consequitur. Ergo per communionem sacramentorum eucharistiæ participatio intelligitur. Tertio est hæc significatio valde ecclesiastica; nam communio simpliciter dicta, et per antonomasiam eucharistiæ usum significare solet. Et similiter sacramentum, absolute dictum, divinum illud sacramentum indicat. Et propter singularem dignitatem vel specierum pluralitatem solet in plurali sacramenta vocari, ut notavit D. Thoma III part., quæst. 73, art. 2. Atque ita intellexerunt illam vocem in dict. cap. *Multiplex.* Archid. et Turrecremata.

Primo.

Secundo.

Tertio.

17 Atque hinc fit ut per *januam* ad hanc communionem pœnitentiæ sacramentum certissime intelligatur. Quia speciali præcepto juris divini evangelici ordo per se necessarius inter hæc sacramenta est, ut nullus fidelis habens conscientiam peccati mortalis ad communionem eucharistiæ, nisi per januam absolutionis sacramentalis ingrediatur, ut in concilio Tridentino sess. 12 traditum est. Propter quod dixit Chrysostom. hom. 83 in Matth. et 60 ad populum, ad sacerdotalem potestatem et dignitatem pertinere, admittere vel rejicere peccatores ab hac mensa, ferendo judicium de illorum dispositione; quod in hoc sacramentali judicio maxime fit. Et de hac potestate sine dubio loquitur Leo, cum inquit : *Hanc præpositis ecclesiæ suæ tradidit potestatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent.* Quando enim hanc dedit potestatem, nisi cum dixit : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc.? Ex his enim verbis colligit ecclesia necessitatem confessionis, et nulla sunt alia, ex quibus colligatur. Nam actio pœnitentiæ non potest cum æquitate dari, nisi præmissa confessione, nec peccata possunt aliter juste remitti aut retineri. Ergo per *januam ad communionem sacramentorum* Leo intelligit confes-

Vox *janua* sacramentum pœnitentiæ ad communionem recte intelligitur.

sionem, quæ ante communionem necessaria est.

Actio pœnitentiæ in epistola Leonis recte potest significare impositionem satisfactionis in hoc sacramento.

18 Unde vox illa *actionem pœnitentiæ darent* hoc loco commode intelligi potest de impositione pœnitentiæ satisfactoriæ; nam statim subdit : *Et eosdem salubri satisfactione purgatos*. Unde per hæc verba indicatur ordo, quem vel regulariter olim servabat ecclesia, vel cum oportuerit ad debitam dispositionem pœnitentis servandus est, scilicet ut confessor audita confessione pœnitentiam imponat, quam pœnitens, priusquam absolvatur, adimpleat, ut ita melius dispositus absolutionem recipiat, per quam tandem ad communionem admittatur. Hunc enim sensum præ se ferunt illa verba : *Et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. Dixi autem verba illa *actionem pœnitentiæ* significare hoc locum partem illam hujus sacramenti, quæ est satisfactio, quia hæc est proprietas ejus rigorosa, quæ etiam ex contextu declaratur. Hoc vero non impedit, quominus aliis locis totum sacramentum pœnitentiæ significet, vel a parte totum nominando, sicut etiam solet confessio totum sacramentum significare, vel qua nomen pœnitentiæ totum sacramentum significare solet, ut infra videbimus, et in unoquoque sacramento ministerium ejus solet actio ejus appellari, ut actio baptismatis est ministratio ejus, et actio sacra solet per antonomasiam dici eucharistiæ sacrificatio.

Aliis in locis totum sacramentum pœnitentiæ significat.

Vox *reconciliatio* probabiliter significat in hac epistola Leonis absolutionem sacramentalem.

19 Ex quibus omnibus videtur concludi, nomine *reconciliationis* significatam esse hoc loco *sacramentalem absolutionem* : nam hæc absolutio est proprius actus illius potestatis, quæ data est sacerdotibus, *ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent*, et per illam eamdem absolutionem eos solent *ad communionem sacranmetorum admittere*. Quam expositionem etiam confirmant illa verba, quæ in secunda parte epistolæ habentur: *In quo vix habeat locum vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis*. Dum enim reconciliationem subjungit confessioni satis significat de absolutione se loqui sacramentali : illa enim est maxime ad salutem necessaria, et in cujus carentia potest periculum animæ imminere, de qua re ibi tractabat. Unde etiam nunc communi usu ecclesiæ solet interdum totum hoc sacramentum nomine reconciliationis significari. Merito autem potuit absolutio sacramentalis voce *reconciliationis* ab effectu nominari. Quia justificatio peccatoris solet in scriptura *reconciliatio* vocari juxta illud 2 Corinth. 5 : *Posuit in nobis verbum reconciliationis*. Justificatio autem hominis baptizati per se fit per verbum sacramentalis absolutionis, nec aliter potest a sacerdote per dictam potestatem fieri, et ideo vera reconciliatio cum Deo dicitur. Est ergo hæc satis propria illius vocis interpretatio. Quia, ut ait D. Thomas in 4 dist. 15, q. 1, art. 5, q. 2, reconciliatio nihil aliud est, nisi amicitiæ reparatio; quæ in sacramento pœnitentiæ maxime intenditur, ut idem sanctus doctor ait, III part., quæst. 90, art. 2. Nec est etiam aliena ab usu sacrorum canonum de sacramento pœnitentiæ loquentium, ut patet in cap. *Domino sancto* d. 50 et in cap. *significavit* de pœnitentia et remiss., et cap. *Sacerdos* 26, quæst. 7, et cap. 2 et 3 de pœnitentia, dist. 7 et maxime in Tridentino, sess. 14, cap. 1, dicente *Christum Jesum* (Joan. 20) *dedisse apostolis, et eorum successoribus potestatem remittendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos*. Et cap. 3 et can. 1 docet hoc sacramentum esse institutum *ad reconciliandum homines cum Deo*. Et ideo Gratianus in § *Ecce* 26, quæst. 6 juxta usum canonum duplicem reconciliationem peccatorum distinxit, publicam, quæ per episcopum fieri solebat, et occultam, quæ fieri potest a sacerdote *ex vi suæ ordinationis* (ut ait Turrecrem.) dummodo jurisdictionem habeat.

Admittit vox *reconciliatio* alios etiam sensus.

20 Sed licet hoc sit probabile tamen negare non possumus, quin vox *reconciliatio* alium etiam sensum admittat, et interdum sumatur pro absolutione a censura, interdum pro publica pœnitentium admissione ad communionem cum ecclesia in divinis officiis et sacramentis, ut modo ex Gratiano referebamus; et sumitur ex multis capitulis dist. 26, quæst. 6 et ex Cypriano epist. 13 alias lib. IV, epist. 17, ubi reconciliationem pœnitentis in necessitate committit diacono : quod non potest de absolutione sacramentali intelligi. Quapropter in diversis decretis vel locis ex circumstantiis illorum, et ex adjunctis verbis, ac contextu conjectandum est in qua significatione accipiatur. Et ideo ad explicanda Leonis verba, circumstantias loci consideravimus, quia re vera loquitur de reconciliatione per se necessaria ad salutem, et ad

Ex circumstantiis vero conjectandum in qua significatione accipiatur.

communionem eucharistiæ; et quæ est effectus potestatis remittendi peccata, et ideo ad illam est necessaria vera conversio peccatoris; de quibus omnibus in discursu epistolæ Leo mentionem facit.

Reconciliationem sumi pro aliquo distincto a sacramentis pœnitentiæ in epistola Leonis probabile est, id tamen instituto non obest.

21 Si quis tamen concedat Leonem nomine *reconciliationis* intellexisse aliquid diversum a sacramentali absolutione, imo etiam a toto sacramento pœnitentiæ, non multum repugnabo, quia veritas nostræ sententiæ non ex hac voce necessario pendet, ut infra dicam. Et habet etiam illa sententia aliquod fundamentum in discursu epistolæ, præsertim in illis verbis, quæ in principio secundæ partis habentur : *His autem, qui in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, et mox reconciliationis implorant.* Nam illud *pœnitentiæ præsidium*, ut infra dicam, et per se videtur satis clarum, non potest esse aliud, quam sacramentum pœnitentiæ, et maxime absolutio sacramentalis, hoc enim est, quod ægrotus in illo articulo maxime cupit, quodque ab ecclesia postulare potest, tamquam suæ animæ necessarium. Ergo ibi nomen *reconciliationis* aliud significat præter absolutionem sacramentalem. Nam illa particula *et mox* cogit nos ut dicamus *reconciliationem* illam esse aliquid distinctum a præsidio pœnitentiæ, quia ex illa constat reconciliationem tempore etiam separari a sacramento pœnitentiæ et *mox* post illud dari. Posset tamen quis per *præsidium pœnitentiæ* intelligere confessionem, et absolutionem vocare *præsidium reconciliationis*. Sed hoc non permittunt verba alia, præsertim illa, quæ in fine tertiæ partis habentur : *Beneficium pœnitentiæ et reconciliationis consequantur* : nam illud *beneficium pœnitentiæ* non potest esse confessio, quia sermo ibi est de homine, qui jam confiteri non potest, ut ibi videbimus : at illud pœnitentiæ beneficium idem est, quod *præsidium pœnitentiæ* ut per se patet, et statim confirmabimus. Unde hæc ultima verba etiam persuadent sub *reconciliationis* voce aliquid significari vel comprehendi, præter absolutionem sacramentalem. Quod etiam ex aliis juribus confirmari potest. Nam in cap. *Qui recedunt* et in cap. *Is qui* 26, quæst. 6, pœnitentia danda ægroto in illo articulo a reconciliatione distinguitur. Et Gratianus ibidem in cap. *Agnovimus*, cum Cœlestinus dixisset non esse denegandam pœnitentiam petenti illam in extremis, adjungit ipse : *Si autem pœnitentia non denegatur, nec reconciliatio deneganda est.* Ibi autem *pœnitentia* sacramentum pœnitentiæ significat : ergo reconciliatio aliquid amplius est.

Quid addat sacramento pœnitentiæ *reconciliatio* proxime sumpta.

22 Hac vero admissa interpretatione, explicandum superest, quid sit, vel quid addat hæc reconcilatio ultra absolutionem sacramentalem. Aliquis existimare potest significare absolutionem a censura. Sed hoc subsistere non potest loquendo de propria excommunicatione : tum quia, ut dixi, necessitas hujus reconciliationis est valde accidentaria et rara. Leo autem loquitur de illa reconciliatione, quam per se postulant omnes peccatores in illo articulo constituti. Tum maxime quia si reconciliatio esset absolutio a censura, deberet præmitti ad sacramentalem pœnitentiam : at Leo loquitur de reconciliatione, quæ subsequitur, ut constat ex illis verbis : *Præsidium pœnitentiæ, et mox reconciliationis;* et clarissime ex dict. cap. *Is qui*, ubi sic dicitur : *Pœnitentiam accipiat, et si mox creditur moriturus reconcilietur per manus impositionem.* Et hæ rationes, præsertim prior, etiam probant reconciliationem hanc, de qua Leo loquitur, non esse illam, quæ in publica pœnitentia fiebat; quia etiam illa non est per se necessaria omnibus peccatoribus, præsertim in articulo mortis constitutis, de quibus canones dicunt, non fuisse illis pœnitentiam solemnem necessariam.

Quorumdam responsio non subsistit.

Sententia dicentium significare eucharistiam.

23 Propter hanc igitur fortasse causam Archid. dict. c. *Multiplex*, et dict. c. *Is qui* reconciliationem intellexit, id est *corpus Christi :* quem sequutus est Turrecrem. in eodem cap. *Multiplex* in fine. Postestque hæc expositio fundari in dict. c. *Qui recedunt* 26, q. 6, ubi concilium Arausicanum præcipit dari viaticum his ægrotis in necessitatis articulo, absque reconciliatoria manus impositione : quia *ipsum viaticum* (ait) *judicatum est a patribus sufficiens reconciliatio.* Hinc etiam, ut notavit Bellarm. lib. II de Imaginib. cap. 9, solent veteres Tertull. Cyprian. et alii pro eodem accipere *communionem reconciliationem, et pacem;* et colligitur ex concilio Eliberitano, can. 69, ubi de committente adulterium dicitur : *Quinquennio agat pœnitentiam, et sic reconcilietur, nisi necessitas infirmitatis coegerit ante tempus dare communem.* Item confirmat optime Innocentius papa in epi-

Probatur hæc significatio variis exemplis.

stola 3, ad Exuperium, c. 2, ubi similiter, quam prius vocat *communionem*, postea vocat *reconciliationem;* et in principio ponit interrogationem de his, qui pœnitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt. Et Leo papa epist. 77, ad Nicætam, cap. 6, eamdem reconciliationem vocat *communionis gratiam*. Quæ nomine etiam *benedictionis* significatur in cap. *Si vero* d. 50. Et huic expositioni consonant etiam tam titulus, quam discursus hujus epistolæ Leonis. Sic enim optime intelligitur quid petat ægrotus, cum *præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorat :* petit enim duo sacramenta pœnitentiæ et communionis, quæ in titulo hujus epistolæ danda ei dicuntur. Utrumque est, ac locum habet etiam in eo, qui sensum et rationem amisit, dummodo periculum irreverentiæ non timeatur, ut docuit D. Thomas 3 p., q. 80, art. 9, ex concilio Carthagin. 4, in dict. cap. *Is qui* 26, q. 6, et sumitur etiam ex Augustino epist. 118.

Minus dure accipitur pro admissione ad ipsam eucharistiam.

24 Quia vero dura videtur illa expositio, et significatio hujus vocis *reconciliatio* nimirum pro ipso Christi corpore; ideo, non contradicendo dictis doctoribus, sed eorum mentem exponendo, addere possumus reconciliationem illam esse admissionem pœnitentis ad sacram communionem. Nam qui est in statu peccati mortalis, quamvis non sit specialiter excommunicatus per ecclesiam, ex divino jure remotus est a participatione sacramentorum, et præsertim eucharistiæ, ad quam nullatenus accedere debet, nisi præmisso prius sacramentali judicio. Et quamvis post receptam absolutionem a sacerdote videatur homo dispositus ad communionem, tamen judicio sacerdotis cohiberi potest, ut aliquo tempore non communicet, donec melius disponatur, vel aliquod scandalum tollatur. Consonantque verba Augustini epist. 118, ad Januarium, cap. 3 : *Sit anta est plaga peccati, ut medicamenta talia* (eucharistiæ) *differenda sint, auctoritate antistitis debet quoque ab altari removeri ad agendam pœnitentiam, et eadem auctoritate reconciliari,* id est ad eucharistiam admitti. Et licet Augustinus in illis verbis alium loquentem introducat; tamen nec sententia, nec loquendi modus illi displicet. Et Ambr. in c. *Nonnulli* de pœnitentia d. 1, reprehendit graves peccatores, qui ita poscunt pœnitentiam, ut communionem statim illis reddi velint. Igitur dari potest pœnitentia, non concessa communicandi facultate. Quando ergo sacerdos ita absolvit pœnitentem, ut etiam tribuat facultatem statim communicandi, dicitur non tantum ei pœnitentiam dare, sed etiam illum reconciliare Deo et sacræ communioni. Qui sensus videtur aptissimus, et intentioni hujus epistolæ consentaneus, ut ex dictis satis constat.

Quid significat *manuum impositio* pœnitentibus fieri olim solita.

25 Solum potest quis dubitare, quia ad hoc genus reconciliationis nulla specialis cæremonia necessaria est, sed post absolutionem simplici verbo, seu licentia fieri potest . At in dict. c. *Is qui* dicitur de illo ægroto, cui datur pœnitentia propter extremum periculum : *Si statim creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem.* Et quamvis in superiori cap. *Qui recedunt* dicatur in illo articulo necessitatis *posse ægrotum reconciliari sine manus impositione :* intelligendum videtur (ut Glossa ibi notat) sine publica et solemni manus impositione, quæ in ecclesia fieri solebat, et ita non est contrarum alteri capiti, quod de privata manus impositione loquitur.

Respondetur.

26 Respondetur ergo illam cæremoniam fuisse necessariam pro publicis pœnitentibus, ideoque verisimile esse illa concilia Carthagin. et Arausican. loqui de publicis pœnitentibus, quod nihil obstat nostro proposito, ut supra dixi de hac epistola Leonis, et infra planius fiet expendendo illos canones. Quamquam etiam dici potest, concilia loqui ex præsumptione quadam; nam eos, qui adeo sunt negligentes suæ salutis, ut pœnitentiam usque ad mortem differant, tamquam publicos peccatores reputarunt, et per impositionem manuum reconciliari voluerunt. Recte etiam potest in illis verbis subintelligi conditio, quod fiat reconciliatio per manus impositionem, si pœnitens illa indiguerit. Denique non est improbabile olim usitatum fuisse post absolutionem sacramentalem adhibitam esse hanc cæremoniam imponendi manus in signum hujus reconciliationis, seu admissionis, aut licentiæ ad communicandum, ut innuit Durantus lib. 1, de Ritib. Ecclesiast. c. 19. Nunc vero non est in usu, sed simplex verbum confessionis sufficit. Imo si confessor simpliciter absolvit, et non prohibet, nec limitat communionis tempus, eo ipso tacitam communicandi facultatem dare censetur.

Secunda epistolæ pars.

Quid generatim asserat, seu definit Leo in secunda epistolæ parte.

27 In secunda epistolæ parte respondet Leo generatim interrogationi sibi factæ per illam assertionem, quæ in titulo epistolæ continetur : *Sacramenta pœnitentiæ et Eucharistiæ danda sunt illa legitime petentibus in extremo necessitatis articulo.* Hæc assertio in illis verbis continetur : *His autem, qui in tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda.* Quorum verborum sensus quoad illa duo, quæ homo in necessitate constitutus petere dicitur, jam satis declaratus et comprobatus est, videlicet nihil aliud esse posse, nisi illa duo sacramenta, sub quibus comprehenditur quidquid illis annexum vel ad illa est necessarium, tamquam accessorium sub principali. Et ideo si infirmus indiguerit absolutione a censura, illam etiam postulare censetur sub illis verbis, vel sub quibuscumque aliis, per quæ illa duo sacramenta postulat. Imo etiam censetur petere sacramentum extremæ unctionis, quamvis illud non exprimat, tum quia censetur habere virtualem voluntatem illius, tum etiam quia pro illo articulo est quodammodo annexum sacramento pœnitentiæ, utpote ad tollendas reliquias peccatorum ordinatum. Quin imo etiamsi solam pœnitentiam ab ecclesia postulet, censetur et pœnitentiæ sacramentum et Eucharistiæ postulare juxta regulam textus in cap. *Quod in te* de pœnitentia et remiss. quam infra cap. 4 latius tractabimus. Nam pœnitentiam petendo, intelligitur velle quidquid ad salutem sibi necessarium est; quod sufficit.

Peti ab ægroto sacramentum pœnitentiæ verbis illis *præsidium pœnitentiæ* de probatur primo.

28 Igitur quod per illa verba intelligendum sit ægrotum petere sacramentum pœnitentiæ, nemo (ut existimo) quantumvis protervus inficiabitur. Primo quia re vera illud est, quod fideles tunc maxime optant ab ecclesia. Nec enim ab illa postulant internam pœnitentiam, quam jam supponuntur habere cum ecclesiasticam petunt, et ex Spiritus Sancti inspiratione habenda est, ut ibidem Leo subjungit. Nec etiam petunt solam cæremonialem pœnitentiam, quæ internam animæ salutem, de qua sunt soliciti, per se non confert. Secundo quia si nomine *reconciliationis* intelligamus eucharistiam, seu admissionem ad illam, ex ipsa pœnitentiæ conjunctione constat, per illam intelligi sacramentalem pœnitentiam per se necessariam ante eucharistiam; si vero intelligamus per *pœnitentiæ præsidium* impositionem pœnitentiæ, vel aliquid simile, necesse est, ut per *reconciliationem* sacramentalem absolutionem præcipue intelligamus, quia utrumque verbum ad peregrinos sensus, et ab illo articulo necessitatis alienos detorquere absurdissimum est.

Secundo.

Tertio.

29 Cum ergo Leo papa respondeat, huic petitionis talis infirmi satisfaciendum esse, sine dubio præcipit utrumque sacramentum illi dari. Et omisso pro nunc sacramento Eucharistiæ, de sacramento pœnitentiæ verba sunt clara, si per *reconciliationem* absolutionem sacramentalem intelligamus. Si vero intelligatur eucharistia, vel quidpiam aliud nomine *satisfactionis*, totum sacramentum pœnitentiæ intelligendum est, a parte totum nominando, quod est usitatum, et juxta circumstantiam literæ necessarium. Quia alias non satisfieret petitioni pœnitentis, neque ejus necessitati, quo Leo intendit. Neque etiam alio modo sufficienter responderet Leo interrogationi sibi factæ, Numquam enim fuit dubium in ecclesia, an talibus pœnitentibus possit aliquod genus satisfactionis imponi : sed de satisfactione sacramentali erat dubium, et multo magis de remissione peccatorum, quæ per ipsum sacramentum datur. Ergo ad hoc dubium respondet per illa verba : ergo per *satisfactionem* ibi intelligit sacramentalem satisfactionem, et sub illa totum sacramentum, seu ministerium sacerdotis, ac complementum hujus judicii, quod in absolutione positum est. Frustra etiam in illo articulo pœnitentia imponeretur sine absolutione, tum quia sine illa non potest habere effectum ex opere operato, tum etiam quia in illa necessitate, non solent ægroti habere facultatem implendi satisfactionem. Unde potius doctores docent, in illo articulo non esse necessarium satisfactionem imponere, sed ad summum indicare, quam peccator merebatur, ut per contritionem illius defectum supplere studeat. Ergo cum Leo dicit satisfactionem non esse interdicendam, maxime id dicit ratione absolutionis, sive nomine partis totum sacramentum comprehendatur, ut

dixi, sive sensus sit, satisfaciendum esse petitioni talis ægroti.

Quarto probatur ratione, et Scriptura, allatisa Leone.

30 Præterea hoc evidenter convincit ratio, quam Leo subjungit, et testimonia scripturæ quæ allegat. Nam ex his principiis non solum legum, ac decretorum, sed etiam aliorum doctorum sensa investigare solemus. Ratio autem Leonis est : *Quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio.* Testimonia vero Scripturæ, quæ allegat, sunt illud Ezech. 33 : *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris;* et Isaiæ 43 : *Dic tu iniquitates prius, ut justificeris.* Dices hæc et similia intelligi de interna pœnitentia et fructu ejus apud Deum. Respondeo etiam remissionem peccatorum, quæ in sacramento fit, ab ipso Deo fieri, licet per ministros ejus fiat. Nam ut paulo antea idem Leo dixerat : *Huic operi ipse salvator intervenit, neque umquam ab his abest, quæ ministris suis exsequenda commisit.* Recte ergo ex modo, quo se gerit Deus in remittendis peccatis, colligit Leo quid faciendum sit ministris ejus in venia præstanda eorumdem peccatorum. Loquitur ergo de venia et remissione culparum, atque adeo de absolutione, per quam illa conceditur. Unde statim concludit : *In dispensandis igitur Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque negligere.* Quasi dicit : Cui Deus remissionem non negat, etiamsi sero et in necessitate eam petat, nec minister ejus debet illam negare, cum ejus donum dispenset. In quo verbo alludit ad illud Pauli : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei :* propriissimeque dicuntur de ministerio sacramentorum. Item in verbis illis : *Nec accusantium se lacrymas* etc., aperte confessionem peccatorum indicat, quam dicit non esse negligendam : satis autem negligeretur, si absolutione sacramentali digna non censeretur. Manifestissimum ergo est generalem responsionem, quam in hac parte Leo tradit esse de sacramento pœnitentiæ, quod in illo articulo peccatoribus ministrandum est.

Tertia epistolæ pars.

Exponitur tertia pars epistolæ Leonis.

31 In hac parte applicat S. Pontifex generalem responsionem ad aliquos particulares casus : possumusque in ea præambulum quoddam, et tria ejus membra distinguere. Ne forte enim ex facilitate veniæ, quam in responsione prius data indicaverat, et ex illius amplicatione, quam in hac parte adjungere volebat, peccatores sumerent occasionem differendi pœnitentiam usque ad mortem; ideo prius interponit admonitionem dicens : *Unde oportet unumquemque christianum conscientiæ suæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat.* Ubi solum expendo evidenter loqui ad omnes christianos, et non solum ad publicos pœnitentes. Item loqui de his, qui tam confessionem, quam satisfactionem differunt, et se redigunt ad eas angustias, ubi *vix habet locum confessio pœnitentis.* Supponit ergo non esse factam, sed in illis angustiis temporis esse faciendam. Et ideo dicit : *Vix locum habeat*, quia restringit casum ad eas angusias temporis, quo vel pœnitens non potest integre confiteri, vel non potest loqui, et similes. Indicat denique ideo esse gravissimum hoc periculum, quia si eo perveniat impotentia pœnitentis, ut nec vix confiteri possit, id est ut nullo modo confiteri possit, carebit necessario hoc remedio. Clare igitur sensit, eum, qui nullo modo confiteri potest, prius quam moriatur nec sacramentum, seu absolutionem sacramentalem posse obtinere, si tamen qualemcumque confessionem faciat, absolvendum esse.

Triplex casus proponitur a Leone.

32 Hoc igitur trimembri quadam divisione in hac tertia epistolæ parte declarat, quamquam duo tantum membra expresse proponit, aliud vero innuit, vel potius supponit, dicens : *Verum* (ut dixi) *etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus quærere comprobentur.* Tres itaque status hujusmodi urgentis necessitatis intelligere possumus. Primus est quando vita hominis re vera periclitatur, tamen adhuc sentit, et loqui potest, proprioque vocis signo peccata sua, vel omnia, vel saltem aliqua confiteri. Secundus est, quando jam loqui non valet, adhuc vero sentit, et intelligit, potestque signa aliqua suæ conscientiæ exhibere ipsi sacerdoti. Tertius est, quando ægrotus coram sacerdote nec loqui potest, nec signum exhibere, quia nec sentit, nec rationis usum habet. Primum statum non ponit expresse, quia vulgaris est, et novam

Primus.

Secundus.

Tertius.

difficultatem non habet, supposita generali responsione. Innuit tamen illum in prædictis verbis, ponendo casum vel statum secundum; significatque, quamdiu homo loqui potest, debere proprio sermone ac voce coram sacerdote peccata sua integre quantum potuerit confiteri. Adeo enim hoc esse necessarium putavit Leo papa, ut oportere crediderit admonere, illam non esse necessitatem simpliciter et essentialem, scilicet ut confessio verbo fiat, quia in casu necessitatis vel impotentiæ alia signa possunt sufficere.

Primus casus innuitur.

33 Ob hanc ergo causam illum secundum casum seu statum ponit, in quo aperte docet servandam esse positam regulam, ut utrumque sacramentum pœnitentiæ et eucharistiæ tali ægroto ministretur. Hæc enim duo sacramenta significat per illa duo verba : *Actio pœnitentiæ et communionis gratia*. Nam hoc posterius evidentissimum est; prius vero supra jam explicatum est, et ex conjunctione cum alio fit satis manifestum, et ex eo ipso contextu et ex omnibus hactenus tractatis. Ponderanda enim sunt illa verba : *Verum ut dixi;* ergo de illo modo subveniendi ægroto in hoc casu loquitur, de quo generalem responsionem dederat. Illa autem fuerat de subventione per administrationem illorum duorum sacramentorum : eadem igitur in hoc casu dari jubet.

Secundus casus exponitur.

34 Tandem in ultima parte responsionis urget necessitatis articulum ad impotentiam ægroti significandi aliquid sacerdoti in præsentia ejus propriis verbis aut nutibus; et nihilominus etiam tunc dicit esse servandam regulam traditam, dicens : *Quodsi aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant; testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequatur.* In quibus verbis expendo in primis illa : *Ut quod paulo ante poscebant sub præsentia sacerdotis significare non valeant.* Nam hæc verba respondent illis superioribus : *His autem, qui in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, et mox reconciliationis implorant.* Hoc ergo est, *quod paulo ante poscebant,* scilicet *præsidium pœnitentiæ et reconciliationis.* Sententia ergo Leonis est etiam in hoc casu satisfaciendum esse petitioni et desiderio ægroti indigentis. Et ad hunc effectum vult in eo casu sufficere testimonium circumstantium de præteritis signis et petitione ægroti, non minus quam signa ipsa in præsentia sacerdotis data sufficerent. Quod satis expresse declarat illis verbis : *Testimonia eis circumstantium prodesse debebunt, ut simul beneficium pœnitentiæ et reconciliationis consequantur.* Præcipit igitur etiam in eo casu ministrari tali ægroto sacramentum pœnitentiæ et communionis, ut in titulo totius epistolæ, et in tota illa sine limitatione, vel mutatione alicujus partis dicitur.

Tertius casus, in quo etiam danda dicitur absolutio pœnitenti, qui petierat absente sacerdote.

35 Atque hæc est conclusio principaliter a nobis intenta in toto hoc discursu, quæ tribus modis ex ipsamet epistolæ, serie, et verbis ejus sine ulla tergiversatione judicio meo colligitur. Primo ex connexione totius sententiæ, et ultimæ partis ejus cum reliquis omnibus partibus sine ulla variatione, mutatione aut limitatione verborum. Si enim in prima parte epistolæ fundamenta jaciuntur de sacramento pœnitentiæ, et in secunda de eodem sacramento generalis datur responsio, quod tale sacramentum dandum est petenti illud in extremis : ac tandem in tertia distinguuntur in particulari gradus et modi illius necessitatis, et in duobus primis idem decernitur, ac denique eodem tenore verborum eadem responsio applicatur ad ultimum casum; quis audebit dicere de alia re sermonem esse in his ultimis verbis, quam in cæteris partibus epistolæ?

Conclusio principaliter intenta in toto hoc probatur primo.

36 2° Specialiter id probatur ex eo, quod in illo ultimo casu præcipit Leo dari pœnitenti id, *quod paulo ante pascebat :* ostensum autem est, quod poscebat sacramentum pœnitentiæ, ut ex illis verbis : *Præsidium pœnitentiæ implorant,* et ex intentione et interrogatione totius epistolæ manifestum est : ergo hoc etiam est, quod Leo papa dari illi præcipit, cum dicit, *beneficium pœnitentiæ consequatur.* Alias neque satisfaceret interrogationi sibi factæ, sed rem magis confusam, et incertam relinqueret; nec præciperet dari pœnitenti, quod paulo ante poscebat.

Probatur secundo.

37 Tertio ex vi illorum verborum *beneficium pœnitentiæ et reconciliationis.* Quocumque enim modo utramque dictionem interpretemur, necesse est, ut sub alterutra sacerdotis absolutio comprehendatur. Aut enim reconciliatio intelligitur de perfecta reconciliatione non solum cum ecclesia, sed

Probatur tertio

etiam cum Deo, et hæc non fit a sacerdote nisi per absolutionem sacramentalem, vel est eucharistia, vel quælibet cæremonialis absolutio, et sic saltem necesse est, ut *beneficium pœnitentiæ* sit eadem absolutio, quia nullum aliud beneficium potest præstare sacerdos pœnitenti in illo articulo constituto.

Sensum verum Leonis quidam detorquent.

38 Verumtamen non obstante tota hac evidentia, non defuerunt, qui varios modos pervertendi sensum Leonis invenerunt, detorquendo illa duo verba ad varios, et peregrinos sensus, quos in sequenti capite ex professo referre et improbare necesse est.

CAPUT III.

Referuntur varii modi pervertendi sensum Leonis, et exploduntur.

Quomodo aliqui interpretentur Leonem.

1 Venit ad manus meas incerti auctoris scriptum, qui hujus epistolæ contextum ita interpretatus est, ut dicat, in prima ejus parte loqui Leonem de sacramento pœnitentiæ, miscendo etiam sermonem de externa reconciliatione : et in secunda parte similiter loqui de utroque beneficio dandi in extremis. Itemque in priori membro partis ultimæ, de eodem sacramento pœnitentiæ, cum communione aut reconciliatione esse sermonem, et nihilominus in illo ultimo membro tantum loqui Leonem de accidentali pœnitentia et reconciliatione, quæcumque tandem illa sit. Nam per illa verba : *Quodsi aliqua vi ægritudinis aggravati* etc., ait ille glossator, *respondet* (scilicet Leo papa) *ad secundum quæsitum pœnitentiæ publicæ et solemnis, quam in principio vocavit januam ad sacramenta, ita ut ad solemnem sufficiat relatio pœnitentiæ infirmi sine voce vel judicio existentis; quod dixit ad primum, non sufficere ad sacramenta.*

Impugnatur, et exploditur prædicta interpretatio.

Primo.

2 Hæc sunt formalia verba, satis in se obscura, et perplexa, gratisque inventa ad obscurandum lumen, et involvendam sententiam per se satis perspicuam. Nam in primis apud Leonem non legitur duplex quæsitum, unum de pœnitentia sacramentali, aliud de solemni; sed est sola interrogatio et responsio de pœnitentia morientibus præstanda : illa scilicet pœnitentia, quæ *restituit spem vitæ æternæ*, addita si necesse fuerit cœremoniali reconciliationi ad viaticum præstandum. Deinde esto esset duplex quæstio, utrique tam diserte et affirmative respondit Leo in casu proposito, in illo ultimo membro tertiæ partis epistolæ, sicut in generali responsione proposita in secunda parte : et sicut in casu, in quo ægrotus per propria indicia pœnitentiam postulat. Præterea ubi legitur apud Leonem in illa epistola relationem pœnitentiæ infirmi (scilicet cum petitione absolutionis) sine voce, et judicio existentis sufficere ad solemnem pœnitentiam, non vero ad sacramentalem? Nam ille glossator dicit, hoc patere ex littera : *Ut patet* (inquit) *ex litera :* at in litera nullum est hujus rei indicium. Quin potius illa duo verba *beneficium pœnitentiæ et reconciliationis* necessario comprehendunt pœnitentiam sacramentalem, ut a nobis ponderatum est : ipse autem nec vim illorum verborum declarat, ut illa effugiat, neque etiam contextum et consequutionem totius epistolæ a principio usque ad finem tenet.

Secundo.

Tertio.

3 Addit vero idem glossator interpretationem suam patere ex glossa finali utriusque capitis; intelligere autem videtur cap. *His qui* 26 quæst. 6, et cap. *Multiplex* de pœnitentia dict. 1. Sed in priori unica est glossa ad verbum *fide*. Nam quia Leo papa post illa ultima verba limitare videtur responsionem suam his verbis : *Servata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum a fide discedendo peccarunt*, addit prædicta glossa : *Tales enim non sunt recipiendi sine reconciliatione solemni aut juramento*, ut 1, quæst. 7, cap. *Convenientibus*, et cap. *quoties*. Quæ jura cum aliis citat altera glossa, et nihil aliud addit. Hinc vero colligere voluit ille impugnator, secundum has glossas loqui Leonem ibi de sola illa reconciliatione solemni, et tacite indicat hanc rationem, quia si Leo ibi tractaret de absolutione sacramentali, non exciperet hæreticos : quia in fine omnibus sunt ministranda sacramenta, si capaces sint, ut traditur 26, quæst. 6 fere per totam : at excipit per illa verba, *ut glossæ sentiunt:* ergo non loquitur de sacramentali absolutione, sed tantum de solemni et externa reconciliatione.

Unde colligunt illi auctores suam interpretationem,

et subindicant rationem.

4 At vero nec textus, nec glossæ dicunt esse negandum hæreticis beneficium pœnitentiæ, seu absolutionem sacramentalem. Sed tantum dicunt hæreticum non esse solemniter reconciliandum sine prævia ab-

Falsum tamen docere late ostenditur.

juratione. Unde ad summum habetur illi non esse præstandum beneficium reconciliationis cum ecclesia; non tamen sequitur esse etiam negandum beneficium pœnitentiæ apud Deum, si de illius pœnitentia satis constiterit. Quod significavit archidiac. in cap. *Qui recedunt*, 26, quæst. 6. Imo Turrecremata cum Hugone ibi existimat exceptionem illam Leonis non esse copulandam cum solo illo membro, sed cum tota responsione, et omnibus casibus ejus. Quod mihi valde placet. Tum quia contextus ipse hoc postulat, tum etiam quia in omnibus casibus est necessario servanda illa regula, ut probant canones a glossis citati, qui absolute præscribunt modum reconciliandi abjurantem hæresim. Unde subjungit idem Turrecremata cum eodem Hugone intelligendam esse regulam illam ad modum legis positivæ, quæ servanda est, quantum potuerit : ac proinde in illo ultimo casu, in quo abjuratio postulari non potest ab infirmo carente sensu, sine illa dari ei posse tam beneficium pœnitentiæ, quam reconciliationis : quod mihi etiam non displicet. Addo vero ulterius etiam in illo casu, in quo ægrotus sensum amisit, servandam esse regulam, quantum potuerit, nimirum ut circumstantes testimonium præbeant, illum retractasse hæresim, vel si fieri potuerit etiam abjurasse, vel saltem si gravitas morbi aliud non permiserit, dedisse signa pœnitentiæ, non solum de peccatis in genere, sed etiam specialiter de crimine hæresis, quando illud publicum fuerit. Igitur neque ex illis ultimis verbis Leonis, neque ex dictis glossis colligi ulla ratione potest, quod in illa ultima parte epistolæ non sit sermo de vero pœnitentiæ sacramentalis beneficio, neque etiam quod ab hoc beneficio sint excludendi hæretici omnes, sed solum quod in illo beneficio eis præstando major cautio juxta canonicas sanctiones adhibenda sit.

Supponunt adversarii beneficium pœnitentiæ et reconciliationis idem esse.

5 Præter seriem autem et contextum epistolæ videamus, an verba illa *beneficium pœnitentiæ et reconciliationis* permittant evasionem aliquam, suppositis aliis circumstantiis ejusdem epistolæ. Supra enim cap. 1 hujus partis, num. 3, retulimus quinque vel sex modos eludendi proprietatem verborum Leonis : qui fere omnes supponere videntur idem omnino esse beneficium pœnitentiæ et reconciliationis, ac proinde si unum verbum illorum potest de re alia quam de sacramento pœnitentiæ intelligi, utrumque posse eodem modo exponi. Prius ergo necesse est, ut hanc suppositionem refellamus, deinde ut per singulas interpretationes discurramus.

Ex epistola Leonis duo esse beneficia ostenditur.

6 Dicimus ergo manifestum esse ex epistola Leonis, de diversis rebus duobusque beneficiis loqui, cum ait, *ut simul pœnitentiæ, et reconciliationis beneficium consequantur*. Quod in primis suadet proprietas illius particulæ, et præsertim bis repetita, et singulis dictionibus adjecta. Nam illa particula ex vi sua habet conjungere diversa; ut est etiam jurisperitorum regula; Glossæ Bartholi et aliorum in Rubrica de *juris et facti ignorantia*. Quod si aliquando conjungit verba synonima; est minus propria minusque rigorosa locutio, et cum repetitione illius copulæ, et adjectione illius ad utrumque membrum synonimum, vix umquam reperietur in usu. Secundo hoc convincit illa particula *simul*. Quod enim unum et idem est, non præcipitur simul dari : at Leo præcipit dari *simul* hoc et illud beneficium; ergo supponit esse distincta; imo etiam supponit solere unum post aliud dari, in eo vero casu propter summam necessitatem simul esse conferenda. Tertio in superioribus verbis, quæ in secunda parte epistolæ habentur : *His qui in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorant*, illa particula *et mox* tantam distinctionem ostendit, ut tempore separarentur illa præsidia, et unum post aliud daretur : ostendimus autem illa duo, quæ postea numerat Leo, respondere illis duobus supra numeratis, esseque idem variato solum nomine *præsidii* in nomine *beneficii*, quæ nulla mutatio in re est : ergo sunt illa distincta beneficia. Denique jam supra ex Gratiano retulimus illa verba : *Cui pœnitentia non denegatur, nec reconciliatio deneganda est;* quæ evidenter distinctionem ostendunt. Sunt ergo hæc distincta beneficia.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Prima interpretatio adversariorum ad verba Leonis in particulari.

7 Hoc igitur stabilito fundamento jam singulas interpretationes videamus. Prima interpretatio est ut verba intelligantur de reconciliatione publica et solemni; nam licet hæc non haberet locum circa ægrotos cum tota sua solemnitate, aliqua similis reconciliatio poterat in necessitate privatim dari. Hæc vero interpretatio refellitur primo, quia Leo non loquitur de solis pec-

Refellitur primo.

catoribus publicam pœnitentiam agentibus, sed in universum de omnibus, qui in illud periculum incidunt, ut ostensum in superioribus est. At quia supra diximus nolle nos coarctare interpretationem hujus epistolæ, quoad hanc partem ad hoc, ut de his, vel illis peccatoribus loquatur, ideo facimus præcipuam vim in hoc, quod licet illa expositio possit aliquo modo sustineri quoad *beneficium reconciliationis*, nihil superest quod per *beneficium pœnitentiæ* interpretari possimus, si absolutionem sacramentalem excludamus, cum tamen ostensum sit esse aliquid distinctum a reconciliatione. Quod autem nihil supersit, quod sub illa voce significari possit, constabit aperte discurrendo per alias interpretationes. Et præterea illa reconciliatio externa perinde se habebat ac absolutio ab excommunicatione : nam separatio illorum publice pœnitentium vel a participatione eucharistiæ, vel a missæ sacrificio, vel a consortio fidelium in certis locis templi, quidam modus excommunicationis erat, et ideo reconciliatio eorum etiam erat veluti quædam absolutio ab excommunicatione. Unde omnia, quæ in puncto sequenti afferemus ad probandum non recte exponi illa verba de sola absolutione ab excommunicatione, etiam convincent non satis exponi de sola hac reconciliatione externa, quæcumque tandem illa excogitetur.

Secundo.

Secunda interpretatio quomodo intelligi possit ab adversariis.

8 Secunda ergo expositio est, ut intelligantur illa verba Leonis de absolutione ab excommunicatione. Quod intelligi potest vel quoad *beneficium reconciliationis*, vel quoad *beneficium pœnitentiæ*, vel quoad utrumque simul. Hoc postremum jam non habet locum, quia ostensum est illa duo esse diversa, et ideo non posse de una et eadem absolutione a censura utrumque exponi. Si autem dicatur primum; esto, illud admittamus. Urget argumentum factum, quod nihil superest intelligendum per *beneficium pœnitentiæ*, præter absolutionem sacramentalem. Illud etiam grave est, quod ostendimus, beneficium illud pœnitentiæ fuisse dandum ante beneficium reconciliationis, ut probant illa verba : *Præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis;* et illa ex cap. *Is qui* 26, quæst. 6 : *Accipiat pœnitentiam, et si continuo creditur moriturus; reconcilietur.* At vero ante absolutionem ab excommunicatione nullum beneficium ecclesiæ dandum est excommunicato, quia non est communicandum cum illo in spiritualibus. Superest ergo ut auctores hujus expositionis eligant secundum, et dicant *beneficium pœnitentiæ* esse absolutionem ab excommunicatione : *beneficium* autem *reconciliationis* esse eucharistiam. Et hanc expositionem, quoad vocem *pœnitentiæ* amplexi sunt Soto, et Navarrus propter glossam in dict. cap. *Is qui*, quamvis illa nec clare loquatur, ut cap. 5 dicam nec exponat hunc textum Leonis, sed alium concilii Carthaginensis. In quo facilius decipi potuit, quia brevior est, et non habet contextum, ex quo tam evidenter convinci possit intentio loquentis.

Ultimus modus rejicitur.

Rejicitur primus.

Secundus modus proponitur, ut per beneficium pœnitentiæ intelligatur absolutio ab excommunicatione, et per reconciliationem Eucharistia.

9 At in epistola Leonis nullo modo sustineri potest illa interpretatio. Et in primis non parvi momenti argumentum est quod nullibi invenietur in jure nomen *pœnitentiæ* aut *beneficii pœnitentiæ* usurpatum ad significandam absolutionem ab excommunicatione. Est autem frequens ut significet absolutionem sacramentalem, ut consequenti ostendam. Ast hoc argumentum procedit etiam de cap. *Is qui* et quolibet alio simili. Secundo est etiam urgens argumentum, quod per reconciliationem non tam intelligitur ipsa actualis communio, seu collatio eucharistiæ, quam aliqua externa admissio ad illam, ut supra declaravi, et probavi ex dict. cap. *Is qui*. Hæc autem admissio exterior sufficienter fit per absolutionem a censura, ubi illa est necessaria, et antecedit; nam per illam reconciliatur homo ecclesiæ, et ad communionem sacramentorum admittitur, ut constat ex cap. *Cum aliquis* 11, quæst. 3, quod latius refertur in II tomo conciliorum post concilium Arausicanum. Quæ igitur nova reconciliatio externa necessaria fuisset, si absolutio ab excommunicatione præcessisset, et sacramentalis dari non posset? Tertio urgeo rationem illam, quia Leo papa non agebat hic de excommunicatis in particulari, ut per *beneficium pœnitentiæ* absolutionem ab excommunicatione intelligeret, sed agit in universum de peccatoribus indigentibus beneficio pœnitentiæ omnibus communi : quod satis in discursu epistolæ declarat esse sacramentum. Et si aliquando sermonem misceat de aliqua alia cæremoniali vel externa absolutione, significat illam nomine *reconciliationis*, non *pœnitentiæ*.

Rejicitur primo hic secundus modus.

Rejicitur secundo.

Rejicitur tertio.

10 Ultimo vero demonstratur hoc sine tergiversatione ex eadem epistola Leonis.

Rejicitur quarto, et satis aperte.

Nam in prima illius parte dicit *beneficium pœnitentiæ* de quo loquitur, tale esse, *ut si quis manens in corpore illud non reperit, consequi exutus carne non poterit.* Ergo si per illam pœnitentiam aliqua absolutio intelligenda est, profecto debet esse talis absolutio, quæ port mortem dari non possit: non ergo absolutio ab excommunicatione; nam hæc etiam post mortem dari potest, juxta cap. *A nobis* 2 de sentent. excomm. Est autem animadversione dignum magistrum Soto, ubi supra, contrario argumento uti ad suadendam suam interpretationem, quod pœnitentia illa sit absolutio ab excommunicatione; quia talis erat illa pœnitentia, ut post mortem dari posset. Quo antecedente admisso, optime inferret: nullam tamen illius antecedentis probationem affert: et mirum est, quod contra verba expressa Leonis illud assumat. Signumque est aut integram epistolam Leonis non legisse, aut verba illa non satis considerasse. Quæ profecto recte expensa satis sunt ad omnes fere alias falsas interpretationes explodendas. Nam omnis alia reconciliatio externa, et omne aliud genus pœnitentiæ homini jam mortuo dari potest. Et hoc unicum verbum posset esse sufficiens pro aliarum evasionum impugnatione, ut autem res clarior fiat breviter illas percurremus.

Tertia interpretatio adversariorum ad verba Leonis.

11 Erat ergo tertia expositio, ut *beneficium* illud *pœnitentiæ* sit impositio pœnitentiæ satisfactoriæ; post quam relinquitur locus externæ reconciliationi, sive per absolutionem a propria excommunicatione sive per impositionem manus in ordine ad eucharistiæ sacramenti communicationem. Statim vero apparet incredibilis hæc evasio. Primo quia juxta antiquos canones, potius in illo articulo necessitatis non erat necessarium imponere satisfactionem ægroto, ut constat 26, quæst. 6 et 7 per totas. Secundo quia illud non tam esset beneficium, quam onus pœnitentiæ, cum ad remissionem culpæ nihil valeret. Tertio quod caput est, quia agimus de homine qui nec vires habet, nec sensum, nec rationis usum: quomodo ergo illi posset talis satisfactio imponi vel indicari. Respondere possunt indicandam esse circumstantibus, ut vel pro infirmo eam ipsi implerent, vel si ægrotus evaderet periculum, eam illi significarent ut eam impleret. Sed inquiro an talis pœnitentia imposita esset sacramentalis, ita ut postea impleta profutura esset ex opere operato, necne. Primum dici non potest consequenter, tum quia impositio pœnitentiæ sacramentalis supponit confessionem sacramentalem, quam isti expositores nolunt in eo casu admittere; tum etiam quia sacramentalis satisfactio est opus personale, ita ut vel non possit per alium impleri, vel saltem non sine acceptatione, et concursu aliquo ipsius pœnitentis; tum denique quia si sacerdos non potest uti circa talem ægrotum potestate solvendi, quomodo potest uti potestate ligandi? Ergo consequenter loquendo in illa sententia, non potest illa pœnitentia, vel satisfactio esse sacramentalis. Si autem sacramentalis non est, quale remedium erit ad salutem illius animæ? Vel quomodo erit medicina a Christo instituta? Aut quomodo est illud beneficium actus potestatis clavium? Quæ omnia Leo affirmat et exaggerat. At denique illa pœnitentia etiam post mortem imponi posset petendo a circumstantibus, ut pro illo mortuo talem satisfactionem impleant; nec enim eos cogere aut obligare sacerdos posset. Est ergo valde frivola evasio illa.

Incredibilis interpretatio.
1.
2.
3.
Evasio.
Excluditur multipliciter.

12 Nec probabilior est quarta, quod illa pœnitentia sit generalis absolutio deprecatoria, *Misereatur tui* etc. vel alia similis, nam contra illam procedunt omnes rationes factæ. Et præsertim ultima, quia talis absolutio etiam post mortem dari potest. Cur enim super mortuum cadaver ego non possim orare dicens: *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te in vitam æternam?* Aut quid aliud facit ecclesia in toto officio defunctorum? Item est argumentum evidens quia ad talem absolutionem nullum testimonium conscientiæ ægroti a circumstantibus necessarium est: nam si ego inveniam hominem vel mortuum, vel agentem animam, etiamsi de illo nihil sciam, nec signum contritionis ab illo habeam, nec ullum testimonium conscientiæ ejus, possum deprecari Deum pro illo, dicendo: *Misereatur tui omnipotens Deus, indulgentiam tibi tribuat,* et similia; quæ nec sunt forma sacramenti, nec requirunt specialem dispositionem in eo, pro quo oratur. Sed satis est, quod mihi non constet jam esse damnatum, ut pro illo orem, vel per illam verborum formam, vel per quamcumque aliam. Accedit præterea, quod incredibile

Quarta interpretatio explodditur primo.

Tertii.

est, aut de hujusmodi absolutione dubitatum fuisse umquam in ecclesia, vel Leonem fuisse de illa interrogatum : ergo multo minus est credibile cum tanto verborum pondere et cum tot limitationibus de illa responsum dedisse.

Quinta interpretatio refellitur.

13 Quinta item evasio locum non habet, nimirum hoc beneficium esse admissionem ad eucharistiam. Procedit enim hæc responsio ac si beneficium illud esset tantum unum, cum tamen oppoitum esse verum demonstratum sit. Demus ergo *beneficium reconciliationis* esse admissionem illam : quid ergo erit *beneficium pœnitentiæ?* Dicere possunt per *beneficium pœnitentiæ* significari admissionem ad communionem; per beneficium autem reconciliationis communicationem ipsam. At supra ostensum est pœnitentiam illam solitam fuisse dari ante reconciliationem aliam, quæ erat admissio ad ipsam communionem per manuum impositionem : unde post reconciliationem communio dari præcipitur in cap. *Is qui* 26, quæst. 6. Secundo in hac eadem epistola *reconciliatio* appellatur *janua ad communionem sacramentorum;* unde licet velit quis contendere illam non esse absolutionem sacramentalem, negare tamen non potest, quin sit aliquid a communione distinctum, scilicet admissio seu janua ad illam. Tertio in eadem epistola dicitur ægrotus implorare *præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis,* incredibile ergo est solum postulare admissionem ad communionem, et communionem tamquam duo beneficia et remedia diversa : sed remedium pœnitentiæ per modum unius, includendo in illo in primis substantialem (ut sic dicam) pœnitentiam et absolutionem, et consequenter omnem accidentalem, quæ necessaria vel utilis fuerit; deinde vero subsidium communionis, comprehendendo etiam per modum unius, tam admissionem ad communionem, quam communionem ipsam : nam hoc est re vera, quod in praxi evenit, quodque est moraliter necessarium. Ergo in eodem sensu loquutus est Leo, cum dicat dandum esse ægroto in illo ultimo casu illud *quod paulo ante poscebat.*

Effugium rejicitur primo.

Secundo.

Tertio.

Ultima interpretatio.

14 Ultima interpretatio erat, ut beneficium illud pœnitentiæ solum sit authentica declaratio, quod ille homo pœnitens jaceat vel moriatur, ut sic in foro ecclesiæ sit capax sepulturæ ecclesiasticæ, communium suffragiorum, et aliorum quorumcumque beneficiorum, quæ fidelibus suis justis ecclesia conferre solet. At hæc interpretatio illo etiam argumento sufficienter reprobatur, quod hæc declaratio authentica etiam post mortem hominis fieri potest, si testimonia circumstantium adsint : non est ergo *beneficium pœnitentiæ,* de quo Leo loquitur : nam illud, teste eodem Leone, non potest dari post mortem. Accedit quod tale genus pœnitentiæ est valde alienum ab intentione epistolæ : quia nec Theodorus episcopus de hac pœnitentia interrogabat : nec legimus fuisse hoc umquam in dubium revocatum. Præterea contestatio illa sufficienter fieret per reconciliationem externam, quæ per aliam voçem significari dicitur : ergo eluditur *beneficium pœnitentiæ* et nomine tantum relinquitur.

Reprobatur primo.

Secundo.

15 Igitur hoc modo concludamus : *beneficium pœnitentiæ,* quod Leo præcipit dari ægroto in illo casu, est aliquod beneficium externum per hominem Christi ministrum conferendum, atque ita non est sola pœnitentiæ virtus interna, quam Deus ipse inspirat : et non externa reconciliatio, vel admissio ad communionem, nec absolutio a censuris, nec aliud quippiam, quod homini jam defuncto possit per ecclesiam præstari. Et alioqui est illud tale beneficium pœnitentiæ, quod restituit spem vitæ æternæ, quodque confertur a sacerdotibus per specialem potestatem a Christo datam ad remittenda peccata, nam ab eodem Christo institutum est ad remedium eorum, qui post baptismum lapsi sunt : hoc (inquam) beneficium pœnitentiæ non potest esse, nisi absolutio sacramentalis. At evidenter constat ex discursu et verbis Leonis, tale esse beneficium pœnitentiæ, quod præcipit dare ægroto, qui sensum amisit ex testimonio circumstantium. Ergo sine ulla dubitatione decisio ejus de absolutione sacramentali intelligenda est.

Concluditur beneficium pœnitentiæ in epistola Leonis, quod dari præcipit ægroto destituto sensibus, esse sacramentum pœnitentiæ.

CAPUT IV.

Prædicta interpretatio et sententia Leonis aliorum decretorum concordia præsertim concilii Arausicani I et Carthaginensis IV corroboratur.

1 Dubitare potest aliquis, an proprietas illius vocis *beneficium pœnitentiæ,* aut pœ-

An re vera pœnitentiæ beneti-

cium significet proprie absolutionem sacramentalem, ut ita certa maneat interpretatio ad verba Leonis.

nitentia simpliciter dicta illum sensum patiatur, ut absolutionem sacramentalem significet : et consequenter an ex hac parte minus certa nostra interpretatio reddatur. Hoc ergo dubium in hoc capite removendum est. Et quoniam usus vocis ecclesiasticæ non potest aliunde melius colligi, quam ex ipso ecclesiastico jure ejusque decretis, ideo ex illo nobis ostendendum est illam esse propriam satisque usitatam illius vocis significationem; ita ut, licet verissimum sit, hanc vocem interdum significare pœnitentiam virtutem, et interdum pœnitentiam sacramentum, ut est vulgare apud theologos : tamen, ubi circumstantiæ literæ satis ostendunt non esse sermonem de pœnitentia virtute, recte illam interpretemur de pœnitentiæ sacramento. Et quia virtus pœnitentiæ interna est, et ab Spiritu Sancto, non autem ab homine, ut propria causa, ideo quoties agitur de pœnitentia externa, quæ per hominis ministerium confertur, clarum est non esse sermonem de pœnitentia virtute, sed de sacramento, per se ac regulariter loquendo, ut jam dicam. Rursus licet eadem vox, ad sacramentum applicata, interdum pro toto sacramento, ut omnes suas partes complectitur, interdum pro una, vel altera parte sumatur : tamen ubi constiterit non posse significare actus pœnitentis, manifestum erit significare actum sacerdotis, qui est absolutio, quia partes sacramenti pœnitentiæ plures non sunt. Denique licet demus illam vocem *pœnitentia*, sumptam pro externa et (ut sic dicam) ecclesiastica pœnitentia, aliquando posse accipi pro pœnitentia, quæ non sit sacramentum, sed sacramentale quoddam : tamen quia hæc significatio minus propria est, introducenda non est, nisi ubi materia vel aliæ circumstantiæ cogant. Multo vero magis vitanda est, quando contextus et circumstantiæ literæ repugnant. Hæc autem omnia observata a nobis sunt in illa epistola Leonis : recte ergo illam interpretamur.

Ex circumstantiis literæ colligere possumus non agi de virtute pœnitentiæ, sed de sacramento.

Imo nec de toto sacramento, sed de parte principali idest absolutione.

Multo vero minus de sacramentali aliquo, nisi littera id satis declaret.

2 Ad hæc vox illa *beneficium pœnitentiæ* alicubi intervenit in jure in propriis terminis posita ad significandam absolutionem sacramentalem, et nullibi invenitur in alia significatione : ergo merito ita illam accipimus in epistola Leonis, cum omnia alia consonent et juvent. Consequentia per se nota est. Minor quia est universalis negativa difficilis est probationis : et ideo solum a me probatur, quia nullum textum inveni, in quo in alia significatione sumatur : nec etiam allegatur ab auctoribus, qui de hac materia scribunt; ex quibus vidi quamplures. Unde qui illam non admiserit, oportet ut textum proferat, in quo illa eadem vox aliter usurpetur. Major autem probatur ex cap. *Alma mater* de sent. excomm. in 6, ubi in primis conceditur, *ut tempore interdicti omnes, tam sani, quam infirmi, ad pœnitentiam licite admittantur :* ubi certissimum est jus loqui de pœnitentiæ sacramento, quod ibi vocat *summe necessarium propter pronitatem hominum ad peccandum.* Subdit vero limitationem de excommunicatis et aliis, qui dederunt causam interdicto, vel cooperatoribus eorum, etc. de quibus concludit, nisi satisfecerint, vel cautionem dederint : *Eis non est pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum.* Ubi evidenter per hanc vocem significatur idem pœnitentiæ sacramentum. Quodsi quis dicat *beneficium pœnitentiæ* ibi non significare absolutionem sacramentalem, sed totum sacramentum : hoc profecto nullius momenti est. Nam proprium hujus sacramenti ministerium in absolutione consistit : et absolutio est, quam præcipue negat ecclesia in illo tempore. Eo vel maxime quod jam diximus eamdem vocem, quæ pro toto sacramento usurpatur, interdum accipi pro illa parte, cui accommodari potest, si alia ibi locum non habeat, vel (ut proprius loquamur) si alia pars non desit in casu, de quo est sermo, ut in casu, de quo Leo loquitur, contingit.

Secunda probatio apud Leonem significari voce pœnitentiæ absolutionem sacramentalem.

Evasio removetur.

3 Præterea est optima conjectura, quæ ex jurium consensione sumitur. Quando enim decreta decernunt de tribuendo sacramento pœnitentiæ propter vitandum animæ periculum, et instantem mortis necessitatem, frequenter illud significant sub absoluto nomine *pœnitentiæ*. Est optimus textus in cap. *Quod in te* de pœnit. et remiss. ibi : *In illo per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi potest, ut nec ipsum decedentibus denegetur.* Ubi constat *pœnitentiam* significare sacramentum pœnitentiæ. Similiter in cap. ult. illius tituli datur licentia episcopis, seu prælatis exemptis eligendi confessorem : *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum.* Ubi *pœnitentia* sacramentum significat ad illud enim ne-

Tertia probatio.

cessarius est confessor, nam ad internam pœnitentiam non est necessarius; et nihilominus in dilatione, vel carentia illius pœnitentiæ sacramentalis, censetur *imminere periculum animarum*, etiamsi internam pœnitentiam concipere valeant. Quocirca de eodem sacramento Julius papa loquitur in cap. *Si presbyter* 26, quæst. 6, cum dicit : *Si presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum.* Et Cælestinus papa in cap. sequenti dicens : *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari, nec eorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ remedio cupiunt subveniri; horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem inveniri.*

Per solam contritionem salvari difficile est, ideo ecclesia pœnitentiam necessariam dicit.

4 Quamquam enim homo adultus per contritionem cum voto sacramenti salvari possit, quando impotentia intervenit : nihilominus pontifices et decreta simpliciter vocant hoc remedium necessarium, tum quia re vera per se loquendo ita est : tum etiam quia moraliter difficile est veram contritionem concipere, præsertim in illo brevissimo tempore, et post longam fortasse ac perditam vitam, et in occasione repentina : at si adjungatur sacramentum, morale est ut homo fiat ex attrito contritus, atque ita salvetur. Et ideo ecclesia omnem sollicitudinem adhibet ut in nullo casu possibili pœnitentia hæc morientibus denegetur, et quoties de hujusmodi necessitate et materia loquitur, per *pœnitentiam* hoc sacramentum intelligit. At Leo papa de eadem re agit in epistola præsenti, et in ultimo casu illius, et eadem voce, et tenore, ac simpliciter loquitur, et ex eadem ratione necessitatis movetur ad præcipiendum, ut pœnitentiæ beneficium illi ægroto conferatur : ergo sine dubio in eodem sensu loquitur.

Expenditur canon concilii Carthaginensis IV.

Quarta probatio ex concilio Carthaginensi.

5 Proximius vero, et eumdem casum definiens confirmat interpretationem datam cap. *Is qui* 26, quæst. 6, cujus verba sunt : *Is qui in infirmitate pœnitentiam petit* (id est pœnitentiæ sacramentum, ut ex dictis constat) *si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel sic in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam*, illam nimirum, quam postulaverat, seu (quod idem est) illam, quam canones maxime præcipiunt dari in periculo mortis, scilicet sacramentum pœnitentiæ. Unde adjungitur : *Si continuo creditur moriturus, reconconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus eucharistia.* Ergo illa pœnitentia aliud est a reconciliatione : ergo (ut jam probavimus) nihil aliud esse potest, nisi absolutio sacramentalis, quæ statim dari præcipitur, quia maxime necessaria est, et quia prævia esse debet ad communicandum. Subditur vero deinceps : *Quodsi talis ægrotus supervixerit, subdatur pœnitentiæ legibus.* Et in eodem sensu concluditur, quod pœnitentes, qui in infirmitate viaticum eucharistiæ accipiunt, si supervixerint *non se credant absolutos sine manus impositione*, absolutos scilicet ab obligatione satisfaciendi ecclesiæ : nam a peccatis coram Deo absoluti jam erant. Quia illa absolutio ante viaticum præcedere debet, ut bene exposuit Bellarm. lib. 1 de pœnitentia, cap. 13. Et explicatur aperte in cap. *Qui recedunt* et aliis eadem causa et quæst. Nec potuit prior pœnitentia seu absolutio sub conditione futuri eventus, seu dependentis ab illo præstari, et ideo statim habuit suum effectum remittendi peccata, quæ non redeunt, etiamsi pœnitens, postquam periculum evadit, suæ obligationi non satisfaciat. Et ita quoad priora peccata et culpas eorum necessario manet absolutus coram Deo. Tamen apud ecclesiam non manet absolutus ab onere satisfaciendi illi de eisdem peccatis, quantumvis a Deo remissis. Exemplum sumi potest ex materia de censuris; absolvitur enim interdum aliquis a censura in necessitate, cum onere comparendi sub simili censura. Et nihilominus ille jam extra necessitatem constitutus dici potest, ut non se credat absolutus, non quia re vera censura prior non fuerit ablata, sed quia ligatus mansit ad comparendum, et si id non impleat, iterumque sit contumax, in similem incidat censuram.

Dubium ex verbis concilii removetur.

Glossa et Sotus ac Navarrus non recte allegarunt caput *A nobis.*

6 At Glossa in hoc textu *pœnitentiam* absolutionem interpretatur, citatque pro forma absolutionis cap. *A nobis* de sent. excomm; ubi traditur forma absolutionis ab excommunicatione; unde videtur ipsa de tali absolutione loqui, ut etiam Navarrus et Soto intellexerunt. Sed quidquid Glossa senserit, valde extorta et voluntaria est interpretatio, tum quia est contra vim vocis *pœnitentia*, ut declaratum est, tum ille

textus non agit de excommunicatis, sed ad summum de publicis pœnitentibus, et per pœnitentiam non intelligit reconciliationem cæremonialem eorum, nam hanc præcipit dari post pœnitentiam si necessaria fuerit. Non indigebant autem illi pœnitentes duplici reconciliatione externa, altera per absolutionem ab excommunicatione, altera per manuum impositionem, quia non semper excommunicationem habebant proprie et in rigore sumptam, cum ad aliquas actiones sacras et aliquam communicationem cum fidelibus multi admitterentur, ut videri potest in Mariano Victore et Bellarmino : et si forte aliquando indigebant, unica reconciliatione liberabantur a toto vinculo et a separatione ab usu sacramentorum, ut supra jam dixi. Glossa ergo illa vel male textum intellexit, vel male et extra rem allegavit cap. *A nobis*.

Expenditur canon 12 concilii Arausicani I.

Quinta probatio ex verbis concilii Arausicani multipliciter sumitur.

7 Similis decisio habetur in cap. *Qui recedunt* in fine 26, quæst. 6. Cujus verba sunt : *Similiter subito obmutescens, prout statutum est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu*. Nam ibi *pœnitentia* sacramentum etiam significat. Primo ex usitata significatione illius vocis in tali materia. Secundo ex eo quod in principio illius capitis illa pœnitentia distinguitur a reconciliaria manus impositione. Tertio quia per illam particulam *prout statutum est*, vel concilium Carthaginense quod multo antea præcesserat, vel epistola Leonis (sub quo Leone illud concilium congregatum est) refertur : et ita de eadem re loquuntur. Quarto ex conjunctione *pœnitentiæ* cum *baptismo*. Quinto quia in verbis proxime præcedentibus in eodem cap. *Qui recedunt* seu in can. 4 in ipsomet concilio dicitur *clericis desiderantibus pœnitentiam non esse negandam;* ubi certum est non esse sermonem de pœnitentia solemni : nam ad illam

Glossa bene intellecta favet.

non admittebantur clerici, ut ibi Glossa notat; intelligitur ergo de pœnitentiæ sacramento : ergo idem est de sequentibus verbis. Verum quidem est Glossam ibi interpretari *pœnitentiam*, id est, *factum pœnitentiæ;* quæ expositio potest dare locum tergiversationibus et ambiguitatibus; et ideo necessaria non est : quamquam, si intelligat, ut intelligere debet de substantiali, ut sic dicam, et necessario fructu pœnitentiæ, qui est remissio peccatorum, in idem recidat; quia hic fructus non accipitur nisi per sacramentum.

Verba concilii Arausicani quidam detorquent.

8 Nihilominus non desunt aliqui, qui cum vim illius vocis *pœnitentiam* negare non audeant, ne a concepta semel opinione recedant, aliud diverticulum quærunt dicentes verba sequentia : *Si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet aut præsentis in suo nutu*, non esse quoad utramque partem de utroque sacramento intelligenda, sed dividenda, et singula singulis accommodanda; id est, *si testimonium aliorum habet* pro baptismo, *vel nutus præsentis* pro pœnitentia. Sed hoc dicitur sine fundamento et auctoritate : nam est evidens utramque partem illius disjunctivæ habere locum in baptismo. Si enim baptizandus in præsentia sacerdotis possit voluntatem suam nutibus explicare, non debet sacerdos testimonio circumstantium esse contentus; sed tunc solum, quando ægrotus mentem suam explicare non potest. Atque ita in vero et legitimo sensu utrumque illud membrum refertur ad baptismum : ergo eodem modo refertur ad pœnitentiam cum eodem tenore de utroque sacramento concilium loquatur. Secundo quia alias valde confusa et perplexa esset illa decisio, et unusquisque pro suo arbitrio posset membra illa accommodare. Denique ita intelligitur a doctoribus ibi : nam Turrecremata tam pro baptismo, quam pro pœnitentia solum censet necessarium, quod *de præterita constet voluntate*. Archidiaconus vero expresse de pœnitentia exponit illam particulam, *vel aliorum verbis habet :* nec aliam intelligentiam patitur simplex et planus loquendi et sentiendi modus. Unde potius ex illa disjunctiva, *vel voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, vel præsentis in suo nutu,* efficax sumitur argumentum, hæc duo æquiparari in ordine ad pœnitentiam. At signa in præsentia exhibita ad sacramentalem absolutionem sufficiunt, ut per se constat : ergo. Eademque ponderatio locum habet in epistola Leonis in fine § *Verum* et § *Quodsi*.

Refellitur primo.

Secundo.

Alia decreta expenduntur.

9 His adjungi potest cap. *Ægrotantes* de

Sexta probatio ex aliis decretis ac primo ex cap. *Ægrotantes.*

Consecrat. dict. 4, ex concilio Carthaginensi III, cap. 34 : *Ægrotantes* (inquit) *si pro se respondere non possunt, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizantur; similiter et de pœnitentibus agendum est.*

Effugium quorundam.

Hunc vero textum aliqui pervertere conantur, quia nimium probare videtur : nimirum absolutionem sacramentalem dandam esse, quamvis nulla confessio præcesserit, cum sola voluntate seu voto confitendi : æquiparatur enim baptismo, in quo nulla confessio præcedit. At vero quod possit dari absolutio sine confessione nullo modo admittendum est, ut in III parte hujus operis dicam; ergo non potest hic textus de sacramento exponi.

Refellitur.

Nihilominus quod de sacramento pœnitentiæ loquatur, satis ostendit æquiparatio illa et conjunctio cum baptismo : nam pœnitentiæ sacramentum est remedium necessarium pro baptizatis, sicut baptismus pro cathecumenis, unde laboriosus baptismus appellatur. Debet autem æquiparatio sumi, in quo fit, idest, in necessitate et in administratione cum testimonio voluntatis : quod testimonium necessario supponit petitionem et significationem ejusdem voluntatis. Non autem necesse est, ut similitudo teneat in omnibus : nam illa significatio voluntatis in baptismo non est confessio nec accusatio alicujus peccati, sed solum requiritur, ut baptismus sit voluntarius, et a recipiente intentus : in pœnitentia vero illa significatio habet vim confessionis et accusationis, ut infra dicam; quia qui sacramentum petit et absolutionem, totum id significare censetur, quod ad tale sacramentum necessarium est. Oportet tamen circa hoc drecretum advertere verba illa, quæ ad rem præsentem faciunt, scilicet : *Similiter et de pœnitentibus agendum est,* deesse in originali, quod habetur in tomis conciliorum, tam in ea impressione, quæ quatuor tomis continetur, quam in ultima quinque tomorum. Et quod mirum est in decreto Gregoriano non tolluntur illa verba, neque de ipso originali quidquam admonetur.

Ex concilio Toletano.

10 Tandem favet concilium Toletanum 12 cap. 2, quatenus in fine sic statuit : *Sacerdotes, qui non sentienti, neque pœnitenti ausu temerario pœnitentiam dederint, neque se ex hortatu ejus, qui pœnitentiam accipit, vel manuum indiciis, vel quibuslibet aliis evidentibus significationibus invitatum fuisse probaverit, unius anni excommunicationis sententiæ subjacebit.* Ergo si sacerdos probaverit se fuisse invitatum ab ægroto, qui jam caret sensu, bene facit absolvendo illum, etiamsi talis pœnitens numquam antea pœnitentiam inchoasseet, aut postulasset; jam vero alii canones declararunt ad illam probationem satis esse testimonium circumstantium. Unde cum illud concilium dicit, *vel aliis evidentibus significationibus,* non requirite videntiam metaphysicam, sed significationem moralem ita apertam, ut ad prudentem fidem humanam sufficiat. Imo advertunt doctores, licet hæc omnia decreta per verba de plurali loquantur, dum dicunt *testimonia circumstantium, vel testimonium aliorum; vel dent testimonium, qui eum audierunt.* Nihilominis unum testem fide dignum sufficere etiam per simplicem assertionem, absque juramento, ut videre licet in Glossa, Archidiacono, et Turrecrem. in cap. *Is qui* 26, quæst. 6; quia testimonium illud nulli potest obesse, et potest prodesse multum, et nulla est ratio probabilis ut in eo mendacium timeatur.

CAPUT V.

Eadem interpretatio ac sententia doctorum auctoritate comprobatur.

Notatio prima pro allegatione doctorum.

1 Quamvis canonum, et præsertim Leonis papæ tam clara sit sententia et tanta auctoritas, ut nullius privati auctoris adjumento indigeat : tamen ut antiquitas hujus sententiæ, et conspiratio Theologorum et Jurisperitorum in illam, omnem removeat tergiversationem, aliorum etiam doctorum testimoniis comprobanda est. In quibus observandum in primis est non omnes exposuisse Leonem, ut alios canones, neque eorum mentionem fecisse, sed eodem modo, ac illos, loquutos fuisse. Quod est signum, aut ita intellexisse canones, aut eo tempore id fuisse in more ecclesiæ, et tamquam indubitatum proferri. Deinde adverto non omnes doctores æque distincte ac perspicue loqui, sed quosdam tam aperte, ut nullam dubitandi rationem relinquant : alios satis quidem clare, sed ita ut aliquod subterfugium admittant : alios denique subobscurius, indicando potius, quam asserendo. Hoc igitur ordine illos referemus, et in fine ab auctoribus, qui in contrarium allegari solent, pauca dicemus.

Prima classis auctorum, qui apertissime loquuntur.

In prima classe doctorum apertissime loquuntur Marianus Victor.

2 Referam in primis eos, qui non solum id affirmant, sed etiam de antiqua consuetudine testantur. Et ideo primo loco pono Marianum Victorem, auctorem non admodum antiquum, sed gravem, et in antiquis pœnitentiis explicandis diligentem. Is ergo in libro, quem de historia antiquarum pœnitentiarum scripsit, fol. ejus ult. ita loquitur : *Absolvebatur autem pœnitens post impletam pœnitentiam, nisi mors homini imminueret; tunc enim omni tempore, omnique in loco, et a quocumque sacerdote absolvi pœnitentem consuetum fuisse sæpius diximus. Quod ipsum morientibus præstabatur, etiamsi loquendi potestatem jam prædidissent, et respondere non possent, si tamen illos pœnitentiam et absolutionem petiisse constaret.* Et hic refert in margine epistolam Leonis, et can. concilii Carthaginensis. De qua autem absolutione loquatur declarat inferius dicens : *Absolutionem autem ipsum post preces et orationes, quibus verbis sacerdotes præstarent, supra, cum de confessionis forma scripsimus, explicavimus.* Superiori autem libro de confessionis sacramento, cap. 13, formam ecclesiæ posuerat : *Ego te absolvo* etc.; loquitur ergo evidenter in verbis hic relatis de sacramentali absolutione, et hanc eamdem dandam esse ait, ex sententia Leonis, morientibus in prædicto casu, ut evidenter declaravit per illud relativum : *Quod ipsum* etc.

Driedo lib. de captivit. et Redempt. gener. human. num. 4, cap. 2, pag. 8, memb. 1 in fine.

3 Driedo ut contra hæreticos probet ad sacramenti usum et fructum non esse necessarium actualem motum suscipientis, argumentum sumit ex antiqua ecclesiæ *consuetudine*, secundum quam baptismi seu reconciliationis beneficia etiam eis dantur, qui in articulo mortis sunt usu vocis et rationis privati, si adstantium testimoniis constiterit eos propositum habuisse, et paulo ante postulasse. Habes hanc consuetudinem in cap. *Majores* de baptismo. Ut autem neque novam, neque recenter inventam, sed ex patribus arbitreris esse consuetudinem ipsam, scies Cyprianum in epistola ad Magnum, et Leonem papam in epistola 64 ante mille annos tali fuisse usos *consuetudine*. Quamvis diverso numero, tamen eadem est epistola Leonis, quam allegat, quia neque in illa, quæ nunc est 64, neque in alia talem consuetudinem Leo refert. Unde constat auctorem hunc *sub pœnitentiæ et reconciliationis beneficio* sacramentum pœnitentiæ intellexisse; alias propositum suum non confirmaret. Et ideo consequenter subdit : *Si nihil prodessent baptismi, et pœnitentiæ seu reconciliationis sacramenta adultis absque motu fidei aut interioris pœnitentiæ, in ipso justificationis momento, frustra ecclesia hæc ministraret illis sic extra rationis usum constitutis. Ex his consequens est, non solum originale, sed etiam criminale peccatum, propria voluntate commissum, adimi et remitti eo tempore, quo nullus adest ei, qui justificatur fidei aut interioris pœnitentiæ motus.* Hæc autem justificatio fieri non potest, nisi ex opere operato.

Ruardus art. 3, contra Lutherum.

4 Ruardus necessitatem confessionis et absolutionis sacramentalis probat ex epistola Leonis papæ, pro comperto supponens ita esse intelligendam : illique conjungit testimonium Augustini. Et inferius in §. *Complectitur*, refert aliquorum sententiam dicentium aliquando posse dari absolutionem sacramentalem sine prævia confessione : *Quando morbus præoccupat, et confessionem ad votum pœnitentis excludit, qui voluntatem confitendi nutu aliquo ostendit, vel alii id ipsum de illo testantur.* Et subdit : *Hoc sentire videtur Leo papa in epistola ad Theodorum.* Et infra : *Horum sententiæ favere videtur usus ecclesiæ, et canones superius allegati ex Gratiano* 26, *quæst.* 6, *et Augustinus lib.* 1 *ad Pollentium, cap. ult.* Ex quo auctore solum id sumendum est, quod pertinet ad absolutionem sacramentalem, seu administrationem sacramenti pœnitentiæ in eo casu. Nam quod dicit juxta illam opinionem sine confessione posse perfici sacramentum pœnitentiæ, absolute verum non est. Sed est pie explicandum, et limitandum ut in tertia parte hujus commentarii dicemus.

Corduba lib v de indulgentiis q. 39, epist. 3 initio.

5 Corduba etiam principio sic inquit : *Materia hujus sacramenti est pœnitens subditus confitens quomodo potest, scilicet specialiter per verba si potest, vel per signum, aut nutus, aut per scriptum, quomodocumque potest, saltem generaliter, si aliter non potest.* In quibus verbis ante omnia est in hoc auctore notandum, postulare aliquam confessionem, tamquam necessariam et essentialem, ut dari possit absolutio sacra-

mentalis : docere autem non habere determinatum modum, aut ritum essentialem ex parte pœnitentis, quamquam debeat confiteri per verba si possit, si autem non possit, ut valuerit, satis esse. Unde pergit dicens paulo inferius : *In articulo mortis, qui jam perdidit loquelam usumque rationis, in quo tamen apparent vel præcesserunt signa contritionis, potest et debet sacramentaliter absolvi, quia necessitas caret lege. Quod etiam significatur in cap. Qui recedunt, cap. Is qui, cap. His qui* 26, *quæst.* 6, *ubi dicitur : quod subito obmutescens, vel in phrenesim conversus baptizari, et pœnitentiam accipere (id est absolutionem secundum Glossam) et reconciliationem, et eucharistiam recipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Ubi (quod animadversione dignum est) non solum textum, sed etiam glossam putat non esse limitandam ad absolutionem a censura, sed intelligendam de absolutione spectanter, quæ sacramentalem in primis, et consequenter absolutionem etiam a censura includat, si infirmus illa indiguerit. Et ita indicat aliquam illius glossæ excusationem in citanda forma absolutionis, quæ habetur in cap. *A nobis*. Potuit enim id facere, non quia putaverit sola illa esse utendum, sed quia interdum potest esse necessaria. Verumtamen de excusatione Glossæ nunc non curamus, sed tantum de hujus auctoris sententia, quam ita concludit : *Unde patet quod non solum de reconciliatione et absolutione ab excommunicatione, sed etiam de sacramentali a peccatis, quæ præcedere debet dignam Eucharistiæ sumptionem, si fieri potest, simul agitur ibidem.* Et inferius pro hac sententia adducit *Manuale Burgense*, et consuetudinem sacerdotum curatorum absolventium hujusmodi.

Sacerdotale Romanum cap. 20 de pœnitentia imponenda.

6 Testimonium item Sacerdotalis Romani antiqui multum valet ad ostendam antiquam praxim et consuetudinem, præter auctoritatem eorum, a quibus liber ille compositus fuit, et ideo verba illius hoc loco ponimus : *Si malus* (inquit) *et obstinatus diu permanens in peccatis est, et diu non confessus, si petiit sacerdotem, ut confiteretur, et ostendit se velle facere omnia, quæ debet, et interim factus est mutus, vel phreneticus, et periculum est in mora, debet præsupponi contritus, et faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, sacerdos faciat absolutionem ab omni censura et peccato.*

Ferdinandus Mendoza lib. III in concilium Eliberitanum cap. 19 in fine.

7 Ferdinandus Mendoza, licet auctor modernus, est tamen eruditus, et in exquirendis ac explicandis antiquis canonibus diligens. Cum ergo, lib. III in concilium Eliberitanum, cap. 19, canonem quemdam illius concilii explicasset, qui de baptismo in simili articulo necessitatis præstando loquitur, subdit de pœnitentiæ sacramento verba sequentia : *Quod autem patres hic in baptismo, hoc idem in baptismo et pœnitentia seu absolutione pœnitentis edixerunt concilii Arausicani episcopi : Subito obmutescens, prout statutum est (forsan hujus concilii decretum intellexerunt; nam aliud tunc fuisse mihi non occurrit) baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu. In pœnitentia seu absolutione, et eucharistia obmutescenti danda concilii Carthaginensis IV est constitutio : Is qui pœnitentiam* etc. Quæ ibi prosequitur referendo totum caput, et postea subjungit *: Hoc ipsum docuit Pollentium S. Augustinus; postquam enim catechumenos obmutescentes morbi gravitate baptizari posse et debere scripserat, addit : Quæ autem baptismatis, eadem reconciliatio nis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos tamen ex hac vita sine arrha suæ pacis exire debet velle mater ecclesia.* Ac deinde prosequitur alia verba, quæ supra cap. 2 hujus partis retuli.

Guido in Manipulo curatorum n. 1, p. 4, c. 9, ad finem.

8 Loquens Guido in terminis de eodem casu, sic inquit : *Dico quod si intelligit aliquid monendus est, et si non potest loqui, ut per aliqua signa ostendat contritionem, et se petere absolutionem a peccatis etc. Si autem nihil intelligit, sed constat, et probari potest, quod signa pœnitentiæ et contritionis præcesserint, debet absolvi et communicari.* Ubi manifestum est absolutionem a peccatis, quam ægrotus tunc postulat esse sacramentalem, et eamdem ait hic auctor dandam esse in illo casu.

Bellarminus lib. III, de pœnitentia, cap. 9 et lib. II de effectu sacramentorum in genere c. 8.

9 Ut probet Bellarminus confessionem sacramentalem divino jure institutam esse, refert Leonis verba in lib. III de pœnitentia, ac deinde subjungit : *Hoc loco S. Leo apertissime docet confessionem esse necessariam jure divino, nam ab ipso Deo ordinatum esse scribit, ut indulgentia Dei sine sacerdotum ministerio nequeat obtineri. Et*

deinde addit ministerium sacerdotum ex Christi instituto in eo consistere, ut pœnitentiam confitentibus, injungant, et eosdem ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admittant. Sed quia responderi potest hoc intelligi de principio vel medio epistolæ, non de ultima clausula, adjungimus alterum locum, in quo probat Bellarminus contra hæreticos, sacramenta justificare adultos, non tantum excitando fidem, sed ex opere operato, quia interdum justificant adultum amentem, vel omni sensu carentem, quod prius de baptismo affirmat; deinde de pœnitentia et absolutione subjungit : *Adde quod concilium Carthaginense IV, can.* 76, *Arausicanum I, can.* 12, *Augustinus, lib.* III *de Adulterinis conjugiis, cap.* 26 *et* 28, *et Leo epist.* 91 *ad Theodorum docent sacramenta baptismi et absolutionis posse conferri etiam iis, qui in periculo vitæ sunt, licet ipsi vi morbi opressi non habeant usum rationis vel sensum, modo constet eos antea desiderasse ejusmodi sacramenta.* Quæ omnia solum in illo ultimo casu Leonis locum habent, et non potuerunt clarioribus verbis proferri.

Toletus

10 Toletus, enumerans casus, in quibus confessio non integra ad absolvendum sufficit, in secundo casu sic inquit : *Est autem hic notandum circa mortis articulum, quod ut pœnitens talis absolvatur, sufficit motus, vel signum aliquod, quo peccatum aliquo modo manifestetur, vel se velle peccatorum absolutionem. Non solum hoc, sed etiam si ante adventum confessarii petiit confessionem, illo autem adveniente, jam perdidit sensum : tunc si adstantes confirment illum petiisse confessionem potest absolvi.* Et infra ait : *Hoc expresse docent canones, quidquid velit Sotus.* Quæ ultima verba magnæ considerationis sunt propter illam particulam *expresse,* quam vir tanti judicii et prudentiæ sine magno fundamento non addidisset.

Valentia t. IV Summæ theologiæ, disp. 7, q. 11, punct. 1 circa finem.

11 Gregorius de Valentica clarius et formalius quam cæteri sententiam hanc explicavit. Cum enim probasset non posse confici hoc sacramentum inter absentes, subjungit: *Quæ quidem ratio proprie evincit non posse absolutionem dari pœnitenti : quod in primis Cajetanus et Victoria recte urgent. Nam quod ipsa certe confessio possit fieri per nuncium, aut literas sacerdoti absenti, modo ipse sacerdos non nisi præsentem postea absolvat, omnino est probabile : neque rejici ex ea quidem parte debet opinio Paludani. Ut v. g. si æger aliquis absentem sacerdotem per literas aut per nuncium accersat, et timens futurum, ut morbo postea oppressus confiteri illi in præsentia non possit, per easdem literas vel nuncium ipsi confiteatur, ut adveniens demum sacerdos se quantumvis morbo impeditum absolvat, hoc assero recte fieri posse : et ita prorsus concedendum est non modo secundum sententiam illam Paludani, sed etiam secundum opinionem, quam supra dixi in praxi jam haberi probabiliorem, nempe posse sacerdotem advenientem impendere absolutionem morienti, quem constat absolutionem expetivisse. Confessio enim illa in genere facta per id desiderium, quæ tunc reputatur, ut supra dixi sufficiens, absenti sacerdoti facta est, ut patet.*

12 Verba Gabrielis Vazquez valde etiam notanda sunt, tum quia non solum dicit *licere,* sed etiam *decere,* sed etiam *debere* ita fieri : tum etiam quia se indicat propensum ad dicendum esse rem sacris canonibus definitam : *Sic ergo,* inquit, *ex dictis colligo quemlibet confessarium, etiam ex commissione debere absolvere contra propriam opinionem pœnitentem, qui constitutus in articulo mortis, sola signa contritionis exhibet, quando nullum peccatum speciatim explicare potest. Ratio vero est manifesta, quia cum in hoc casu licitum sit contra propriam opinionem ipsum absolvere, eo quod contraria opinio admodum probabilis est, ne dicam sacris canonibus definita, et pœnitens indigeat remedio illo sacramenti; nullus sacerdos etiam non proprius recte poterit beneficium absolutionis ipsi denegare.*

Vasquez 1, 2, disp. 32, cap. 7, n. 48.

13 Fabius Incarnatus, non solum apertis verbis in eamdem descendit sententiam, sed etiam per excessum peccare videtur, quo apud me non parum ejus auctoritatem elevat. Nam prius de illo ægroto in illo casu sic ait : *Sacerdos absolvat eum ab omnibus censuris, casibus, et peccatis.* Postea vero multa ex proprio capite addit, doctrinamque valde falsam adjungit. Nam sine ullo auctoritatis fundamento distinguit *inter hominem christiano more viventem, ita ut singulis annis confiteatur, et communicet, et eum qui antea obstinatus et gravissimus peccator erat.* Et in priori nulla signa contritionis, nec petitionem absolu-

Fabius Incarnatus in Scrutinio sacerdotali, p. 2, tract. 4.

tionis postulat, quæ in posteriori fatetur esse necessaria, ut absolvi possit. Qua distinctione canones non utuntur, sed simpliciter requirunt ab ægroto in illo casu petitionem confessionis et signa contritionis, ut absolvi possit. Quare auctor ille errat gravissime, admittendo casum, in quo possit quis absolvi a peccatis non præmissa confessione sacramentali. Quin potius etiam est intolerabile quod ait homini prioris conditionis dari posse sacramentum eucharistiæ, etiamsi nullum signum pœnitentiæ dederit : hoc enim indistincte dici non potest de homine, qui semel in anno confiteri et communicare solet, quia non solent (si judicium ferendum est ex his, quæ frequentius accidunt) semper aut diu esse in statu gratiæ. Quare nisi esset alia specialis præsumptio de bono statu talis hominis, nec communio esset illi tribuenda, absolutio vero nullo modo. Quod vero ad præsens attinet, satis nobis est, quod hic auctor intellexerit canones de absolutione sacramentali.

Secunda classis doctorum, qui minus clare loquuntur.

Medina cod. de pœnitentia, tract. 2 de confessione q. 39, § ult.

14 Medinam pro hac sententia refert Corduba loco supra citato, nec immerito; sic enim scribit : *Quamvis secundum communem legem nemo sit sacramentaliter absolvendus a peccatis nisi confessione prævia in particulari; ab hac tamen communi lege casus necessitatis exceptus esse videtur.* Dixit autem hoc propter canones 26, q. 6, quos in eis verbis de absolutione sacramentali interpretatur. Addit vero : *Per pœnitentiam ibi secundum Glossam intelligitur absolutio ab excommunicatione, et ideo nihil contra dicta.* Per quæ verba ostendit se dubium, vel non satis constantem in priori sententia. Tamen illa existimo addidisse, non ut illam interpretationem probaret, sed solum ut ostenderet, omnibus modis satisfieri difficultati, quam ibi tractabat. Unde priorem sensum videtur afferre ex propria sententia, posteriorem solum ex Glossa referre.

Hostiensis in summa lib. v, tract. de Pœnitentia et remiss. § *Quando confitendum est* vers. *Confitendum est tem-*

15 Docet Hostiensis, infirmo, cui non potest injungi pœnitentia condigna, non esse absolutionem denegandam, cujus formam ita describit : *Nos auctoritate Jesu Christi D. N. et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et sanctæ ecclesiæ, et officii nobis commissi et nostra : absolvimus te ab his peccatis, et aliis, de quibus non recordaris.* Et subdit inferius : *Idem fieri debet, si dum missum fuit pro presbytero, obmutuit, vel amens factus est, ante quam presbyter veniret, dum tamen habeat de signis testimonium, et multo fortius si nutum faciebat, cum presbyter advenisset; talibus enim et extrema unctio et eucharistia ministrandæ sunt, et quidquid humanitatis potest fieri exhibendum. Et si evaserint pœnitentiam faciant ad arbitrium sacerdotis, 26 quæst. 6 cap.* Qui recedunt, *et sequentibus.* Vis hujus testimonii consistit in illo relativo identitatis, et in æquiparatione cum illo, qui exhibet signa; nam licet de hoc dicat *multo fortius* simpliciter docet testimonia sufficere, quando amplius fieri non potest. Denique generalia verba, quæ subjungit non evertunt proprium sensum priorum verborum, sed ex generali et pio principio illum confirmant. *pore sanitatis.*

Astensis in summa 2 p. lib. v, tract. 16 circa finem.

16 Interrogat Astensis : *Quid si æger petat presbyterum, et interim dum venit obmutescat, vel fiat amens, vel phreneticus? Respondeo, presbyter veniens, vel ad nutum infirmi, vel ad testimonium eorum, qui audierunt ipsum petere pœnitentiam vel presbyterum, debet ei quidquid potest humanitatis impendere absolvendo, reconciliando, et si fieri potest sine periculo eucharistiam infundendo.* Hoc testimonium simile est præcedenti, et dum ponitur verbum *absolvendo* simpliciter et sine limitatione, de absolutione sacramentali intelligitur; dum vero additur verbum *reconciliandi*, omnis tergiversatio tollitur.

Angelus confessio 4, num. 3.

17 *Quid* (inquit Angelus) *si æger petat presbyterum, et antequam adveniat, perdit loquelam, vel efficitur furiosus? Respondetur quod vel ad nutum infirmi, vel ad testimonium eorum, qui ipsum audierunt petere pœnitentiam, vel presbyterum debet ei quidquid potest humanitatis impendere absolvendo vel reconciliando, et si potest sine periculo ori ejus eucharistiam infundendo.* Habet hoc testimonium eamdem vim, quam duo præcedentia.

Antoninus 3, p. tract. 10, c. 2.

18 Antoninus sic scribit, et nota, *quod si infirmo petenti sacerdotem, interim, dum veniret, obmutuit, vel effectus est phreneticus vel amens, sacerdos adveniens, sive ad nutum infirmi, sive ad testimonium illorum, qui audierunt eum pœnitentiam petentem, vel sacerdotem, debet ei impendere*

quidquid potest humanitatis absolvendo, reconciliando, et si sine periculo fieri potest, ei eucharistiam præbendo : et si supervixerit admoneatur a prædictis testibus, suæ petitioni satisfactum, et subdatur statutis pœnitentiæ legibus : Probantur hæc omnia 26, *quæst.* 6, *cap.* Is qui in infirmitate, *et cap.* Si quis corpore, *et aliis.* Scio Navarrum in summa cap. 28, num. 269, locum hunc Antonini de alia nescio qua absolutione non sacramentali explicuisse : unde virtute ita exponit alios tres auctores proxime citatos. Sed profecto Hostiensis non potuit clarius explicare absolutionem sacramentalem, quæ danda est infirmo confitenti, etiamsi non habeat vires ad satisfaciendum; et tamen (ut notavi) subdit idem fieri debere in nostro casu; quid ergo amplius desideratur? At vero Antoninus manifeste imitatus est Hostiensem, quem statim allegat, ejusque verba fere imitatur, quod in Astensi etiam, et Angelo notari potest. Alia etiam quæ advertimus satis ostendunt violentam esse fugam illam.

Navarri evasio explicatur.

19 Ponimus hoc loco D. Thomam, qui ante omnes esset numerandus, quia non desunt quibus testimonium non videatur irrefragabile. Verba autem ejus sunt : *Si autem infirmus, qui petit unctionem amisit notitiam vel loquelam, antequam sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungat eum sacerdos, quia in tali casu debet baptizari, et a peccatis absolvi.* Sed ajunt opusculum illud non habere firmam auctoritatem; interim tamen dum hoc probant, nobis satis est tam esse certum hanc esse sententiam D. Thomæ, quam est probabile illud esse opus ejus. Navarrus vero supra *absolutionem de peccatis* etiam detorquet ad absolutionem deprecatoriam, et concessionem indulgentiarum, sine ullo fundamento in textu, et contra vim talium vocum et communem usum earum, præsertim inter scholasticos, qui verbis in rigorosa proprietate uti solent. Adde numerationem ipsam absolutionis a peccatis cum sacramentis baptismi et extremæ Unctionis, satis indicare sermonem esse de absolutione sacramentali.

D Thomas opusc. 65, cap. de extrema unctione.

Navarri explicatio frivola.

20 Eadem ratione hoc loco constituimus Augustinum, qui agens de catechumeno peccatore petente baptismum in extremis sic inquit : *Si desperatus et intra se pœnitens jacuerit, nec per se respondere potuerit, baptizandum puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quæ autem baptismi, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupavit.* Duo habet subterfugia hoc testimonium. Primum est Augustinum non uti nomine *absolutionis, sed reconciliationis.* At hoc parum refert, quia *reconciliatio* simpliciter, et perfecta est cum Deo, et conjunctio illius cum baptismo ostendit sermonem Augustini esse de sacramentali; et ita intellexerunt illum Driedo, Ruardus et Bellarminus, quos supra retuli, et Cano, quem statim commemorabo. Secundum est quia nimium probaret hic locus, scilicet solam internam pœnitentiam satis esse ad dandam absolutionem sacramentalem, quia Augustinus solum ait : *Et intra se pœnitens jacuerit.* Respondemus tamen supponere Augustinum, præcessisse signa, per quæ constet ecclesiæ illum jacere intra se pœnitentem; alias quomodo posset ecclesia de internis judicare? Imo sicut quoad baptismum loquitur de catechumeno qui baptismum petebat, ita quoad pœnitentiam intelligendus est loqui de illo, qui petiit absolutionem cum signis pœnitentiæ, postea vero intra se pœnitens jacet.

Augustinum. lib. 1 de Adulterinis Conjug. c. ult. in fin.

Primum subterfugium ad verba Augst. tollitur.

Tollitur secundum.

Tertia classis auctorum, qui obscurius loquuntur

21 Sylvester eadem verba habet, quæ Astensis et Angelus; cum autem dicit, in eo casu sacerdos absolvat infirmum, addit adverbium hoc *generaliter*, quod destruit sententiam aut valde obscuram illam reddit. Unde aliqui censent illum solum loqui de absolutione deprecativa per illa verba *Misereatur tui*, vel illa *Indulgentiam, absolutionem, etc.* vel similia. Vix autem credibile est hoc intendisse Sylvestrum. Nam ad has deprecationes nulla signa ex parte infirmi necessaria sunt, nec testimonium alicujus, qui ea viderit, ut cap. præcedenti late dictum est. Fortasse ergo Sylvester per illam particulam *generaliter* solum admonet sacerdotes ut absolvant sub generali intentione, maxime quando non supponitur confessio alicujus peccati in specie, quia tunc dirigenda est intentio ad omnia peccata commissa, et sub illa generalitate contenta. Vel etiam admonet ne verbis addatur aliqua particula, quæ peccata in specie indicet, ut circa Abulensem statim dice-

Sylvester confessor. 3, q. 13.

Ejus verbum generaliter *absolvant* commode exponuntur.

mus. Vel denique admonet, ut absolutio detur sub illa generali conditione expressa, vel concepta, *quantum possum et debeo;* quæ est intentio virtualiter sub conditione, et prudenter in hujusmodi casibus adhibetur. Et hoc etiam indicare videntur alii auctores, cum monent ut presbyter impendat quidquid humanitatis potest.

Gratianus in decreto de pœnitentia dist. 1.

22 Favet Gratianus, quatenus epistolam Leonis de confessione et absolutione sacramentali intellexisse videtur. Nam in illa dist. quæstionem in principio proponit, utrum sine confessione et sacerdotali judicio possit quis veniam criminum promereri. Et usque ad cap. 36 argumentatur contra necessitatem sacramentalis confessionis; a cap. vero 37 probat veritatem catholicam de ejusdem confessionis et absolutionis necessitate, et in cap. 49 inducit testimonium Leonis. Intelligit ergo illud de vero pœnitentiæ sacramento, quod ideo in eo casu præstandum est, quia necessarium est ad salutem, etiam in re susceptum per se loquendo. Et licet interdum possit sufficere illius votum in contritione inclusum, tamen humanum et morale est in casu illo repentino pœnitentem non concipere perfectam contritionem, ac proinde esse illi necessariam absolutionem re ipsa præstitam ut ex attrito fiat contritus.

Glossæ in c. *multiplex* de pœnitentia d. 1.

23 Obscure quidem loquuntur Glossæ in cap. *Multiplex* de pœnitentia dict. 1, tamen pensatis omnibus huic sententiæ favent. Nam verbo *Proprio,* et verbo *Supplicationibus* Glossa intelligit sermonem esse de necessitate confessionis et absolutionis sacramentalis, et in verbo *Eorum* indicat Leonem loqui de remedio pœnitentiæ omnibus peccatoribus communi ac necessario. Et licet circa ultimum casum nullam expositionem addat, nec declaret, quod sit beneficium pœnitentiæ, de quo ibi sermo est, eo ipso indicat non habere ibi novam significationem, ideoque non fuisse necessariam specialem declarationem.

Baronius t. VI Annal. anno 462 in fine.

24 Ad eumdem modum favet huic sententiæ cardinalis Baronius vir gravissimus. Nam illius epistolæ mentionem faciens, in primis ait Theodorum consuluisse Leonem *de pœnitentia his, qui in extremo laborant impertienda,* Leonemque respondisse *non esse negandam quibuslibet in exitu vitæ illam petentibus.* Sentiens sermonem Leonis esse de pœnitentia vera et sacramentali, quæ in illo articulo maxime necessaria est, et ideo maxime desideratur ac petitur. Item dum addit illam distributionem *quibuslibet,* satis indicat illud responsum esse intelligendum de omnibus peccatoribus, cujuscumque ordinis sint, qui usque ad mortem differunt pœnitentiam; quod esse non posset, nisi de pœnitentia etiam sacramentali omnibus communi sermo esset.

Turrecremata in c. *Is qui* 26, q. 6, et in c. *Multiplex* de pœnitentia d. 1.

25 Non clare loquitur Turrecremata : tamen in cap. *Is qui* per *pœnitentiam absolutionem* exponit : qualis autem sit illa absolutio non declarat, nec allegat Glossam, nec textum, quem ipsa citat. Unde videtur in sensu saniore loqui de absolutione simpliciter dicta, quæ sacramentalis est. Et in cap. *His qui* sentit præsidium pœnitentiæ esse illud, quo remittuntur peccata, quia inde cum Leone probat non esse negandum in illo articulo : *quia apud Deum nullas patitur moras vera conversio.* Et ita etam totum cap. *Multiplex* de sacramento exponit. Cum vero attingit ultimum casum, obscure loquitur : nam *beneficium pœnitentiæ et reconciliationis* exponit, id est *fructus pœnitentiæ, vel beneficium communionis corporis Christi, ad quam admittuntur, et ad sepulturam etc.* Quis autem sit ille pœnitentiæ fructus non declarat : recte autem intelligitur esse peccatorum remissio, quæ per absolutionem sacramentalem confertur.

De auctoribus, qui pro contraria sententia afferuntur.

Auctores, qui contra nostrum sententiam allegantur non omnes contradicunt.

26 Solent contra hanc sententiam et expositionem adduci Glossa, Archidiaconus, Navarrus, Abulensis, Cano, Soto et Ledesma. Verumtamen licet omnes isti auctores contrarium aperte sentirent, nec numero, nec auctoritate cum auctoribus prioris sententiæ conferri possunt. Sed re vera non omnes contradicunt. Et in singulis aliqua notari possunt, quæ ad causam multum conducant.

Quid Gloss. in c. *Is qui* 26. q. 96.

27 Et in primis adducitur Glossa in dict. cap. *Is qui* verb. *pœnitentiam.* Nam licet bene exposuerit, idest *absolutionem,* tamen aliquando cap. *A nobis* videtur de absolutione ab excommunicatione illam pœnitentiam interpretari. Jam vero supra cum Corduba insinuavi nonnullam responsionem, quæ ad hanc Glossam dari posset. Ingenue item fassus sum, vel non bene exposuisse textum illum, vel alium male

allegasse. Et præterea ad Leonem papam nullam talem expositionem Glossa adhibuit.

Quid Archid. in cap. *Is qui* et in cap. *Multiplex.*

28 Archidiaconus in hoc videtur contrarius, quod *beneficium reconciliationis* exponit, idest *corpus Christi, et alia quæ fieri solent cum pœnitentibus in morte, scilicet officium sepulturæ* etc. At in hoc non est contrarius, quia non facimus vim in *beneficio reconciliationis;* fatemur enim posse exponi de admissione ad Eucharistiam, juxta cap. *Qui recedunt* 26, quæst. 26, et de reconciliatoria manus impositione ex cap. *Is qui*. Sed vim facimus in *beneficio pœnitentiæ* distincto ab altero; quod aliud non est, nec esse potest, nisi absolutio sacramentalis, de quo Archidiaconus nihil dixit. Et potius in verb. *Ordinatis* et verb. *Indulgentiam* sentit Leonem loqui de remissione peccatorum, quæ datur per ministros ecclesiæ et ejus sacramenta.

Quid Navarrus in Summa c. 26, num. 27, c. 27 num. 269.

29 Navarrus disputat de confessione generali, an interdum sufficiat, et definit numquam esse sufficientem materiam sacramenti; tamen in propria quæstione, quam tractamus, de signis datis in absentia sacerdotis, potius in posteriori loco citato ait, posse sufficere confessionem missam ad sacerdotem absentem, in qua peccata in particulari exprimantur. Verum est ipsum loqui etiam in ordine ad absolutionem in absentia, quod jam damnatum est; verum item est non recte exponere vocem *pœnitentiam* pro absolutione a censura vel confessione indulgentiæ; sed loquitur de solo canone concilii Carthaginensis : epistolæ autem Leonis (quod mirum est) nullam mentionem facit.

Quid Abulen. in c. 26 Matth. q. 79.

30 Idem fere de Abulensi dicendum est. Solum enim dicit signa contritionis non sufficere, ut sacramentaliter absolvatur ægrotus, qui illa dedit, sive in absentia sive in præsentia sacerdotis. Unde constat illum non loqui de quæstione nostra. Et præterea nullum canonem refert, nec declarat. Possetque non incommode exponi de signis contritionis nullo modo relatis ad claves ecclesiæ.

Quid Cano Relect. de pœnitentia p. s. ad 3^m^ principale.

31 Cano item in primis disputat de confessione in genere tantum facta ob impotentiam : in qua quid senserit jam supra tractatum est : de propria vero difficultate absentiæ nihil dicit. Quod vero ad canones attinet, prius quidem eos explicat de absolutione a censura. Præsentiens autem illam interpretationem non posse recte accommodari, fatetur eos loqui de absolutione sacramentali; in quo sententiæ nostræ favet. Addit vero illam solitam fuisse cadere in confessionem factam principio Quadragesimæ, quam rem examinabimus in ultima parte cap. 2.

Quid Soto in 4 d. 18, q. 2. art. 5 prope initium.

32 Ex professo etiam tractat Soto de generali confessione, an sufficiat in aliquo casu, ut sacramentalis sit, et in eam cadat sacramentalis absolutio. Et negantem partem tuetur, obiterque attingit conditionem absentiæ et ex eo etiam capite censet talem confessionem esse nullam. Nulla tamen firma ratione id probat, ut intelligi potest ex dictis in prima parte hujus operis cap. 4. Deinde hac occasione interpretatur Soto canones de absolutione ab excommunicatione, vel de externa reconciliatione cum ecclesia. Sed non affert aliam probationem, nisi quia testimonium circumstantium non potest satis esse ad sacramentalem absolutionem : quod ipse non probat, et oppositum docet apertissimis verbis Leo papa, cujus textum totiusque epistolæ intentionem et connexionem, ac verborum consequutionem ille non expendit, et verborum ejus oblitus est, ut supra animadverti.

Quid Martinus Ledesma in 4. 2 p. q. 9, art. 5, dub. 2.

33 Eamdem quæstionem ibi disputat Ledesma de confessione generali, an interdum sufficiat necne : de conditione autem absentiæ nullam prorsus mentionem etiam incidenter facit. Et in illa priori quæstione quid, et quomodo senserit jam supra notavi. Quod vero ad Leonem, et alios canones attinet eisdem fere verbis, quibus Cano loquitur. Ac tandem quod ad rem præsentem spectat fatetur loqui de absolutione sacramentali : recurrit vero ad divinationem aliam de confessione, quæ in principio Quadragesimæ præcesserat, de qua infra dicendum est.

CAPUT VI.

Ratione declaratur eadem sententia et objectionibus satisfit.

Propria ratio veritatis hactenus comprobatæ.

1 Ratio propria et primaria hujus veritatis in auctoritate posita est; nam tota pendet ex Christi institutione. Quod enim Christus D. potuerit ita instituere sacramentum pœnitentiæ manifestum est : quod autem ita instituerit declaravit nobis pon-

tifex Leo, et ecclesiæ usus doctorum auctoritate comprobatus. Habetque congruentissimam rationem, nimirum ut misericordia Dei propter Christi meritum copiosius necessitatibus hominum subveniret. Forte aliquis respondebit, quod nos supra dicebamus, non esse timendum de hoc periculo necessitatis : quia si ægrotus electus est, Deus providebit ut vel conteratur, vel vivat donec confiteri possit : si vero ex electis non est, justo judicio potest illum relinquere in illo discrimine. Respondemus tamen licet hæc consideratio locum habeat, ubi constat deesse aliquid essentiale sacramento, non tamen esse extendendam ad fingendam necessitatem, quæ ex institutione non colligatur. Nam licet illud de prædestinatione verum sit; tamen providentia etiam Dei suavis est, et in suo ordinario modo non deest in necessariis.

Evasio satisfit.

2 Probandum vero superest talem necessitatem non colligi ex institutione hujus sacramenti. De qua re multa in prima parte cap. 4 et 5 tacta sunt, et in sequenti alia adjungemus. Nunc declaratur breviter ex verbis institutionis : *Quorum remiseritis peccata* etc. Nam licet in eis fundetur tam absolutio sacerdotis, quam confessio pœnitentis, tamen absolutio insinuatur tamquam definita ad certa ac determinata essentialia verba : accusatio vero non limitatur ad præscriptum modum, sed generatim requiritur, ut integre et perfecte fiat, quantum moraliter possit. Et inde intellexit ecclesia in articulo necessitatis, satis esse ut fiat quantum potest. Cum ergo in præsenti casu ita fiat, merito censuit Leo papa id sufficere, ut sacerdos erga pœnitentem sua potestate remittendi peccata utatur.

Confessio pœnitentis non limitatur ad certos modos confitendi, sicut absolutio limitatur ad certa verba, sed ut fiat integre quantum possit.

3 Deinde non parum interpretationem hanc et sententiam ipsam confirmat, quod nec ex textu Leonis, nec ex ratione aliquid contra illam objectum est hactenus, quod difficultatem aliquam ingerere videatur. Ex epistola enim Leonis tria solent objici. Primum quod loquatur de solis publicis pœnitentibus, et consequenter de sola pœnitentia publica. Secundum quod loquatur de *reconciliatione :* quæ vox etiam significat externam absolutionem, ut patet 16, quæst. 6, per multa capita. Tertium quod in fine excipit hæreticos.

Tria ex epistola Leonis objiciunt adversarii.

1.

2.

3.

4 His vero omnibus abunde in superioribus satisfactum est. Nam ad primum negatum in primis est antecedens, quantum ad particulam exclusivam. Esto enim loquatur de publicis pœnitentibus, non tamen de illis solis, ut ex multis ejus verbis probatum est. Deinde negata est consequentia : quia etiam ipsos publicos pœnitentes dicit esse sacramentaliter absolvendos in illo casu, et reconciliandos seu communicandos. Et inde nos argumentum sumimus ad quoslibet alios fideles, etiamsi daremus Leonem formaliter solum loqui de publicis pœnitentibus, ut satis declaravimus. Ad secundum item responsum est, primo vocem reconciliationis ambiguam esse; nam significat reconciliationem cum Deo etiam in usu canonum, ut patet in cap. *Sacerdos* 26, quæst. 67, cap. 2 et 3, de pœnitentia dist. 1, cap. *significavit* de pœnit. et remiss.; ex contextu autem et verbis Leonis constare potest non minus in hac significatione accipi, quam in alia. Deinde responsum est nonlo qui Leonem de solo *beneficio reconciliationis*, sed etiam de *pœnitentiæ beneficio;* quod esse non potest, nisi sacramentalis absolutio. Ad tertium etiam est responsum non excipi hæreticos quoad participationem sacramenti pœnitentiæ : sed quoad modum et majorem cautionem servandam in eorum pœnitentia acceptanda. Et re vera si quis attente consideret evidentiam verborum et contextum epistolæ Leonis, levissimæ sunt hujusmodi objectiones ad deserendam tam claram lucem.

Responsio primæ objectionis.

Responsio secundæ.

Responsio tertiæ.

5 Alii, ut Soto et Navarrus, ex solo discursu rationis moti sunt ad credendum non posse Leonem loqui de absolutione sacramentali. Totumque fundamentum eorum est, quia non supponitur ibi confessio sacramentalis. Hoc autem ultimum duobus modis ab eis probatur. Primo quia illa confessio est tantum generalis. Secundo quia non fit in præsentia sacerdotis. Sed de priori puncto duo diximus in primo capite. Unum est probabilius esse in extrema necessitate, et interveniente impotentia confitendi distinctius, generalem confessionem solam posse esse sacramentalem, et huic sententiæ multum favere Leonem et alios canones. Aliud est interdum posse illam confessionem esse specificam, et de illa potius fore interpretandos canones, si opus esset ad hoc recurrere, quam evidentissima eorum verba negare.

Soti et Navarri fundamentum duplex.

Evertitur primum.

6 Aliud fundamentum, quod in absentia sacerdotis nititur, duplicem habet pro-

Evertitur prima probatio secundi fundamenti.

bationis modum. Unus est ex antiquo jure, seu ex conditionibus requisitis ad ipsam confessionem : vel ex divina institutione, vel ex consuetudine ecclesiæ. Et hoc modo probari non potest essentialis necessitas præsentiæ sacerdotis eo tempore, quo confessio a pœnitente fit, ut in 1 part., cap. 4, probatum est. Quodsi præsentia pro illo tempore non est essentialis, ex sola absentia pro eo tempore non potest ostendi nullitas confessionis, si alioqui ex rationabili causa, extremaque necessitate ita fiat, ut in sequenti parte, cap. 2, iterum dicemus. Alius modus probationis esse potest ex decreto Sanctissimi D. N. Clementis VIII, damnantis in omni casu confessionem in absentia : ad quod respondemus non comprehendere hujusmodi casum, nec confessionem, quæ in illo fit. De quo puncto 3 partem hujus commentarii instituimus.

Evertitur secunda probatio ejusdem fundamenti.

PARS TERTIA

DE CONCORDIA ET VERO SENSU UTRIUSQUE DECRETI LEONIS I ET CLEMENTIS VIII.

Apparens dissidium inter Leonem et Clementem proponitur.

Ratio difficultatis, et apparentis dissidii inter hæc decreta in fine primæ partis posita est, et ex his, quæ in 2 parte diximus, videtur roborata. Nam ostendimus Leonem admittere casum, in quo ministrari debet sacramentum pœnitentiæ, etiamsi pœnitens in præsentia sacerdotis non confiteatur. At in prima parte ostendimus Clementem ita damnare confessionem in absentia, ut in nullo casu, etiam extremæ necessitatis, illam admittat. Videndum ergo superest quomodo hæc concilientur. In quo puncto explicando prius referemus et examinabimus varios modos dicendi, vel falsos, vel etiam a sana doctrina alienos; deinde veram rationem conciliandi trademus; ac tandem difficultates inde emergentes expediemus.

CAPUT I.

Decisionem Leonis non limitari ad eos, qui prius in præsentia sacerdotis confessi fuerant, atque ita excludi primum conciliandi modum.

Primus conciliandi modus Cani et Ledesmæ.

1 Opinio aliquorum etiam ante decretum Sanctissimi D. N. fuit, quamvis Leo et alii canones loquantur de absolutione sacramentali, cum præcipiunt pœnitentiam dari ægroto petenti illam, priusquam sacerdos ad illum veniat, et postea in ejus præsentia nihil significare potest : nihilominus tamen loqui solum in eo casu, in quo talis ægrotus prius confessus fuerat in præsentia sacerdotis, et nondum fuerat ab illo absolutus. Quod autem hic sit sensus illorum canonum, conjecturam sumunt ex eo, quod loquuntur de hominibus publicam pœnitentiam agentibus, qui solebant confiteri in capite jejunii; eorum tamen absolutio usque ad feriam quintam hebdomadæ sanctæ reservabatur, ut ex historiis antiquis constat, quas congessit Marianus Victor in suis libris de confessione, et de antiquis pœnitentiis. Atque hæc fuit opinio Cani et Ledesmæ. Quo sensu supposito, sublata est omnis difficultas, quia in illis decretis nulla confessio admittur, quæ in præsentia sacerdotis facta non sit : nec signa pœnitentis tunc habent rationem confessionis, sed requiruntur, ut constet illum pœnitentem perseverare bene dispositum; et ad hoc etiam testimonium circumstantium postulatur.

Marianus Victor lib. de confessione cap. 8, 10 et 16 et lib. de antiquis pœnitentiis in principio ex Sozomeno lib 9, hist. cap. 35.

Rejicitur primo

2 Verumtamen limitatio hæc ad sacros canones, et præsertim ad decretum Leonis, non solum sine fundamento divinat, verum etiam toti antiquitati, et intentioni, ac verbis expressis ejusdem Leonis repugnat; quæ omnia ut ostendam, initium sumo a verbis ejusdem Mariani Victoris, qui in libello de antiquis pœnitentiis in fine verba habet, quæ supra retuli : *Absolvebatur autem pœnitens post impletam pœnitentiam, nisi mors homini immineret; tunc enim omni tempore, omnique in loco, et a quocumque sacerdote absolvi pœnitentem consuetum fuisse sæpius diximus.* Expendo igitur illud *a quocumque sacerdote* cum illo, quod proxime subdit : *Quod ipsum morientibus præstabatur, etiamsi loquendi potestatem perdidissent,*

et respondere non possent, si tamen illos pœnitentiam et absolutionem petiisse constaret. Ergo aperte docet consuetum fuisse ut in illo ultimo casu S. Leonis absolveretur infirmus *a quocumque sacerdote*, qui primo vocari posset. Ergo signum est responsum Leonis non fundari in confessione prius facta, nec illam esse necessariam, ut in eo casu infirmo detur *beneficium pœnitentiæ;* alioqui talis absolutio solum dari posset ab illo sacerdote, cui talis confessio facta fuerat, ut per se notum est; quia ille solus erat judex in illa causa inchoata. Ergo absolutio, quæ a quolibet sacerdote dari potest, non fundatur in illa confessione; sed in ea, quæ tunc facta est, quando ægrotus petiit absolvi cum signis pœnitentiæ, qualiscumque illa sit.

Rejicitur secundo.

De hoc multa habentur 26, q. 6 et 7.

3 Secundo augetur valde hæc ratio ex eodem Mariano dicente in eodem libello, paulo ante medium illam pœnitentium reconciliationem regulari lege solum ob episcopis fieri potuisse; nam ad illos pertinebat leges pœnitentiæ indicere, et non ad presbyteros, nisi ex eorum licentia et in magna necessitate. Unde fit consequens, ut ex episcopis, solus ille posset reconciliare pœnitentem, qui pœnitentiam indixerat, et consequenter solum illum potuisse reconciliare, qui confessionem audierat, quia non poterat pœnitentia indici, nisi audita confessione et causa examinata. Si ergo pœnitens moribundus in prædicto casu Leonis solum absolvi posset virtute confessionis prius factæ, solum posset ab episcopo absolvi, quia illi soli fiebat similis confessio. At hoc incredibile per se est, et contra eumdem Marianum Victorem, qui ibidem repetit : *Imminente morte quemlibet sacerdotem absolvere potuisse pœnitentem :* ergo illa absolutio non pendebat ex priori confessione. Idemque argumentum fiet, si dicatur juxta consuetudinem antiquam, quam Sozomenus et alii referunt, fuisse ab episcopo designatum sacerdotem pœnitentiarium pro his confessionibus audiendis, quem postea Nectarius Constantinopoli abstulit. Nam tunc etiam necessarium fuisset illum pœnitentiarium vocare ad absolvendum ægrotum in dicto casu, nec alius præter ipsum posset absolvere; quod antiquis canonibus repugnat, ut dictum est.

Rejicitur tertio.

4 Tertio, esto sit certum ante pœnitentiam publicam solitam fuisse præcedere aliquam confessionem eorum peccatorum, pro quibus pœnitentia agebatur, tamen quod illa confessio quæ præcedebat, necessario esse deberet sacramentalis, et integra omnium peccatorum, etiam illorum, de quibus pœnitentia publica non injungebatur, non constat, neque ex aliqua historia, nec aliquo certo indicio ostenditur. Nam pœnitentia publica, secundum debitum ordinem, non erat agenda de peccatis occultis, sed tantum de publicis, ut colligitur ex concilio Carthaginensi 3, cap. 32, et Moguntino, cap. 10, apud Burchardum lib. IX, cap. 28 et ex epistola 18, alias 80, Leonis primi cap. 2. Ubi graviter reprehendit eos, qui cogebant pœnitentes ad publice confitenda peccata occulta. Et ideo Augustinus lib. de pœnitentia medicin. dicit, de unoquoque peccato agendam esse pœnitentiam secundum modum ejus, id est de publicis publice, de occultis occulte. Igitur ad pœnitentiam publicam non erat per se necessaria sacramentalis confessio; sed satis erat publica, quam aliqui theatralem appellant. Ergo ruit fundamentum illius responsionis, nec habet in antiquitate fundamentum.

Publicam pœnitentiam aliquando nulla confessio præcedebat.

5 Imo aliquando nulla confessio necessaria erat, si vel crimen publicum erat, et famosum (quomodo dicitur Theodosius publicum pœnitentiam egisse pro cæde Thessalonicæ facta), vel reus convictus erat de crimine, aut in judicio, aut per tam publicam notitiam, ut nulla tergiversatione cælari posset. Unde in cap. *De his vero* d. 50 is ordo servandus dicitur : *Qui deprehensi vel capti fuerint publice in perjurio etc. publice puniantur : qui vero absconse hæc commiserint, per secretam confessionem pœnitentiam accipiant.* Et in quadam synodo sub Carolo Magno clarius dicitur : *Si sponte et occulte confessus fuerit, occulte fiat pœnitentia et reconciliatio; si vero autem manifeste convictus aut publice confessus fuerit, publice ac manifeste fiat.* Et in concilio Toletano II, cap. 7, ad comprimendam aliquorum sacerdotum sævitiam dicitur : *Ut quotiescumque aliquis publica debet a sacerdote disciplina curari, duorum fratrum testimonium adhibeatur, tum ad cognoscendum modum criminis, tum ad modum pœnitentiæ irrogandum; quod totum debeat a sacerdote manus proprie subscriptione notari.* Quæ omnia aliena sunt a confessione et ritu sacramentali.

Vide Baron. tom. I, ann. 16 et Sozomenum lib. 7, suæ historiæ cap. 16 et Augustinum, lib. 10, homil. in 49 et lib. 1 de Civitate cap. 26.

Rejicitur quarto.

6 Denique Augustinus lib. X. Homilia-

rum, homil. ult. cap. 19, dicitm edicinalem pœnitentiam publicam, et separationem a communione nemini imponi posse, *nisi sit vel sponte confessus, vel in aliquo judicio nominatus et convictus*. Non ergo semper erat necessaria confessio, sed sufficiebat publica probatio : hanc enim vim habet illa disjunctiva. Quæro igitur, an hi pœnitentes incidentes in illam extremam necessitatem, de qua Leo papa et canones loquuntur, absolvendi essent sacramentaliter, necne. Nemo credo audebit negare fore absolvendos, cum responsio Leonis et canonum doctrina sit de *pœnitentibus*, et sine ulla limitatione, et ideo universalis esse debeat. Si autem absolvendi sunt, non semper fundabatur absolutio in confessione sacramentali prius facta ante pœnitentiam publicam, quia non semper talis confessio præcedebat. Quodsi non semper, ergo per se numquam in illa fundabatur, sed aliud fundamentum quærendum est : nam quod aliquis ægrotus fuerit prius confessus eidem sacerdoti, qui in eo articulo vocatur, valde accidentarium est.

Rejicitur quinto, quia non semper differebatur absolutio sacramentalis publice pœnitentium.

7 Quinto quamvis sacramentalis confessio sæpe antecederet publicam pœnitentiam et reconciliationem, non constat sacramentalem absolutionem solitam fuisse differri usque ad feriam quintam hebdomadæ sanctæ, quando communio dabatur pœnitentibus (juxta Innocentium I in epistola prima cap. 7). Quodsi verum est, etiam non habet locum in his pœnitentibus evasio illa, ut per se constat. Quod autem id sit verum, aut saltem verisimile declaratur. Nam in primis quod sacramentalis confessio præcederet in his, qui sponte et non coacte pœnitentiam agebant, ibi indicat Leo papa, et Origenes hom. 2 in psalm. 87, ubi dicit solitum fuisse præcedere secretam confessionem, et ad judicium sacerdotis pertinuisse discernere inter peccata occulte expianda, vel in publicum producenda ad publicam satisfactionem. Et hoc quidem est, quod dixit Augustinus dict. hom. 50, cap. 11. *Ordine custodito a præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum, ut id agat, quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam aliis ad exemplum, ut si peccatum ejus in scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati ecclesiæ videtur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis pœnitentiam agere non recuset.* Et fortasse hoc fuit munus presbyteri pœnitentiarii, qui tempore Nectarii sublatus est, ut historiæ referunt. Nam probabile est illum solitum fuisse prius audire sacramentalem confessionem, et postea pœnitentes suo consilio et proprio etiam consensu illa peccata, de quibus pœnitentiam publicam acturi erant, publice etiam confessos fuisse.

Id probatur ex Sozomeno.

8 Quod autem his sua sponte publice pœnitentibus per se, ac necessario non suspenderetur absolutio sacramentalis usque ad finem quadragesimæ : ex verbis Sozomeni colligi potest, qui de presbytero pœnitentiali, post auditam confessionem, sic scribit : *Et secundum uniuscujusque delicta, quid faciendum, luendumve esset, mulcta imposita, ea lege confitentes absolvebat, ut a se ipsis pœnas commissorum exigerent.* Indicat ergo absolutionem potuisse statim dari, sub onere tamen pœnitentiam implendi. His etiam, qui publicam pœnitentiam acturi erant, addebatur obligatio non communicandi, donec tempore statuto ab ecclesia reconciliarentur per manus impositionem. Hinc vero colligi non potest absolutionem internam in fore sacramentali etiam fuisse dilatam usque ad illud tempus : quia reconciliatio illa, quæ per manus impositionem fiebat, distincta erat ab absolutione, et poterat prius dari absolutio, quam reconciliatoria manus impositio, ut aperte constat ex cap. *Qui recedunt* et cap. *Is qui* 26, quæst. 6.

Item talis dilatio absolutionis nulla lege ecclesiæ probatur et aliquando esset injusta.

9 Denique nullum invenio canonem, vel ecclesiasticam legem, quæ præciperet differri absolutionem usque ad expletum exteriorem satisfactionem, seu pœnitentiam. Nec talis lex, simpliciter lata, videretur conveniens : quia si pœnitens est optime dispositus, et est moralis certitudo, quod implebit pœnitentiam, utilius est illum statim absolvere, ut per gratiam sacramenti opera satisfactoria, et faciliora, et utiliora reddantur. Imo fortasse in eo casu, in quo ex parte pœnitentis nulla est dubitandi ratio, vel de congrua dispositione, vel de futura pœnitentiæ executione, non potest juste differri absolutio pœnitenti invito, quia habet jus ad illam, et ad fruendum fructu ejus, et nulla intervenit sufficiens ratio, cur illa privetur. Numquam ergo videtur hoc fuisse necessarium, nec de tali ordine internam pœnitentiam, præsertim publicam, et absolutionem secretam, seu sacramentalem fuisse umquam ecclesiasti-

cum præceptum vel generalem consuetudinem inducentem necessitatem.

Ecclesiastica regula publice pœnitentes excludit usque ad publicam satisfactionem; non vero absolutionem sacramentalem dispositis differt.

10 Si ecclesiastica regula quoad hanc partem videtur fuisse, quam indicat Innocentius I, dict. epist. 1, cap. 7, scilicet : *Ut in primis sacerdos æstimato pondere delictorum, et humili confessione pœnitentis, cum fletu et lacrymis, et proposito correctionis, judicaret an expediret statim, vel post aliquam majorem satisfactionem, vel emendationem ab eo præstitam absolutionem dare;* ac deinde ut cum his, qui acturi erant pœnitentiam publicam, servaretur lex separandi illos a communione eucharistiæ, donec post sufficientem satisfactionem coram ecclesia exhibitam eidem reconciliarentur per manuum impositionem, ut statuto tempore ad eucharistiam admitterentur. Atque ita de hac sola publica reconciliatione ordinarie loquuntur patres, quando prohibent pœnitentes reconciliari ante satisfactionem, ut videre licet in Cypriano lib III, epist. 15 et 16, et Ambrosio ad virginem lapsam cap. 8. Ergo responsio sancti Leonis et aliorum canonum, non est reducenda ad rem adeo incertam qualis est, quod pœnitentes illi non absolverentur sacramentaliter usque ad feriam quintam hebdomadæ sanctæ.

Rejicitur sexto idem conciliandi modus.

11 Accedit sexto quod tempus pœnitentiæ publicæ non erat tantum unius quadragesimæ, sed interdum erat plurium annorum. Et nihilominus omnes pœnitentes singulis annis reconciliabantur feria sanctissima in Cœna Domini, et communicabantur, ut constat ex Innocentio I supra. Non est autem verisimile, eum v. g. qui per decennium pœnitentiam agebat fuisse prohibitum, ne sæpius per annum posset sacramentaliter confiteri et absolvi : fuisset enim hoc valde periculosum animæ ejus, et ideo nullo canone hoc cavetur. Et e converso propter pœnitentiam publicam non erat necessarium hos confiteri in principio quadragesimæ. Quia (ut suppono) solum agebant illam propter peccatum, ante plures annos commissum et confessione manifestum : ergo his omnibus accommodari non potest illa evasio, quia necesse non est, ut in eis præcesserit aliqua confessio sacramentalis, cujus absolutio esset suspensa.

Refert idem Marianus Victor eodem libell. pag. 287 et 288 et Bellarmin. lib. I de Pœnitentia c. ult. pag. presbyter d. 82. Concilium Carthaginen. c. 50.

Rejicitur septimo eodem libello, pag. 284.

12 Septimo est optimum argumentum, quia refert idem Marianus Victor, pœnitentiam publicam et solemnem interdum potuisse tempore ægritudinis inchoari, si fortasse peccator de illa prius non cogitaverat, et tunc metu impulsus eam petebat. Quod etiam sumitur ex concilio Toletano 12, cap. 2. Ubi additur contingere potuisse ut ægrotus, qui tunc cœpit pœnitentiam petere, prius sensum et rationem amittat, quam sacerdos, qui illam dare possit adveniret. Ergo de hujusmodi pœnitente vere dici non potest potuisse in eo casu absolvi in virtute alicujus confessionis, quam ante ægritudinem fecisset : cum tamen negari non possit, quin conprehendatur sub nomine et statu pœnitentium, de quibus Leo papa loquitur. Quod autem hujusmodi pœnitentes in dicto casu sacramentaliter absolvendi sint, sentit idem Marianus Victor, et in margine citat cap. *Qui recedunt* 26, quæst. 6 (ut dicebam); sumitur ex absoluta decisione Leonis, quam nobis limitare non licet, nec distinguere, ubi Leo non distinxit. Et favet etiam dictum concilium Toletanum, ut supra expendi.

Rejicitur octavo ex verbis Leonis.

13 Octavo, quod caput est, sine dubio Leo in epistola sua præcipue loquitur de hoc casu, in quo ægrotus nec confessus fuerat, nec pœnitentiam agere cœperat, priusquam in mortis periculum ac necessitatem incideret. Nam a principio ad illum dirigit intentionem suam, quia de illo fuerat interrogatus. Unde occasionem sumit admonendi peccatores, ne pœnitentiam et confessionem differant usque ad tempus mortis : *Et se eas in temporis angustias redigant, quo vix inveniat spatium, vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis.* Si autem jam confessio præcessisset, neque esset periculum, quod deesset locus confessioni, nec posset tribui homini, quod ipse se redegisset in illas augustias, quia ille exspectabat absolutionem ab ecclesia, neque ex se poterat amplius facere ad illam obtinendam. Denique quibus verbis clarius poterat dicere Leo se loqui de hominibus, qui nullo modo pœnitentiam inchoarunt, quam dicendo se loqui de his, *qui tempore necessitatis et in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, et mox reconciliationis implorant.*

Et ex verbis concilii Carthaginensis.

14 Quibus non dissimilia sunt verba concilii Carthaginensis : *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit* etc.; non ergo loquitur de eo, qui antea petierat, et inchoaverat illam per confessionem et publicam satisfactionem. Ac propterea in fine statuit : *Ut*

si ille infirmus supervixerit, subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu sacerdos, qui pœnitentiam dederit, probaverit. Ergo supponit ægrotum illum ante non fuisse subjectum pœnitentiæ legibus; alias potius juberet illum explere pœnitentiam, quam inchoaverat, quamque sacerdos, cui prius confessus fuerat, probaverat. Nec minorem vim habent absoluta verba concilii Arausicani : *Subito obmutescens;* nam illa particula *subito* indicat repentinam petitionam, quæ antea facta non erat. Item ex conjunctione, quam ibi facit pœnitentiæ cum baptismo, sumitur magna conjectura. Nam eodem modo dicit dandum esse baptismum et pœnitentiam ægroto petenti. Nemo autem audebit limitare illa verba quoad baptismum, ut solum intelligantur de catechumenis, qui prius publice petierant baptismum, et erant suo modo in statu pœnitentium, et ad illum recipiendum disponebantur; nam esset plane temeraria talis limitatio. Similis autem videtur altera, quæ de pœnitentia adhibetur : estque eadem utriusque ratio, nimirum, quia concilium præcipit hæc sacramenta in eo casu dari, sub ea tantum conditione : *Si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu :* ergo quidquid aliud petitur, extra vel potius contra intentionem canonum est, et contra simplicem veritatem et auctoritatam absoluti et generalis responsi.

Item Arausicani.

Rejiciuntur tandem ratione posito casu bimembri.

13 Ultimo possumus ratione ostendere, aut limitationem illam continere rem adeo claram, ut incredibile sit de illa sola fuisse loquuta decreta, imo nec in dubitatione fuisse umquam adductam : aut per illam non vitari difficultatem nostram, quam tractamus. Quod declaro, quia ad usum moralem et ordinarium potest esse utile. Supponamus ergo ægrotum incidentem in illud periculum fuisse prius confessum sacramentaliter et non absolutum : simulque supponendum est eumdem sacerdotem, qui ejus confessionem audierat, vacari in illo articulo ad illum absolvendum; alioqui impertinenter se habebit confessio præterita ad præsentem absolutionem, ut supra argumentabamur. Illis autem suppositis, duobus modis se habere potest ille sacerdos respectu talis pœnitentis. Primo quod probabilissimam habeat conjecturam, illum post priorem confessionem non peccasse mortaliter, nec mutasse dispositionem bonam, in qua illum dimisit, vel saltem quod nullam probabilem rationem dubitandi circa hoc habeat, quia nimirum tempus, quod præcessit a confessione facta, breve fuit, et tunc erat optime dispositus; et apparebat timoratus, ac denique non habet probabilem rationem timendi malum contrarium.

Ad primum membrum restrinxisse sese Leonem ridiculum est.

16 Et tunc per se est evidens posse et debere sacerdotem pœnitentem illum absolvere, quando eum invenerit in tali necessitate constitutum. Valde autem frivolum et ridiculum esset ad solum hunc casum his omnibus circumstantiiis vestitum decisionem Leonis, et aliorum canonum revocare. Tum quia de tali homine non potest dici, quod pœnitentiam distulerit usque ad mortem, cum supponatur confessus ante occasionem mortis, et in bono statu ex tunc perseverans : tum etiam quia, suppositis illis circumstantiis, absolutio est debita de justitia, maxime necessitate urgente. Imo tunc non videtur necessaria nova petitio absolutionis, nec nova ostensio pœnitentiæ interioris per positiva signa et testimonium aliorum, sed satis est, ut non appareat signum contrariæ dispositionis vel mutationis. Ut si gentilis ante ægritudinem petiit baptismum cum signis pœnitentiæ, et postea subito in illam necessitatem incidat, non erunt necessaria nova signa, aut testimonia; sed satis erit, ut de mutatione prioris voluntatis et pœnitentiæ non constet. Ergo nullo modo dici potest canones esse restringendos ad hunc casum his omnibus circumstantiis affectum.

Ad secundum membrum se extendit Leo.

17 Supponendum ergo potius est sacerdotem, qui priorem confessionem audierat probabiliter credere pœnitentem illum post priorem confessionem nova peccata mortalia commisisse, quia et tempus, quod intercessit, diuturnum fuit, et consuetudo et fragilitas peccandi erat nimia, et sibi nota. Supposito autem tali casu, ut idem sacerdos possit absolvere pœnitentem, non satis est prior confessio, nisi de peccato mortali postea commisso signa pœnitentiæ et petitio absolutionis saltem per testimonium circumstantium præcedant, et ita quoad hanc partem incidimus in eamdem difficultatem de confessione facta in absentia sacerdotis. Probatur, quia supponimus novum peccatum intervenisse, quod per se sit materia necessaria pœnitentiæ; ergo illius etiam nova accusatio necessaria est; et hæc

fit per nova illa signa, eo modo, quo fieri potest.

Evasio præcluditur.

18 Dices hoc solum esse necessarium ad integritatem, quæ in eo casu excusatur propter impotentiam, atque ita priorem confessionem esse sufficientem materiam. Respondeo confessionem illam, dimidiatam ob necessitatem et impotentiam, esse quidem sufficientem quoad peccata commissa ante talem confessionem; non tamen videri sufficientem quoad peccata postea commissa, nisi de illis aliqua nova occusatio postea fiat. Ratio est, quia confessio in tantum sufficit pro peccatis oblitis, vel quæ ex impotentia, aut alia justa causa omittuntur, in quantum *in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, ut* concilium Trid. dixit sess. 14, cap. 5; at vero peccata nondum commissa non possunt dici virtute inclusa in tali confessione cum pœnitens neque animum, nec desiderium habere potuerit tunc confitendi illa. Ergo superveniente novo peccato mortali, necessaria est nova accusatio illius eo modo, quo fieri potuerit, scilicet vel in genere, vel in specie pro ratione necessitatis : ergo in prædicto casu hanc vim habent illa signa pœnitentis, quæ canones requirant. Quodsi illa esse potest partialis confessio, etiamsi in præsentia confessoris exhibita non sit, profecto etiam poterit esse integra materia, et sufficere ad absolutionem, quamvis alia confessio non præcesserit : nam quod attinet ad absentiam, eadem est ratio totius et partis, sive spectetur erubescentia pœnitentis, sive certitudo de illius confessione et dispositione.

Quoties multum tempus inter confessionem et absolutionem, dandam interjacet, iteranda est confessio.

19 Denique addo propter praxim in illo casu servandam. Probabile satis videri, quoties multum temporis præcessit inter confessionem prius factam et absolutionem postea dandam, necessarium per se esse, ut pœnitens novo aliquo signo priorem confessionem ratificet, seu virtute repetat, ac ostendat veram pœnitentiam, seu perseverantiam in priori dispositione bona. Duplex autem causa hujus necessitatis reddi potest.

Prima causa iterandi confessionem.

Una est generalis de morali propinquitate inter materiam et formam sacramenti. Quando enim multum tempus præcessit, quale videtur profecto esse tempus totius quadragesimæ, non videtur posse moraliter conjungi præterita confessio cum præsenti absolutione, nisi per nova signa ratificetur, et quasi applicetur et conjungatur.

Secunda causa

20 Altera causa est morale periculum mortaliter peccandi in tempore tam diuturno. Ut ergo illa confessio præterita reputetur formaliter integra et completa in ordine ad absolutionem, necessaria est nova pœnitentis accusatio et significatio : quodsi hæc notificata confessori per sola testimonia circumstantium in eo casu satis est juxta doctrinam canonum, profecto eadem sufficeret, etiamsi nulla confessio præcessisset : quia quod illa præcesserit solum potest requiri ad integritatem materialem; nam formalis integritas sine illa inveniri potest, ut per se notum est : integritas autem materialis non est simpliciter necessaria, ut etiam est certum. Igitur evasio vel limitatio illa de confessione præterita, fundata non est in historiis antiquis, sed ab eis potius est aliena; multoque magis repugnat verbis canonum, et modis omnibus impertinens, nihilque ad causam referre invenitur.

CAPUT II.

Ut in casu extremæ necessitatis absolutio sacramentalis dari possit, necessario prærequiri sacramentalem confessionem refelliturque secundus modus conciliandi prædicta decreta.

Secundus modus conciliandi decretum Leonis cum decreto Clementis refertur.

1 Non defuerunt hoc tempore theologi, qui ad concilianda hæc duo decreta necessarium existimaverint dicere posse in aliquo casu dari sacramentalem absolutionem sine confessione sacramentali, re ipsa sensibiliter exhibita. Quia negare non audent Leonem præcipere ut in casu posito in superioribus, ægrotus sacramentaliter absolvatur, et alioqui non inveniunt ibi confessionem sacramentalem in præsentia sacerdotis factam : aliunde vero putant esse contra decretum sanctissimi Clementis VIII admittere in aliquo casu confessionem, factam in absentia sacerdotis, ut licitam et validam. Ex his ergo principiis concludunt dari ibi sacramentalem absolutionem sine confessione sacramentali. Minusque inconveniens esse putant admittere absolutionem sine confessione, quam absolutionem, quæ cadat super confessionem in absentia factam. Pro qua sententia referunt Ruardum et Cordubam. Quia Ruardus art. 3 contra

Lutherum refert aliquos ita sentientes, et licet neminem in particulari nominet, adducit in eorum favorem Leonem et Augustinum; et sententiam non reprobat, sed tacite potius probare videtur. Corduba vero dict. lib. v de indulgentiis, quæst. 39, aperte dicit posse in illo casu sacramentaliter absolvi eum, qui nullo modo confessus est. Expressius vero id admittit in aliquo casu Tabius in scrutinio sacerdotali, loco supra citato.

Ratio prædicti modi conciliandi.

2 Ratio hujus sententiæ potuit esse, quia desiderium confitendi non est confessio in re, sed in voto tantum : in eo autem casu ægrotus ille tantum ostendit desiderium confessionis et petit confessorem : ergo actu et re ipsa non confitetur. Unde signa contritionis quæ tunc exhibet dici poterunt manifestatio contritionis et voti confessionis, non tamen realis confessio. Confirmatur primo quia confessio vera et sacramentalis fit alicui confessori : illa vero nulli confessori fit. Cui enim fit, cum nullus adsit, nec in particulari vocetur? Tandem confirmatur secundo, quia per illa signa et petitionem confessionis vel nulla datur sacerdoti notitia de peccatis pœnitentis, quia nullum in particulari exprimitur : vel licet exprimatur, non manifestatur sacerdoti sed aliis laicis, qui non possunt postea pro ægroto confiteri, cum confessio sit actio personalis.

Confirmatur primo.

Confirmatur secundo.

Quo e duobus modis tueri possunt hunc modum sui auctores.

3 Quodsi inquiras, quomodo possit ibi dari forma sacramenti cum suo effectu absque materia; alterum e duobus necesse est respondeant. Unum est materiam in hoc sacramento non pertinere ad essentiam vel substantiam ejus, sed esse tantum conditionem per se requisitam, totam vero essentiam sacramenti in sola forma positam esse; (ita enim quoad hanc partem de natura hujus sacramenti Scotus, et alii opinati sunt;) ac proinde mirum non esse, quod aliquando possit sola substantia fieri sine conditione per se necessaria. Aliud est semper fieri hoc sacramentum ex aliqua materia et forma; materiam autem essentialem non esse confessionem sensibilem re ipsa factam; sed interdum satis esse contritionem cum voto confessionis signis sensibilibus significatam, et istam in dicto casu sufficere.

Dictus modus conciliandi injuriosus est utrique pontifici.

4 Hæc vero ratio conciliandi hæc decreta utrique pontifici magnam infert injuriam : Leoni quidem, quatenus illi tribuit, quod præceperit sacramentaliter absolvere sine prævia sacramentali confessione : Clementi vero, quatenus ei tribuit, quod suo decreto nos cogat ad hoc affirmandum de S. Leone, et quod virtute approbet illam sententiam, quæ asserit non esse de essentia absolutionis, ut cadat super sacramentalem confessionem, ne a S. Leone discrepet ac denique quod minus inconveniens judicet admittere confessionem non esse de essentia hujus sacramenti, quam admittere confessionem in absentia factam, et per testes applicatam, posse interdum sufficere ad sacramentalem confessionem.

Probatur ex Tridentino.

5 Quam vero grave sit hæc imponere his pontificibus ostendo primo ex concilio Tridentino sess. 14, can. 9, dicente : *Si quis dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit, anathema sit.* Respondent hunc canonem esse contra hæreticos, qui negant necessitatem confessionis absolute, et pro quocumque casu, quod dicti Theologi non faciunt, sed dicunt per se requiri confessionem ante absolutionem, non tamen ita essentialiter, quin in aliquo casu sufficiat confessio in voto, sine confessione in re. Unde in dicto canone vel illud verbum *requiri* ampliandum est, ut non sit sensus requiri essentialiter, sed per se, vel nomen *confessionis* extendendum est ad confessionem in re, vel in voto. Sed in primis nimia videtur audacia, ne quid gravius dicam, tam absolutam definitionem concilii vel limitare asserendo aliquam exceptionem admittere, vel ad peregrinos sensus contra vim verborum detorquere; occasionem præbendo ad similes ecclesiæ definitiones eludendas. Quando enim concilium sess. 7, can. 2, de baptismo sic ait : *Sic quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, anathema sit.* Quis audebit interpretari non loqui de necessitate essentiali, sed de necessitate per se, quæ permittit ut in aliquo casu alia aqua sufficiat : aut intelligi de aqua in re vel in voto? Item quando concilium vult explicare absolutam necessitatem alicujus rei ad sacramentum aliquod conficiendum, simili definitione absoluta utitur : quando vero est talis necessitas, quæ permittat exceptionem, illam indicat : quia ad tantam certitudinem doctrinæ re vera erat necessarium; ut v. g. agens de ministro sacramenti unctionis, absolute definit sub anathemate esse solum sacerdotem, eadem

Effugium adversariorum.

Præcluditur ex Tridentino.

sess. 14, can. 4, de extrema unctione. At vero sess. 7, can. 3, de confirmatione non absolute dixit ministrum esse episcopum, sed addit *ordinarium* ministrum, ut exceptionem insinuaret. Hic autem absolutam tradit doctrinam et definitionem de necessitate confessionis ante absolutionem. Ergo loquitur de necessitate essentiali.

Præcluditur amplius ex eodem concilio.

6 Ut autem hoc evidentius constet, discursus ipse et progressus concilii attente expendendus est. Nam in primis duo simul definit in illo canone. Unum est absolutionem sacerdotis esse actum judicialem, id est, sententiæ prolationem : aliud est ad hunc actum requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit. Et in utroque damnat hæreticos, qui propterea negant confessionis necessitatem, quia negant absolutionem esse sententiam judicis. Concilium autem incipiens a fundamento hæreticorum, illud evertit, et contrarium statuit, ponitque ut conditionem essentialem absolutionis, quod sit actus et sententia judicis. Nec potest quispiam catholicus dubitare, quin hoc sit de essentia absolutionis, quia esset evertere potestatem clavium et totam naturam hujus sacramenti. Ergo eodem sensu dicit confessionem requiri tamquam essentialem ad hoc judicium : tum quia nulla est ratio aliter interpretandi unam definitionis partem, et aliter aliam : tum maxime quia una consequitur ex alia. Sicut enim absolutio essentialiter est sententia, ita confessio essentialiter est accusatio, quæ tam necessaria est ad sententiam et ad judicium formandum, ut sine illa nec formari, nec intelligi possit. Quia Judex non potest proferre sententiam de causa omnino incognita, ut idem concilium eadem sessione, cap. 5, dicit; non cognoscitur autem causa in hoc judicio, nisi per accusationem et testimonium ipsiusmet rei, quæ per confessionem fiunt : ergo quam est necessaria sententia, tam est necessaria confessio.

Confirmatur amplius ex ipso concilio.

7 Confirmat veritatem hanc aliud ejusdem concilii testimonium, cap. 2 ejusdem sessionis, ubi docet sacramentum pœnitentiæ inter alia differre a baptismo *in materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur*. Supponit ergo habere hoc sacramentum aliquam materiam, sine qua ejus essentia perfici non potest. Quæso igitur, quænam sit hæc essentialis materia. Tres enim partes illius materiæ ponit idem concilium ibidem cap. 3, contritionem, confessionem, et satisfactionem : et de satisfactione constat, non esse essentialem, sed ad integritatem sacramenti requiri; de contritione, probabilius esse essentialem, abstrahendo a contritione perfecta, vel imperfecta, quæ attritio dicitur; ut ex eodem concilio cap. 4, constat. Tamen etiam est certum solam contritionem non esse sufficientem materiam, quia in actu interno consistit, et per se sensibilis non est. Materia autem sacramenti debet esse sensibilis, ut notavit D. Thomæ, in 3 part., quæst. 84, art. 1, ad 1^m et 2^m, et quæst. 90, art. 2 et 3, estque per se notum in theologia : ergo essentialis materia sensibilis hujus sacramenti est ipsa confessio.

Responsio adversariorum refellitur primo.

8 Dicent fortasse signum contritionis esse sufficientem materiam, seu contritionem internam signo sensibili manifestatam. Sed contra, nam vel illud signum contritionis est confessio, vel non : si est confessio, ergo aliqua sensibilis confessio necessaria est et essentialis : si non est confessio, ergo datur nova pars materialis sacramenti pœnitentiæ, quæ nec est satisfactio, nec confessio, nec etiam dici potest contritio, quia *contritio* (ut idem concilium cap. 4, docet) *quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero :* signa autem manifestant dolorem; non vero sunt dolor; non ergo sunt contritio : quomodo ergo sunt materia, si non sunt confessio?

Refellitur secundo.

9 Ad hæc interrogo, an per illa signa se quis subjiciat clavibus, et tamquam reum se in hoc tribunali representet. Nam si illa signa hoc non efficiunt, non sufficiunt ad hoc sacramentum ex parte materiæ constituendum. Nam eodem modo, quo Christus voluit ministrum hujus sacramenti esse judicem, ita voluit eum, qui absolvi cupit prius tamquam reum ante hoc tribunal sisti, et ad sacerdotem confugere, ut per ejus sententiam possit a peccato liberari, juxta doctrinam ejusdem concilii cap. 2. Si autem per illa signa se quis submittit clavibus, et se tamquam reum sistit ante hoc tribunal, et ad sacerdotem confugit ut per illius sententiam liberetur ab statu peccati, quid illis signis deesse potest ad veram confessionis rationem! At cur res admittenda est, et nomen negandum contra modum loquendi conciliorum, quæ in hoc sacramento

aliam materiam non cognoscunt, quam cordis contritionem, oris confessionem et operis satisfactionem, ut etiam Florentinum concilium tradidit? Et præterea est contra manifestam rationem, quia confessio sacramentalis nihil aliud est, quam manifestatio peccatorum sacerdoti facta in ordine ad absolutionem per claves ecclesiæ obtinendam. Unde D. Thomas 3 part., quæst. 90, art. 2, ait præter contritionem requiri ad hoc sacramentum, *ut pœnitens se subjiciat arbitrio sacerdotis loco Dei, quod fit in confessione :* ergo si per signa sensibilia contritionis cum petitione confessionis hoc fit, jam fit confessio, et quidquid aliud additur, ut quod sit manifestatio peccatorum in specie, vel quod fiat sacerdoti præsenti, est privatam opinionem ponere in definitione, cum tamen id tantum ponendum sit, quod ex doctrina conciliorum, vel ex vi, et natura judicii colligi potest.

Refellitur tertio. Refellitur quarto dicta responsio num. octavi.

10 Denique, qui sic respondent concedunt signa contritionis exhibita in ordine ad claves esse materiam essentialem, et simpliciter necessariam ante absolutionem, idque negant sub nomine confessionis : hoc autem nec constanti ratione, nec verborum contentione dici potest. Interrogo enim, cur signa sensibilia contritionis necessaria sint? Profecto non ob aliud, nisi ut per illa constet sacerdoti in sacramentali foro, tum quod pœnitens habeat materiam remotam absolutionis, id est, quod aliquid egerit absolutione indigens : tum quod sit bene dispositus ad recipiendam absolutionem. Hanc enim ob causam necesse est, ut talia signa sint nota sacerdoti, eique vel immediate, vel per testes sufficienter proponantur, ut etiam Leo papa et alia concilia exigunt. Interrogo igitur ulterius, cur necesse non sit hæc signa immediate videri, audiri vel intelligi ab ipso sacerdote, sed satis esse, quod per interpretem vel testimonium circumstantium illi notificentur (ut canones dicunt, et adversarii admittunt) ut possit sacerdos sacramentaliter absolvere? Certe nihil respondere possunt, nisi quia illo modo comparat sacerdos probabilem notitiam eo meliori modo, quo potest; quod in necessitate judicatur sufficiens. Cur ergo confessio eodem modo notificata in simili necessitate non sufficiet? aut cur non erit vera confessio, etiamsi illo modo applicetur? Aut quæ est ratio necessitatis confessionis sacramentalis, nisi ut per illam notificetur conscientia pœnitentis sacerdoti, quoad illa duo, scilicet quoad indigentiam seu capacitatem absolutionis ex parte culpæ commissæ : et quoad debitam dispositionem ex parte doloris de culpa commissa? Si ergo de essentia hujus sacramenti non est ut sacerdos comparet hanc notitiam immediate ab ipso reo, sed potest illam medio interprete aut testibus obtinere : cur dicitur esse de essentia confessionis, ut per se et immediate fiat a pœnitente in præsentia sacerdotis? Vel cur nomine signorum contritionis conceditur, non obstare absentiam sacerdotis, ut signa sufficiant, et non idem admittitur sub nomine confessionis? Est profecto aperta tergiversatio in verbis et contradictio.

Refelluntur quinto iidem adversarii ex prima parte epistolæ Leonis.

11 Addo etiam hoc repugnare apertis verbis ejusdem Leonis : non enim minus exigit confessionem sub nomine et ratione confessionis, quam sub nomine signorum et petitionis pœnitentiæ, imo indifferenter his verbis utitur, et confessionem ut necessariam semper supponit ante absolutionem. Nam in prima parte epistolæ, ubi institutionem sacramenti declarat, tamquam suæ doctrinæ fundamentum, dicit Christum Dominum fidelibus suis hanc pœnitentiæ medicinam providisse : *Ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes*, necessitatem confessionis declarans sub definitione potius quam sub nomine confessionis, ut Glossa et doctores notant, estque ex verbis ipsis evidens. Quomodo autem per illud medium ad remissionem criminum perveniatur, subjungit dicens : *Sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum* (id est absolutione, ut supra declaratum est) *nequeat obtineri.* Ut ergo hic modus remissionis et indulgentiæ possit per sacerdotem obtineri, institutum dicit esse, ut prius peccatores proprio se judicio condemnent. Quia clavium potestas non aliter data est sacerdotibus, ut statim expresso nomine confessionis declarat dicens : *Christus Jesus hanc ecclesiæ præpositis tradidit potestatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent* etc.; non est ergo in ecclesia potestas ad dandam sacramentalem pœnitentiam, nisi confitentibus : supponit ergo confessionem ut necessariam ante absolutionem.

Item ex 2 et 3 parte ejusdem epistolæ.

12 Quod in secunda parte epistolæ aperte confirmat dum fideles monet, *ne se ad illas*

temporis angustias redigant, quo vix habeat locum vel confessio pœnitentis vel reconciliatio sacerdotis. Nam quia æqualis necessitatis est utraque pars, et quia absolutio locum habere non potest, nisi ubi locum habet confessio, æqualis periculi censuit esse, ad eas se angustias temporis redigere, in quo vel confessio vel absolutio locum non habeant. Et in III parte epistolæ, cum ait debere pœnitentem, licet loqui non possit, *per indicia integri sensus petitionem suam ostendere :* quid aliud per illa signa vel indicia quam confessionem sacramentalem declarat, de qua in reliquis partibus loquutus fuerat? Ergo omnino est menti sancti Leonis contrarium, vel essentialem necessitatem confessionis negare ante absolutionem, vel aliud intelligere per indicia vel signa cum petitione sacramentalis pœnitentiæ, quam confessionem, vel majorem necessitatem in signis, quam in confessione agnoscere.

Accedit concors gravium doctorum sententia D. Thomæ, Alensis etc.

13 Huc accedit concors catholicorum et gravium doctorum sententia. Theologi enim omnes in 4 dist. 14, 16, 17 et 18, pro certo habent confessionem esse de necessitate simpliciter sacramenti pœnitentiæ. Unde D. Thomas dist. 17, quæst. 3, art. 3, q. 4, dicit in hoc sacramento actum accedentis ad sacramentum esse de substantia sacramenti; quem actum præcipue esse confessionem explicat ibidem, et art. 4, q. 3 in corpore, et ad argumenta. Item quodlib. I, art. 10, expresse dicit confessionem esse de substantia, et necessitate sacramenti pœnitentiæ, non minus quam sit ablutio de necessitate baptismi, et ideo in hoc non posse cadere dispensationem. Et 4 contra Gent. cap. 72 ex natura judicii colligit necessitatem confessionis ad hoc sacramentum conficiendum. Eodem modo necessitatem confessionis ad absolutionem colligunt ex natura judicii Alexand. Alens. IV part., quæst. 18, alias 60; Scot. in 4, dist. 14, quæst. 4; et ibi Durand. quæst. 3; Gabr. et Major dist. 16, quæst. 2; et alii communiter.

Item Andreæ de Vega, Bellarm. Victoriæ.

14 Et quamvis quoad modum loquendi aliqui nolint vocare confessionem partem sacramenti; in hoc tamen tamquam in re certa et ad fidem pertinente conveniunt, scilicet sine confessione non posse dari absolutionem, nec hoc sacramentum confici. In quo sensu certissimum apud omnes est confessionem esse de essentia hujus sacramenti, ut bene notavit Andrea Vega, lib. XIII in Tridentinum cap. 15; ubi ipse ex propria sententia ait efficaciam quidem sacramenti esse in sola forma, tamen ad essentiam ejus requiri confessionem et absolutionem; idemque notavit Bellarminus lib. I de pœnitentia, cap. 15, ubi etiam advertit doctores catholicos, qui aliter loquuti sunt, non vocando confessionem partem essentialem, scripsisse ante concilia Florentinum et Tridentinum in quibus doctrina hujus sacramenti magis explicata est. *Quodsi hoc tempore* (inquit) *scripsissent sine dubio conciliorum definitioni ac sententiæ acquievissent.* Unde Franciscus Victoria in Summa de sacramentis, quæst. 82, proponens in terminis quæstionem : *An sacerdos possit sacramentaliter absolvere pœnitentem, cujus confessionem non audivit; respondetur*, ait, *negative.* Et subdit : *Ita firma fide tenendum est, quoniam sic definitum est in concilio Tridentio can. 9, his verbis : Si quis dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit, anathema sit.*

Idem deducitur plane ex auctoribus de casu, quem tractamus.

15 Præterea auctores qui disputant an in illo casu absolvendus sit sacramentaliter ægrotus, necne, sive negent, sive affirment esse sacramentaliter absolvendum, in hac catholica veritate de necessitate confessionis sacramentalis conveniunt. Nam qui negant esse absolvendum, in hoc solum fundantur, quod sacramentalis confessio ibi non præcesserit, sive quia materia generalis, sive quia testimonium circumstantium non sufficit ad veram sacramentalem confessionem. Sicque procedunt Abulensis, Soto, Cano, Ledesma et Navarrus. At e converso, qui absolvendum illum putant (unum excipio Fabium qui ineptam quamdam limitationem posuit) contrario nituntur fundamento; nimirum ibi intervenire sufficientem confessionem sacramentalem, quam etiam cognovit Navarrus, quando materia est specialis, etiamsi in absentia sacerdotis significata exterius sit, et ideo tunc etiam admittit absolutionem sacramentalem. Est ergo hic communis consensus doctorum, ac proinde omnino certus : nec enim unius vel alterius lapsus certitudinem minuit, præsertim cum ille Fabius sine fundamento vel doctrinæ soliditate loquatur.

Nec contradicunt Ruardus et Corduba, nisi sibi ipsis

16 Ruardus vero et Corduba veritati huic non contradicunt, nisi sibi ipsis contrarii sint. Cum enim dicunt in eo casu

ontradicant.

dari absolutionem non præmissa confessione, plane intelligunt de confessione peccatorum in speciali, de qua erat controversia inter doctores catholicos hac de re disputantes. At vero licet hoc admittatur, nihilominus supposita eorum sententia, quod in eo casu danda sit absolutio sacramentalis, fatendum est confessionem generatim factam posse esse sacramentalem, et hujusmodi esse in illo casu : ac proinde confessionem sacramentalem latius patere quam confessionem peccatorum in specie. Qui sensus eorum verbis comprobari potest. Ruardus enim ita opinionem quam refert declarat : *Nam sicut ab oblitis sacramentaliter absolvi possumus, licet in specie ea non confiteamur, ita putant, quod ab omnibus peccatis, nullius facta confessione, absolvi possumus.* Ita ergo intelligunt ibi non intervenire confessionem ullius peccati, scilicet in particulari, sed solum sub generali ratione dolendi et se accusandi de peccatis. Unde paulo superius quod dixerat, *sine prævia confessione*, statim exponit dicens: *Quando morbus præoccupat et confessionem ad votum pœnitentis excludit;* non ergo confessionem omnino, sed ad votum pœnitentis, idest, qualem ille desiderat, nempe integram, et specificam excludit. Corduba item, postquam dixerat interdum absolvi posse, qui confiteri non potest, immediate subjungit: *Materia hujus sacramenti est pœnitens, subditus, confitens quomodo potest :* ergo sentit confessionem esse de necessitate hujus materiæ; nam sine hac non posset esse *subditus, confessus*. Et hic loquendi modus, quo subditus confessus dicitur esse materia hujus sacramenti, est D. Thomæ Opusc. 22, cap. 4, et nonnullorum scholasticorum antiquorum. Explicando autem illam particulam *quomodo potest*, addit idem Corduba, *vel specialiter per verba*, si potest, vel *per signa et nutus*, aut per scriptum quomodocumque potest, saltem generaliter si non aliter potest. Igitur confessio aliquo ex his modis facta, juxta necessitatem et possibilitatem pœnitentis, vera confessio est, hujus auctoris sententia, et necessaria, ut possit dari absolutio. Quod ergo dixerat Corduba posse absolvi hominem, qui non potest confiteri, necessario intelligendum est de speciali et distincta confessione peccatorum; loquendo ergo simpliciter de confessione, in tota sua generalitate conveniunt catholici doctores, necessario debere præcedere, ut absolutio sacramentalis dari possit.

17 Rationes denique hujus veri dogmatis ex dictis circa testimonium concilii Tridentini et Leonis manifestæ sunt. Fundamentalis est illa quæ sumitur ex verbis Christi: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt,* intellectis juxta ecclesiæ traditionem et conciliorum sensum. Nam per illa verba constituti sunt sacerdotes judices peccatorum et conscientiarum hominum, ut juxta dispositiones eorum possent illos solvere vel ligare. Quod judicium sine prævia confessione fieri non potest, quia nullus judex sententiam profert de sibi occultis, nec format judicium sine prævia accusatione, quæ in voluntario judicio debet esse voluntaria, et hæc est confessio. Quam totam ratiocinandi formam post antiquam traditionem sua auctoritate probavit concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 3. Ex illa autem manifeste constat absolutionem judiciariam, qualis est sacramentalis, essentialiter supponere accusationem voluntariam et sacramentalem. Quæ accusatio non potest non esse confessio, quia necessario debet esse sensibilis significatio propriæ culpæ et conscientiæ, submittendo se huic foro et hoc ipsum est confessio, ut satis ostensum est.

Rationes quod confessio sit de essentia sacramenti pœnitentiæ unde petantur.

Fundamentalis ratio ex verbis Christi.

18 Unde tandem evidenter concluditur in nostro particulari casu, de quo agimus, intercedere confessionem sacramentalem, in quam cadat absolutio. Nam in eo casu pœnitens per signa sensibilia sufficientia se subjicit clavibus ecclesiæ et judicio sacerdotis, et de suis peccatis cum animi dolore se accusat, prout potest, et absolvi petit : ergo vere confitetur non solum voto, sed etiam re ipsa. Antecedens patet ex facto ipso; nam qui petit confessionem præbens signa pœnitentiæ, et sacerdotem accessit, qui se absolvat, eo ipso (ut supra ex Tertulliano retuli) se fatetur peccatorem, seque subjicit judicio, et clavibus ecclesiæ, et in actu exercito (ut sic dicam) accusat se ipsum. Consequentia vero probatur, quia de ratione confessionis sacramentalis solum est, quod sit sensibilis, et dolorosa accusatio peccatorum, facta in foro pœnitentiæ juxta capacitatem, seu possibilitatem pœnitentis.

In casu, in quo disputamus, datur sacramentalis confessio.

19 Et explicatur amplius; nam ex duplici

Id explicatur ulterius.

capite potest illa non censeri confessio. Primum est, quia non fit de peccatis in specie, sed generatim tantum. Secundum est, quia sensibile signum, quo manifestatur conscientia non fit immediate a pœnitente coram sacerdote, sed coram aliis, qui postea sacerdoti testimonium perhibent. Primum caput (ut dixi) non pertinet ad præsentem causam, quia in casu illo, de quo agimus, posset ægrotus conscientiam suam in specie manifestare. Et præterea probabilius est illam materiam remotam in casu satis esse ad confessionem sacramentalem, ut supra etiam ostensum est. Secundum autem caput est, de quo est controversia, et ex dicendis constabit nihil obstare.

Urgentur amplius qui negant dari sacramentalem confessionem in dicto casu.

20 Tandem si ibi non intervenit sacramentalis confessio, interrogo, an ibi fiat verum sacramentum novæ legis, necne. Si enim est sacramentum verum et proprium, debet esse unum ex septem, quia non sunt plura secundum fidem. Quodsi est unum illorum, oportet ut sit sacramentum pœnitentiæ, tum quia nullum ex aliis est, ut per se est notum; tum quia nullum aliud est per se remedium ad tollenda peccata post baptismum commissa. At sacramentum pœnitentiæ esse non potest, quia illud est unicum in specie, ut constat ex conciliis Florentino et Tridentino, unde constare debet ex eisdem partibus essentialibus : quia variata parte essentiali variatur tota essentia rei. Unde distinguendum est duplex sacramentum pœnitentiæ : unum constans ex confessione et absolutione; aliud quod sit absolutio sine confessione, sive sit sola, sive simul cum signis contritionis. Quodsi dicatur hoc non variare essentiam sacramenti, quia non variat formam; contra hoc in primis est, quia sufficit ut varietur vel desit essentialis materia; deinde quod necesse est, ut saltem formaliter et in sensu varietur forma : quia in uno erit forma indicativa, et in alio esse non poterit sententia, quia accusationem non supponit. Quodsi tandem dicatur, illud non esse sacramentum integrum, sed solam formam : inauditum profecto est, posse formam alicujus sacramenti valide et cum fructu proferri absque materia. Et præterea inde sequitur posse sacerdotem absolvere eum, qui proxime nulla signa pœnitentiæ dedit, si alias probabiliter putat illum esse contritum; quod absurdissimum est.

21 Ad auctores satis responsum est, atque etiam ad rationem. Non enim dicimus desiderium confessionis esse confessionem, sed manifestationem hujus desiderii cum petitione absolutionis et signis pœnitentiæ et subjectionis ad claves. Unde in illo actu externo aliqua realis et sensibilis confessio fit in actu exercito, quia pœnitens ille aliud desiderat, et aliud facit; desiderat enim omnia sua peccata coram sacerdote in specie aperire; facit autem confessionem quomodo potest, se accusando peccatorum et clavibus subjiciendo; ideoque illa confessio etiam est formaliter integra, licet non sit materialiter, quia per illam se pœnitens manifestat, quantum potest, et quomodo potest : unde in eo, quod significat, virtute continentur omnia, quæ non dicit, ut concilium Tridentinum docuit. Quod autem dicitur de determinata persona confessoris, nullius momenti est, tum quia potest ægrotus ille postulare determinatum sacerdotem, ut parochum suum vel Petrum : tum quia licet non petat individuum determinatum, petit vage eum, qui primo venire potuerit, et ad illum dirigit intentionem suam. Ad reliqua vero jam responsum est, dari notitiam confessori de conscientia pœnitentis habentis materiam absolutionis. Et quamvis fortasse confessor non agnoscat de illo pœnitente peccatum aliquod in specie, sed tantum in genere esse peccatorem, et confuse quod aliqua specialia peccata commiserit, quod ipsum sine tali confessione scire aut præsumere poterat, quia omnes sumus peccatores : nihilominus hoc ipsum scit alio modo, nimirum in sacramentali foro, et cum subjectione ad claves ecclesiæ, et cum ostensione pœnitentiæ; et hæc notitia satis est in casu ad sacramentalem confessionem. Cætera de absentia jam fere dicta sunt, et in sequentibus capitulis iterum attingentur.

Ad rationem adversariorum num. 2 allatam.

Ad cætera adducta in num. 3.

CAPUT III.

Confessionem in casu de ægroto exhibente signa ante adventum sacerdotis factam non esse in præsentia confessoris. Excluditurque tertius modus conciliandi hæc decreta.

1 Alia nova ratio expediendi difficulta-

ertius modus onciliandi dios pontifices roponitur.

tem propositam, et dicta decreta conciliandi, præcedenti extreme contraria, fuit quorumdam, qui dixerunt in eo casu, in quo Leo præcipit absolvi ægrotum, fieri confessionem sacramentalem non in absentia, sed in præsentia sacerdotis. Quod solum est noviter inventum ad salvandum decretum Clementis, ne in aliquo casu exceptionem pati videatur, saltem quoad confessionem : quia non minus hoc videtur ejus verbis repugnare, quam exceptionem aliquam quoad absolutionem admittere.

Declaratur a suis auctoribus.

Quod autem illa confessio sit in præsentia, declarant, quia quando illi, qui ægroti signa viderunt et petitionem audierunt, dant testimonium sacerdoti, jam sacerdos est præsens pœnitenti, et pœnitens sacerdoti : ergo illa confessio tunc fit in præsentia. Antecedens patet ex verbis Leonis : *Testimonium circumstantium prodesse debebit* etc.; nam circumstantes non dicuntur, nisi qui præsentes adsunt pœnitenti, quos necessarium est etiam esse præsentes sacerdoti, cum illi testimonium reddere debeant : ergo illi præbent testimonium in præsentia ægroti et sacerdotis : est ergo illa confessio in præsentia sacerdotis, quia licet ægrotus per se non loquatur, nec det signum coram sacerdote, alii vice illius loquuntur in sua præsentia; et ita confitetur tunc ægrotus per testes illos coram sacerdote.

Confirmatur exemplo confessionis per interpretem.

Sicut quando aliquis confitetur per interpretem, vere confitetur in præsenta sacerdotis, etiamsi ipse non loquatur tunc, nec det aliquod signum sacerdoti, sed tantum ibi adsit, dum interpres narrat, quæ prius ipse dixerat.

Confirmatur secundo.

Denique in illo casu verum est dicere, pœnitentem illum tamquam reum sisti in hoc tribunali, ut in eo judicetur : sed hoc dicit præsentiam, ut supra dixi : est ergo illa confessio in præsentia.

Hic modus conciliandi valde novus est, et alienus a mente doctorum.

2 Hic dicendi modus valde novus est, et alienus a mente doctorum, qui de illo casu hactenus tractarunt. Supponunt enim illi, qui hoc punctum attigerunt, talem pœnitentem non confiteri in præsentia sacerdotis, ut videre maxime licet in Soto, Navarro, Corduba, Toleto et Valentia. Ex quibus Soto propter absentiam negat ibi intervenire confessionem : alii vero fatentur quidem ibi confessionem non fieri in præsentia sacerdotis, et nihilominus esse veram confessionem sacramentalem, dummodo ex parte materiæ remotæ aliquid sufficiens dicatur, vel significetur; de quo quid necessarium sit, alia controversia est, ut supra dixi. Imo res ipsa per se videtur tam evidens, ut Gregorius de Valentia sine alia probatione dixerit in hoc casu patere aliquam confessionem esse sacramentalem, licet in absentia fiat, supposita vera resolutione Leonis, quod in illo danda est absolutio sacramentalis. Unde non parvam injuriam faciunt sanctissimo D. N. Clementi, qui non putant veritatem decreti ipsius posse consistere, nisi negando communem hominum conceptionem, et vocando confessionem in præsentia eam, quæ nullam veram præsentiam requirit, imo nec eam admittit, ut ex sequentibus evidens fiet.

Duo supponuntur, unum est confessionem sacramentalem esse actum proprium ipsius pœnitentis.

3 Ut ergo hujus sententiæ falsitas ostendatur, duo supponere necesse est : unum quid sit confessio; aliud quid requiratur, et sufficiat ut confessio dicatur fieri a pœnitente in præsentia sacerdotis. Circa primum dicendum est confessionem vere ac substantialiter positam esse in verbis ipsius pœnitentis, vel signis, quibus suam conscientiam ostendit sacerdoti, et ab eo absolutionem petit. Docent enim concilium Florentinum in decreto Eugenii et Tridentinum, sess. 14, cap. 3, *quasi materiam hujus sacramenti esse ipsius pœnitentis actus, contritionem, confessionem, satisfactionem.* Ergo sicut contritio est actus internus pœnitentis, ita confessio est actus externus ejusdem pœnitentis, qui non est alius, nisi accusatio sui, quam facit in hoc foro per sensibilia signa, quæ exhibet : ergo significatio illa, prout ab ipsomet pœnitente fit, est confessio. Unde intelligitur quoties confessio fit per interpretem, internuncium aut testem non esse confessionem narrationem illam, quam facit interpres, nuncius, vel testis, sed per illam deduci ad aures sacerdotis confessionem ipsius pœnitentis.

Narratio interpretis, vel nuntis non est confessio, sed delatio confessionis ad aures sacerdotis.

Probatur primo.

Probatur, quia illa narratio interpretis vel testis non est actus pœnitentis, sed alterius personæ, ergo non est quasi materia hujus sacramenti juxta doctrinam dictorum conciliorum; ergo non est confessio.

Secundo.

Item illa non est accusatio sui, sed alterius, vel applicatio potius accusationis, quam alius de se fecit : confessio autem sacramentalis debet esse accusatio sui.

Tertio.

Item etiam in judicio externo, si per testes probetur reum confessum esse delictum suum in alio loco vel judicio, testimonium illo-

rum non dicitur accusatio rei, sed testificatio accusationis, quam ipse de se ipso fecit : ita ergo est in præsenti : et propter hoc verissime dixerunt Cajet., Soto, Cano, Ledesma et alii confessionem esse actionem personalem ipsiusmet pœnitentis, quia debet immediate ab ipso elici seu exhiberi et hoc est illi essentiale, sive immediate sive per tertiam personam ad aures confessoris perveniat. Unde etiam in foro externo dicunt juristæ confessionem esse actionem personalem, quia quidquid per alium affirmetur, erit testificatio, non confessio.

Objectio.

4 Dices : confessio est exhibitio illius signi, per quod pœnitens significat sacerdoti conscientiam suam, et voluntatem se illi subjiciendi; sed in illo casu pœnitens non significat hoc sacerdoti per solum actum suum, sed propinquius per actum interpretis vel testium : ergo confessio illa proxime fit per actum testium, vel interpretis. Respondetur in primis, necessarium esse ut ibi interveniat proprius actus pœnitentis loquentis vel exhibentis signa, et in illo consistere substantiam illius confessionis, ut probatum est; quia quod postea facit tertia persona, vere non exhibetur a pœnitente, et ita non est exhibitio signorum ipsius pœnitentis, sed delatio vel applicatio illorum. Unde ulterius dicitur quod pœnitens in eo casu significat suam conscientiam confessori per interpositam personam, tamquam per testem suæ confessionis, non tamquam per eum, qui confessionem facit, et ita confessio non fit proxime per tertium, sed per illum proxime defertur, seu applicatur sacerdoti : et in hoc solo sensu verum est pœnitentem confiteri tunc per interpositam personam, scilicet tamquam per testem suæ confessionis.

Respondetur primo.

Respondetur ulterius.

Alterum supponitur est, quid requiratur et sufficiat, ut confessio dicatur fieri in præsentia.

5 Circa aliud punctum certum in primis est ad confessionem in præsentia non satis esse, quod internuncius vel testis prius audierit a pœnitente sibi præsente confessionem, et postea in præsentia sacerdotis loquatur : alias confessio facta per nuncium missum ad sacerdotem loco distantem a pœnitente, diceretur facta in præsentia : quia ille nuncius audivit prius pœnitentem præsentem sibi, et postea loquitur in præsentia sacerdotis. Id autem ridiculum est, et frivolam reddit totam controversiam, et decisionem nostri decreti Clementis VIII. Cum ergo hic præsentia postulatur, agitur de reali, et corporali præsentia inter sacerdotem et pœnitentem; et ut confessio dicatur fieri a pœnitente in præsentia sacerdotis, necesse est, ut inter illos, dum sibi sunt realiter præsentes, transigatur confessio. Ad hanc autem præsentiam, prout ad confessionem necessaria est, duo requiruntur : unum est corporalis propinquitas, quæ de se sufficiat ut sacerdos possit audire vel videre, aut aliquo sensu percipere signa pœnitentis : propter hunc enim effectum requiritur præsentia : nec potest certior regula tradi ad præscribendam illam; aliud est, ut hæc præsentia sit non solum materialis (ut sic dicam) seu corporalis, sed etiam sit rationalis et moralis. Probatur, quia confiteri est actus mentis et rationis imperantis, quia est locutio humana, nomen locutionis extendendo ad illam, quæ fit, vel per verba, vel per quælibet signa; quo sensu dicta est hæc *oris confessio*. Qui autem ratione uti non potest, non potest actionem humanam exercere, nedum locutionem humanam : ergo pro tunc confiteri non potest, ergo multo minus poterit in præsentia sacerdotis confiteri, quamtumvis illi corporaliter adsit. Necessaria igitur est non solum præsentia physica corporum, sed moralis etiam animorum.

Ad præsentiam prædictam non solum requiritur materialis præsentia, sed etiam moralis.

6 Dices non minus requiritur præsentia, ut pœnitens absolvatur, quam ut confiteatur; sed ut vere dicatur in præsentia absolvi, non est necessaria præsentia moralis ejus, sed corporalis sufficit; quia etiamsi sit amens, vel furiosus, absolvi potest, ut canones citati definiunt, et nos in tota hac disputatione supponimus : ergo hæc etiam præsentia sufficiet ad confessionem. Respondeo esse magnam disimilitudinem inter confessionem et absolutionem ad pœnitentem comparatas : nam respectu confessionis se habet pœnitens active actione rationali et morali; ad absolutionem autem non necessario ita comparatur, sed mere passive, imo extrinsece tamquam materia, circa quam absolutio versatur. Hinc ergo est, ut ab absolutionem non requiratur præsentia rationalis ex parte pœnitentis, sed solum ex parte ministri, qui effecturus est illam actionem. Corporalis autem præsentia pœnitentis necessaria est, non propter actum moralem, quem pœnitens tunc exercere debeat; nam satis est quod antea exercuerit; sed propter significationem ver-

Objectio contra moralem præsentiam.

Diluitur ex discrimine inter confessionem et absolutionem comparate ad pœnitentiam.

borum formæ, ut supra declaratum est. Ad confessionem vero, ut dicatur fieri a pœnitente in præsentia sacerdotis, necesse est, ut pœnitens ratione uti possit et sensu tempore corporalis præsentiæ : quia in ordine ad actus humanos amens tamquam absens reputatur, ut etiam juristæ dicunt. Quod optime declaratur exemplo matrimonii, supposita quadam declaratione cardinalium congregationis concilii Tridentini. Cum enim concil. sess. 24 postulet præsentiam parochi ad valorem matrimonii, declararunt patres illius congregationis, et merito, sacerdotem corporaliter præsentem, animo vero prorsus absentem, quia vel dormit, vel ebrius est, vel sensibus non utitur, vel omnino aliud agit, ita ut non percipiat quid alii faciant, non esse præsentem, quia præsentia illa postulatur, quæ ad moralem actum, idest ad moralem fidem seu testimonium sufficiat. Ita ergo in præsenti dicendum est.

Declaratur exemplo matrimonii.

7 Atque hinc colligitur differentia inter confessionem, quam facit aliquis ratione utens per interpretem, et illam, de qua præbent circumstantes testimonium in corporali præsentia ægroti, jam carentis sensu et usu rationis. Nam in priori habet pœnitens præsentiam corporalem, et moralem, seu rationalem, in posteriori solum corporalem : et ideo prior recte dici potest fieri in præsentia, non autem posterior. Dices licet in priori confessione pœnitens sit realiter et moraliter præsens interpreti, cui loquitur, ut intelligenti, tamen sacerdoti non potest dici moraliter præsens, sed tantum corporaliter; quia illi loqui non potest, ut intelligenti : unde quoad hoc perinde se habet respectu illius, ac si esset absens. Nam quando interpres loquitur sacerdoti, jam ipse non intelligit loquentem, et ita præsentia ejus tunc est mere corporalis. Respondeo si præcise consideretur præsentia, in ordine ad perceptionem per sensum auditus, ita re vera est; tamen quia per illa signa visibilia potest ille pœnitens ostendere sacerdoti pœnitentiæ dolorem et subjectionem suam ad claves, et quod vere se accuset per interpretem, ideo non est omnino illa confessio in absentia. Dices nec sacerdos, nec pœnitens intelligunt, an interpres vere narret eadem, quæ pœnitens illi dixit : ergo quoad confessionem saltem ut est de talibus peccatis in specie formaliter loquendo, re vera illa confessio est inter absentes; quia in sola relatione alterius fundatur, quæ de se perinde se habet ad præsentem corporaliter, sicut ad absentem. Ad hoc vero eodem modo respondendum est quoad hanc partem ita esse re vera; tamen quia quoad multa alia essentialia confessioni multum confert illa moralis præsentia, ideo simpliciter illa confessio est in præsentia.

Confessio per interpretem est in præsentia reali ut morali.

Confessio ægroti carentis sensu facta per testes, est tantum realis.

Instatur contra nunc dicta.

Respondetur.

Instatur rursus.

Satisfit.

8 Urgeri tamen potest casus, in quo sacerdos non solum ignoret idioma pœnitentis, sed etiam cæcus sit, tunc enim nulla signa pœnitentis videre potest : ergo formaliter omnino est absens : quia per nullum sensum potest præcipere immediate quid agat pœnitens, sed solum ex relatione interpretis, quam posset dare etiam absenti. Ut in exemplo matrimonii supra posito, sacerdos cæcus, et non intelligens idioma contrahentium, non posset juxta concilium Tridentinum sufficere ad valorem matrimonii, etiamsi esset præsens corporaliter, quia moraliter non esset præsens. Ergo idem est in præsenti concedendum. Quod sane ita videtur, nisi addatur per sensum tactus posse aliquo modo sacerdotem illum certum reddi, tum de præsentia, et vita pœnitentis, tum etiam aliquo modo de dispositione, et voluntate ejus, ut si ab eo petat v. g. ut manum stringat in signum suæ pœnitentiæ, et ratificationis omnium, quæ interpres narrat. Quamvis enim necessarium esset hoc ipsum signum postulare per interpretem, tamen ipsa signi exhibitio multum confirmaret animum sacerdotis, ut ab ipsomet pœnitente præsente aliquo modo notitiam acciperet. At si per nullum sensum possit unus ab alio notitiam aliquam accipere, et alter alteri dare, profecto illa non est præsentia, quantumvis corpora inter se propinqua esse videantur.

Instatur tertio.

Quid respondendum.

9 Ex his ergo evidenter concluditur, in casu illo de quo agimus, ægrotum illum pœnitentem non facere confessionem in præsentia, sed in absentia sacerdotis. Probatur primo quia confessio est actus proprius ac personalis pœnitentis, sed pœnitens ille nullum actum facit in præsentia sacerdotis : ergo non confitetur in præsentia ejus, ergo in absentia. Consequentiæ per se notæ sunt. Major item probata est. Minor ex casu supponitur; pertinet enim ad factum. Idque expresse docuit Leo papa in dict. epist. cum ait : *Quodsi aliqua ri*

Concluditur intentum, confessionem de qua agitur esse in absentia.

Probatur primo.

ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, in præsentia sacerdotis significare non valeant. Ubi attente expendendum est verbum *significare*, nam optime explicat essentialem partem sacramenti. Est enim sacramentum signum sensibile, et materia ejus essentialis debet etiam aliquo modo rationem talis signi participare et sensibiliter significare. Si ergo Leo papa dicit, et supponit ægrotum in eo casu nihil posse significare in præsentia sacerdotis, clare supponit non posse confiteri in præsentia ejus : quia confiteri nihil aliud est, quam per signa sensibilia ostendere propriam conscientiam sacerdoti. Si ergo hæc significatio non fit in præsentia ejus, nec confessio fit in præsentia. Expendo etiam illam particulam : *Quod paulo ante poscebat*; nam tota hæc confessio in hac postulatione, cum significatione doloris posita est; at ægrotus in eo casu non postulat in præsentia sacerdotis, *sed paulo antea poscebat*, utique in absentia quando sacerdos nondum venerat : ergo plane profitetur Leo se loqui in eo casu, in quo nulla confessio fit in præsentia sacerdotis. Ad idem fere sunt expressa verba in dicto cap. *Qui recedunt* ex concilio Arausicano. *Subito obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Duas enim partes sub disjunctione ponit, et utramque sufficientem putat ad hoc sacramentum conficiendum. Una est quando ægrotus nutu suo ostendit sacerdoti præsenti suam voluntatem, quam tunc habet, quando illam ostendit. Alia est, quando voluntas et significatio ejus præcessit, antequam sacerdos adesset. Ergo distinguit concilium hos duos modos ex præsentia et absentia : nam id, quod præcessit non est factum in præsentia sacerdotis, sed postea notificatur ei per testimonia circumstantium.

Probatur secundo.

10 Secundo probatur idem ex dictis, quia etsi circumstantes dent testimonium in præsentia sacerdotis et infirmi simul, tamen, quoad rem moralem pertinet illa circumstantium relatio, jam fit in absentia pœnitentis; quia amens vel insensatus pro absente reputatur, ut ostensum est. Unde in hac materia, et in omni casu, in quo pœnitens dedit relationem suæ conscientiæ sacerdoti absenti per literas, vel nuncium, vel per aliorum testimonium, ut ad suam præsentiam veniat ad se absolvendum, valde considerandum est, an eo tempore, quando sacerdos venit, pœnitens sit compos sui, et potest per sese percipere verba, vel signa confessoris, et illa præstare, vel an sensum et rationem jam amisit. Nam in priori casu, licet videatur confessio in absentia inchoata, tandem vero in præsentia consummatur, et consummanda est, imo in virtute iteranda. Quia necesse est, ut pœnitens ratum habeat, quidquid antea suo nomine dictum fuerat sacerdoti : quod uno verbo vel signo facere potest, ut si interrogetur a sacerdote, an illa sit confessio ejus et annuat. Imo eo ipso quod videns et intelligens det signum subjiciendi se clavibus, et expectandi absolutionem ratificat confessionem. Quapropter de tali confessione vere dicitur esse in præsentia : nos tamen nunc de illa non disputamus; talis enim confessio non solum in casu extremæ necessitatis, sed etiam in aliis potest esse licita et sufficiens, ut infra dicam : quia per illam non fit exceptio a decreto Clementis, nec per sese habet aliam malitiam. At posterior casus est, de quo agimus : et in illo quamtumvis circumstantes dent testimonium in corporali præsentia sacerdotis et pœnitentis inter se moraliter propinquorum, non potest dici confessio in præsentia facta : tum quia relatio testium non est confessio, ut supra dixi, tum etiam quia ibi jam non est præsens ægrotus quoad actum confitendi, ut etiam probatum est.

Quæ confessio relata per ter-tiam personam dicatur tamen in præsentia fieri.

Quæ dicatur fieri in absentia.

11 Tertio probatur, quia etiam hæc materialis et corporalis præsentia necessaria non est. Contingere enim potest casus, in quo circumstantes dent testimonium sacerdoti loco distanti ab ægroto, et quod postea sacerdos veniens ad ægrotum, eumque vivum et solum inveniens, ipsum absolvat, quamvis nullum ab illo signum obtineat, nec aliqua alia persona ibi adsit, quæ novum signum in præsentia tribuat : tunc enim nullum vestigium confessionis in præsentia sacerdotis factæ fingi potest. Hoc autem posset contingere, si viator in itinere inveniat vulneratum hominem agentem animam, et ab eo intelligat desiderium absolutionis, et signa pœnitentiæ videat, ac petitionem confessionis audiat, et statim viator ad vicinum oppidum adeat, sacerdotemque instruat, et ad pœnitentem mittat, cum illo autem non redeat; tunc enim sacerdos veniens habebit præsentem cor-

Probatur tertio exemplis propositis.

1 Exemplum.

poraliter ægrotum, et de vita ejus poterit certus præsentialiter fieri; tamen si absque sensu et ratione ægrotum inveniat, nullum signum in præsentia ejus habebit, nec immediate ab illo, nec per alium. Idemque accidere posset, si infirmus laboraret peste; et ideo qui semel adfuerunt et viderunt signa pœnitentiæ, et de illis dant testimonium sacerdoti, cum illo redire nolint. Quod autem in simili casu absolutio danda sit, probatur primo, quia tunc servantur omnia, quæ canones requirunt. Nam Leo requirit *testimonium circumstantium* : tunc autem circumstantes dant testimonium. Neque enim dicit Leo, ut cum dant testimonium, circumstent infirmo, sed solum ut circumstantes sint vel fuerint, quando ægrotus ostendit mentem suam, hoc enim ad rem spectat, aliud ex se impertinens est. Unde concilium Carthaginense dict. cap. *Is qui* solum dixit : *Dent testimonium, qui eum audierunt.* Quod in dicto casu fit ut supponimus. Et Arausicanum concilium dixit : *Si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet.* Non vero dixerunt hæc concilia, quod testes necessario debeant sua verba proferre in corporali præsentia ægroti. Secundo id patet in baptismo; nam in simili casu testimonium datum in absentia satis esset ad baptismum ministrandum, ut per se notum est : at in hoc æquiparatur pœnitentia baptismo in dictis canonibus. Tertio est ratio evidens, quia illa corporalis præsentia hominis jam insensati nihil refert ad fidem testium confirmandam; est ergo prorsus impertinens. Non est ergo dubium, quin talis confessio, tam ut procedit immediate ab ipso pœnitente, quam ut refertur a circumstantibus fieri possit in absentia sacerdotis non solum formaliter, sed etiam materialiter, ut satis probatum est.

Exemplum.

1 dictis exemlis confessionis 1 absentia danam esse absoltionem in ræsentia proatur primo.

Probatur secundo.

Probatur tertio.

12 Ratio vero dubitandi in principio insinuata nullius momenti est, et ex dictis est satis expedita. Quia nec necessarium est, ut circumstantes dent testimonium in corporali præsentia ægroti, ut probatum est, nec si ita fiat, illa est præsentia moralis, quando pœnitens nihil percipit : quæ moralis præsentia pœnitentis necessaria est ad confessionem in præsentia, ut dixi. Et in hoc est aliqua dissimilitudo inter confessionem per interpretem, et hanc de qua agimus, ut satis etiam declaratum est. Fateor tamen in nostro casu verificari quod concilium ait, peccatorem ante hoc tribunal sisti tamquam reum, ut a suis peccatis absolvatur : nec enim necesse est tamquam de essentia sacramenti, ut illa præsentia, quam verbum *sisti* indicare dicitur, sit ante confessionem, ut secundum illam confessio fiat; sed satis est, ut ad ferendum judicium et ministrandum sacramentum antecedat. Unde concilium expresse dixit : *Voluit tamquam reum sisti ante hoc tribunal ut remissionem accipiat.* Ideoque ad hoc non semper requiritur præsentia moralis seu rationalis, sed corporalis sufficere potest, quia illa satis est ad veritatem formæ, ut dixi, atque etiam sufficit ut sacerdos per se certus fiat de capacitate ac necessitate pœnitentis.

Ad ea, quæ n. 1 allata sunt ab adversariis.

13 Potest vero aliquis adhuc pro voce illa contendere, ut confessio illa dicatur in præsentia, non in absentia, saltem secundum quamdam æstimationem et moralitatem; ut saltem hoc modo possit sine exceptione comprehendi sub decreto Clementis VIII. Duo vero in ea confessione considerari possunt, ut in præsentia esse dicatur, unum quod ab infirmo fit sub intentione præsentiæ, idest, ut si possit, eam in præsentia sacerdotis ratam habeat : aliud, quod non consummatur, donec sacerdos veniens in præsentia infirmi diligentiam adhibet et satisfactionem accipit, quod non possit majorem notitiam obtinere. Hæc ergo satis erunt, ut illa dicatur confessio in præsentia.

Urgent adhuc auctores confessionem, de qua agitur, dicendam fieri in præsentia.

14 At enim neque hæc consideratio sufficiens est, et ad res morales non solum est inutilis, sed etiam potest esse nociva. Probo singula : quia in primis intentio confitendi in præsentia, si non pervenit ad effectum, ita ut ex vi illius exterior confessio in re fiat in præsentia, erit quidem desiderium confitendi in præsentia, non tamen vera confessio in præsentia. Sicut intentio confitendi, si in re non haberet aliquem effectum sensibilis significationis, non posset dici confessio, sed votum confessionis, ut supra dictum est. Deinde quod sacerdos in præsentia pœnitentis intelligat se non posse ab ipsomet aliud signum obtinere, non facit confessionem esse in præsentia; nam potius sacerdos videt se non posse elicere ab ægroto confessionem aliquam in præsentia sua : ex quo solum elicit in ea necessitate posse se esse contentum testimonio aliorum. Illa ergo præsentia et diligentia sa-

Hæc eorum ratio sufficiens non est.

cerdotis facit ut absolvere possit, propter solam confessionem in absentia sua factam, et sibi testimonio circumstantium relatam : non vero facit, ut confessio in absentia dicenda sit in præsentia.

Est etiam inutilis et nociva.

13 Denique quod hoc nomen noviter inventum, quo talis confessio vocatur in præsentia, inutile sit ad res morales constat, quia non obstante illa appellatione, totum quod fit a pœnitente ad aperiendam suam conscientiam, in absentia sacerdotis fit et sacerdoti solum testimonio aliorum innotescit. Ex quo iidem morales effectus sequentur, sive illa confessio appelletur in absentia, sive in præsentia sacerdotis. Potest autem illa dictio *præsentiæ* esse nociva; quia cum confessio in præsentia sacerdotis per se liceat, si illa confessio dicatur et existimetur esse in præsentia solum propter præsentiam quamdam metaphoricam et interpretativam, daretur occasio eodem modo interpretandi decretum Clementis : quod plane esset illud evertere, totamque illius utilitatem auferre.

CAPUT IV.

Nec Leonis, nec Clementis verba ad generalem vel specialem confessionem limitanda esse exploditurque quarta ratio conciliandi eorum decreta.

Quartus modus conciliandi valorem confessionis in absentia in casu, de quo tractamus, cum decreto Clementis neque in aliquo casu etc.

1 Ex his quæ hactenus disputavimus concluditur manifeste confessionem a pœnitente factam in absentia sacerdotis in aliquo casu esse posse licitam et validam, ut super illam cadere possit sacramentalis absolutio, data a confessore in præsentia pœnitentis. Unde adhuc superest exponendum, quomodo hoc contrarium non sit verbis illis nostri decreti : *Neque in aliquo casu* etc. Dixerunt ergo quidam sanctissimum D. N. Clementem solum fuisse loquutum de confessione ordinaria peccatorum, per quam singula peccata in specie declarantur, ut verba illa indicant : *Peccata sacramentaliter confiteri :* ac proinde de sola hujusmodi confessione decernere in nullo casu posse esse licitam. At in casu approbato a sancto Leone et aliis canonibus, solum esse licitam confessionem in genere factam per signa contritionis, vel per generalia verba, *peccavi, vocetur sacerdos, qui me absolvat* et similia. De hac enim confessione loquuntur dicti canones, qui extendendi non sunt, cum contineant singularem decisionem. Atque ita illa non est exceptio ab universali prohibitione Clementis; quia Clemens non damnat omnem confessionem in absentia, sed specificam : et hæc etiam in illo casu prohibita est. Potestque ratio differentiæ dari, quia confessio specifica in absentia facta, semper est scandalis et inconvenientibus exposita, quæ cessant in confessione generali, et ideo illa sine exceptione prohibetur, hæc vero interdum permittitur.

Non loqui Clementem de confessione generali, sed de speciali, Leonem vero de generali.

Supponit hæc conciliatio quid novum et inauditum.

2 Hæc vero conciliatio supponit doctrinam valde novam et nisi fallor contrariam communi opinioni, non solum theologorum, sed etiam fidelium omnium : ac deinde decreto Leonis non satisfacit et decretum Clementis non bene explicat et occasionem præbet evertendi et eludendi illud. Declaro singula : nam in primis supponit illa responsio, in aliquo casu extremæ necessitatis per se et ex vi juris divini, et institutionis hujus sacramenti, confessionem generalem esse sufficientem materiam et nihilominus confessionem specialem non esse materiam, imo esse prohibitam, etiamsi quoad reliqua cum eisdem circumstantiis fiat. Hoc autem dico esse novum et inauditum, ac per se incredibile. Assumptum constat ex ipsa responsione, in qua dicitur valere sacramentum in casu Leonis cum confessione generali : et nihilominus per decretum Clementis declarari confessionem specialem in eo casu factam esse illicitam et nullam. Quam Clementis declarationem necessarium est fieri ex vi juris divini, quod illud decretum declarat non ex novo jure quod statuat, quia quoad materiam hujus sacramenti nihil de novo statuit, ut in prima parte hujus tractatus visum est.

Probatur esse novum.

3 Quod autem hoc sit novum, patet primo, quia in nullo auctore invenitur. Imo multi negant confessionem generalem in eo casu valere ex solo illo defectu, quod generalis tantum sit. E contrario vero nullus negat confessionem specialem in eo casu esse validam ex illo capite, quod non solum in genere, sed etiam in specie fiat. Unde si absentia non obstat valori confessionis generalis, nullus umquam dixit obstare valori confessionis specialis, si pœnitens possit et velit eam facere.

4 Secundo quod id sit incredibile patet,

Probatur esse incredibile.

quia concilium Tridentinum sess. 14, cap. 5, docet confessionem in genere dumtaxat factam non sufficere ad hoc judicium sacramentale, sed requiri in specie. Quod ad minimum debet intelligi per se, et si fieri possit: ergo contra hanc doctrinam est dicere, in aliquo casu confessionem generalem esse sufficientem materiam, et non specialem, etiam cum in eisdem circumstantiis fieri possit. Nam si generalis valet, solum est propter impotentiam descendendi ad particularia: et ideo requiritur (ut ex doctrina ejusdem concilii Tridentini colligitur) voluntas dicendi reliqua, ut virtute intelligantur comprehendi in his, quæ dicuntur. Ergo est incredibile, ubi confessio generalis sufficit non multo magis valere specialem, si pœnitens possit illam facere.

Probatur non habere fundamentum.

5 Tertio quia nulla ratio firma et solida dari potest, ob quam ex vi juris divini absentia sacerdotis in eo casu non reddat invalidam confessionem generalem et reddat specialem. Nam si non obstante absentia est sufficiens conjunctio vel simultas inter illam materiam et formam, et satis applicatur materia per testimonium aliorum, sufficitque humana fides de accusatione et dispositione pœnitentis ad judicium ferendum, totum hoc æque habet locum in utraque confessione. Quid ergo est, quod generalis valet, quæ alias ex se esset insufficiens, et non specialis, quæ alium defectum non habet præter absentiam? Respondebunt adversarii juxta fundamentum eorum supra insinuatum, confessionem specificam tunc non permitti propter incommoda vel scandala, quæ sequi possunt, quæ tamen cessant in confessione generali.

Fundamentum, quod afferunt adversarii.

Id vero est infirmum.

6 At profecto hoc valde infirmum fundamentum est ad fundandum in eo jus divinum et institutionem sacramenti. Maxime cum hæc incommoda et scandala non sint intrinseca et facile vitari possint. Præterea constat illationem illam invalidam esse; nam etiam potest habere incommodum et scandalum confiteri publice et coram testibus, et tamen nullus dubitat, quin in necessitate fieri possit. Item docent D. Augustinus, D. Thomas et omnes quando quis in extrema necessitate non habet sacerdotem posse confiteri laico narrando in specie omnia peccata sua, non quidem sacramentaliter, sed humilitatis gratia, vel alterius adjutorii: si ergo hoc fieri potest sine incommodo et scandalo, cur non poterit quis simili laico committere talem confessionem, ut eam præsentet sacerdoti, si ante mortem suam venerit? Aut quod majus incommodum vel scandalum inde sequetur? Est ergo illa ratio omnino frivola, ut etiam ex dictis in prima parte hujus operis, cap. 4, manifeste intelligi potest. Quare si absentia non obstat valori confessionis sacramentalis ut sic, non potest obstare valori confessionis specialis.

In casu necessitatis tutius esset confiteri unum peccatum saltem, quam solum generaliter.

7 Imo in tali casu specialis confessio saltem alicujus peccati potius esset consulenda et eligenda, quam generalis. Quia in dubiis tutior pars sequenda est, et dubium quoad fieri possit, est minuendum maxime, ubi intervenit periculum æternæ salutis. In illa autem confessione generali facta sunt duo dubia, quæ in opinione adhuc versantur, unum de generalitate, aliud de absentia: dicendo autem aliquid in particulari coram circumstantibus tollitur saltem altera pars dubii: ergo illud est consultius et securius. Maxime quia si dicatur unum vel aliud leve peccatum, in specie nullum potest timeri incommodum vel scandalum. Et sæpe etiam nullum erit, etiamsi confessio integre fiat, ut dictum est de confessione facta laico. Et alioquin erit humilior et cum majori erubescentia. Ergo dici nullo modo potest confessionem specificam esse prohibitam in illo casu jure divino, cum supponamus generalem non esse prohibitam; ergo nec prohibita est per decretum Clementis, quod in hac parte non condit jus novum, sed declarat id, quod sequitur in institutione et essentia sacramenti, ut supra ostensum est.

Probatur ulterius dictum modum conciliandi non satisfacere decreto Leonis.

8 Ex his vero potest facile ulterius deduci, quod secundo loco supra num. 2 est positum, per illam responsionem non satisfieri decreto Leonis. Quia ipse indifferenter dicit in eo casu dandam esse pœnitentiam cum solis præcedentibus signis et petitione pœnitentis per testimonium circumstantium sacerdoti applicatis; sentitque illam confessionem pro tunc esse sufficientem. Et sicut non declarat illam confessionem debere esse specialem, ita etiam non declarat solum posse esse generalem; sed indifferenter loquitur: ergo ex vi illius decreti etiam confessio specifica admittenda est per testes in illo casu. Probatur consequentia, quia verba canonum indifferentia sunt, et æque comprehendunt utrumque

confessionis modum. Neque enim minus petit pœnitentiam, et se subjicit clavibus et ostendit contritionis signa, qui non contentus generali accusatione etiam specialia peccata deferenda sacerdoti circumstantibus committit : imo evidenter ostendit majorem curam suæ salutis, majoremque dolorem et animi humilitatem ; ergo non solum permittitur talis confessio per illa decreta, sed multo certius esse videtur per illa approbari, et ut acceptetur præcipi. Unde cum objicitur non esse faciendam extensionem singularis decisionis, respondemus primo, si necessaria sit et verbis non repugnet et alioqui decisio sit favorabilis animabus et nulli noceat, potius admittendam esse extensionem, juxta universalia juris principia : omnia autem illa in præsenti casu concurrere manifestum est. Respondemus secundo illam non esse extensionem, sed potius rigorosam canonum intelligentiam : quod si aliqua videri possit extensio, potius illa esset, qua dicitur generalis confessio in eo casu sufficere, ut ex communi sensu omnium theologorum constat.

Probatur denique non bene explicare decretum Clementis primo.

9 Atque hinc tandem facile demonstratur, quod tertio loco supra in eodem num. 2, est positum, decretum Clementis non convenienter exponi et limitari ad confessionem in specie et ordinario modo factam. Primo quia cum decretum simpliciter loquatur de confessione, non expedit addere limitationem veluti coactam et extortam vi difficultatis. Præsertim quia hoc decretum declarat conditionem quamdam simpliciter necessariam ad valorem hujus sacramenti, ac proinde convenientem illi ex vi suæ institutionis et essentiæ, nimirum, quod solum possit confici a ministro in præsentia pœnitentis : ergo non potest limitari ad confessionem generalem, vel specificam, quia proprietates hujusmodi, idest ita intimæ et necessariæ, non conveniunt sacramento ex hac vel illa conditione materiæ, quæ simpliciter essentialis non est, sed ex absoluta ratione et institutione sua.

Secundo.

10 Secundo quia etiam addita illa limitatione non expeditur difficultas, in qua versamur. Quia ostensum est non obstante hoc decreto esse licitam et validam confessionem specificam factam in casu Leonis et relatam per circumstantes sacerdoti postea advenienti, quando infirmus jam non valet aliquo signo proprie illam confirmare. Certum autem est hoc decretum Clementis non prohibere aliquid, quod per decretum Leonis permissum seu approbatum fuerit. Quia nec Leo approbare potuit, nisi quod ex vi divini juris validum erat : nec Clemens reprobat, nisi quod ex vi divini juris est illicitum et invalidum.

Tertio.

11 Tertio (et est valde considerandum) quia per illam limitationem enervatur Clementis decretum, quoad principalem intentionem suam. Nam si in illo non est sermo de omni confessione, sed tantum de specifica : ergo nec erit sermo de omni absolutione, sed de illa tantum, quæ cadit in confessionem specificam, tum quia evidenter loquitur de absolutione cadente in confessionem, quam declarat illicitam, tum etiam quia (ut supponitur in illa responsione) solum loquitur de ordinario ministerio hujus sacramenti. Ergo non obstante hoc decreto poterit in casu Leonis non solum confessio generalis fieri sacerdoti absenti, sed etiam ab eodem absente absolutio de tali confessione obtineri, saltem quando sacerdos est ita impeditus, ut non possit coram ægroto comparere. Patet sequela, quia decretum nihil de toto illo casu loquutum est juxta illam interpretationem; ergo nihil innovavit : ergo reliquit liberatem sequendi in eo casu opinionem, quæ antea dicebat, posse dari absolutionem pœnitenti absenti in casu impotentiæ et necessitatis. Consequens autem absurdissimum est; destruit enim decisionem ac fundamentum hujus decreti, ut ex dictis in prima parte manifestum est.

Evasio.

12 Dicet fortasse aliquis non esse parem rationem, quia verba absolutionis non possunt dirigi ad absentem, etiamsi super confessionem tantum generalem cadant; quia hoc non variat significationem propriam verborum formæ. At enim licet hoc in re ipsa ita sit, tamen supposita dicta limitatione non potest commode applicari ad decretum Clementis; quia si illud non loquitur de sacramento pœnitentiæ absolute et simpliciter, et in tota sua generalitate non potest illius decisio fundari in verbis formæ, sed in ratione scandali, vel alia simili, ut etiam contendunt hujus concordiæ et intelligentiæ inventores. Unde eodem modo, ac erat antea, manebit sub opinione, an verba formæ possint ad absentem dirigi, necne; ergo adhuc erit licitum id affirmare in casu illo de generali

Rejicitur primo

confessione, juxta antiquam opinionem. Ex quo aperte sequitur non solum everti solidum fundamentum hujus decreti, sed etiam illius decisionem frivolam reddi.

Secundo. 13 Ac denique cum decretum Clementis æque de confessione in absentia, et de absolutione loquatur, incredibile est de confessione loqui non absolute, ut est materia sacramenti in ordine ad talem absolutionem; sed cum limitatione, ut est materia specialis : de absolutione autem loqui absolute et simpliciter; item quoad absolutionem, niti in fundamento intrinseco, quod nec exceptionem nec limitationem patitur: quoad confessionem vero fundari in ratione extrinseca scandali, vel simili, quæ et limitationem illam recipit, et infinitas exceptiones patitur, quantum est ex se et ex divino jure. Item alias eadem ratione dicere quis posset, verba illa : *Neve ista propositio in aliquo casu* etc. quoad confessionem admittere exceptionem de casu impotentiæ et extremæ necessitatis, licet quoad absolutionem illam non admittant, ut supra ostendimus. Hoc autem improbabile profecto est : quia in decreto est sermo de confessione et absolutione in absentia per modum unius sacramenti, ut supra visum est : et ita prout ibi damnantur, æque sine exceptione damnantur. Ergo vel concedendum est, etiam in casu impotentiæ et necessitatis absolutionem dari posse absenti; qui eo modo, quo potest, et licet absenti sacerdoti confitetur, quod (ut dixi) esset decretum hoc evertere et ad antiquas opiniones de sensu formæ rem totam revocare : vel concedendum est (id quod est evidentissimum) decretum hoc loqui de confessione sacramentali absenti facta, sive in genere, sive in specie fiat. Ergo per illam utriusque decreti limitationem, nullo modo potest concordia inter illa subsistere.

Tertio.

Quarto.

Ad fundamentum et reliqua posita in n. 1. 14 Ad fundamentum autem illius sententiæ nihil denuo respondere necesse est. Nam illa etiam verba Clementis *peccata sacramentaliter confiteri,* indifferentia sunt ad omnem modum sacramentalis confessionis : nam qui in genere confitetur, peccata confitetur ut potest : neque enim confitetur bona opera, vel indifferentia; ergo mala et peccata, non aliena, sed sua, non quidem distincte, sed generatim. Clemens autem in illis verbis ab his modis abstrahit, et omnem modum comprehendit, qui ad sacramentalem confessionem satis sit. Reliqua vero, quæ in illa opinione tanguntur, expedita jam sunt.

CAPUT V.

Vera ratio conciliandi hæc decreta exponitur et probatur.

Vera conciliatio decretorum utriusque pontificis per alias conclusiones. 1. Assertio. 1 Nos igitur ad utriusque decreti intelligentiam veramque concordiam, dicimus primo : in casu extremæ necessitatis absolvendum esse sacramentaliter hominem, de cujus confessione seu petitione absolutionis cum signis pœnitentiæ per sufficiens testimonium sacerdoti constet, etiamsi pœnitens in præsentia sacerdotis confiteri non potuerit. Probatur primo auctoritate Leonis papæ et conciliorum Arausicani I et Carthaginensi IV, ut nobis quidem videtur satis expressa. Secundo auctoritate Augustini, D. Thomæ et aliorum viginti doctorum, quos supra retulimus. Tertio quia Christus Dominus potuit hoc modo instituere sacramentum pœnitentiæ, et illam materiam ut sufficientem admittere; et est institutio magis favorabilis et pia et nullum est fundamentum ad dicendum id non fecisse; quia nec ex verbis institutionis id sumi potest, nam institutio præcipue facta est ex parte formæ et potestatis judicandi de peccatis : et ex verbis formæ id non colligitur, ut supra ostendi. Nec etiam ex potestate; nam hanc simpliciter contulit Christus dicens : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Modum autem examinandi causam ad ferendum judicium hoc et remissionem dandam, non limitavit ad hunc vel illum modum per dicta verba; ecclesiæ autem traditio et consuetudo non parva et (quod caput est) pontificia auctoritas declaravit illum confessionis modum sufficere in illo articulo : ergo.

Probatur primo.

Secundo.

Tertio.

2 Assertio. 2 Secundo dicendum est in illo casu extremæ necessitatis requiri, ut sacerdos absolvat pœnitentem sibi præsentem; alioqui si absolutio detur absenti, nec absolutio valida erit, nec confessio ad illam ordinata poterit esse licita, aut alicujus valoris. Hoc probatum supra est ex verbis formæ. Item ex decreto Clementis VIII, cui in hac parte non solum non contradicunt, verum potius plurimum favent Leo papa et alii canones. Nam ut sacerdos possit in eo casu pœniten-

Unde probatur.

tiam, idest absolutionem dare, in primis requirunt, ut ad pœnitentem accedat et perveniat prius quam moriatur et coram illo diligentiam faciat, ut si possit, aliquod ab illo signum in præsentia obtineat: quodsi non possit, tunc contentus sit testimonio circumstantium, ut ægrotum sibi præsentem absolvat. Ergo quoad hanc partem clara est consensio illorum decretorum inter se.

3 Assertio. Probatur primo.

5 Tertio dicendum est Clementem VIII per suum decretum non prohibuisse dari in eo casu absolutionem sacramentalem tali ægroto. Probatur primo, quia nihil prohibet, quod non sit contra substantiam sacramenti, ac proinde jure divino prohibitum sit, ut supra est ostensum. Sed absolvendo in illo casu nihil fit contra jus divinum, nec contra substantiam sacramenti, ut ex decisione sancti Leonis, et prima assertione constat : ergo nec Clemens talem usum sacramenti pœnitentiæ pro illo casu prohibuit. Secundo quia non consuevit ecclesia coarctare viam salutis pro casu extremæ necessitatis, nec auferre jurisdictionem necessariam ad absolvendum quemcumque magnum peccatorem in articulo mortis : ergo verisimile non est sanctissimum D. N. Clementem id fecisse, nec vetuisse pro illo articulo quidquid jure divino prohibitum non est. Tertio certo nobis constat eumdem pontificem privatis sermonibus expresse declarasse, numquam fuisse mentis suæ talem prohibitionem pro illo casu facere. Quarto supra satis ostensum est ex verbis decreti id colligi non posse. Et ex sequenti assertione idem aperte constabit.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

4 Assertio concordans utrum que decretum

4 Quarto ergo dicimus Clementem VIII solum prohibuisse et damnasse omnem confessionem sacerdoti absenti factam, ut ab eodem absente absolutio obtineatur. Et ita optima et facillima ratione inveniri decretum Clementis conforme cum decreto Leonis. Nam Clemens in universum, et pro omni casu, absque ulla exceptione etiam extremæ necessitatis damnat confessionem factam absenti sacerdoti in ordine ad absolutionem in absentia obtinendam ab eodem sacerdote absente. Leo vero loquitur de confessione facta in absentia sacerdotis in ordine ad præsentiam ejus tamquam necessariam, tum ad consummandam diligentiam circa notitiam sumendam de dispositione et confessione pœnitentis, tum ad absolvendum illum salva omni proprietate et veritate formæ. Hanc assertionem et concordiam possumus probare primo auctoritate doctorum, sed ex his, qui scripta sua typis mandarunt, solum eos afferre possumus, qui sententiam sancti Leonis in sensu a nobis explicato approbatur. Nam circa decretum Clementis nullus ante nos scripsit : tamen vere et fideliter affirmamus contulisse nos concordiam hanc et expositionem decreti Clementis, priusquam in VI tomi 3 parte illam in publicum ederemus, cum gravissimis doctoribus theologis et juris canonici peritis, eamque valde approbasse. Et postquam liber ille evulgatus est, licet pauci contradixerint, propter inveteratam opinionem parvamque intelligentiam decisionis sancti Leonis et aliorum canonum : communiter tamen in Hispania, Gallia et Italia fuisse valde receptam. Et Romæ vix me invenisse aliquem, qui re satis inspecta, et consideratis verbis et ponderationibus utriusque decreti a me adductis, eam impugnaverit.

Probatur primo auctoritate doctorum.

5 Secundo eamdem concordiam concludimus a sufficienti partium enumeratione, certum est enim illa decreta non posse esse inter se pugnantia, cum utrumque habeat infallibilem auctoritatem : at non possunt concordari per modum exceptionis, ita ut decretum Clementis generalem regulam constituat et Leo admittendam esse dicat aliquam exceptionem : non (inquam) ita possunt conciliari, quia Clemens expresse negat regulam suam posse pati aliquam exceptionem, ut fuse declaratum est. Ergo necesse est dicere illa decreta de diversis rebus loqui, et ideo non esse sibi contraria. At vero illa diversitas non consistit in hoc, quod Leo non loquatur de sacramento pœnitentiæ in illo casu ministrando, quia hoc evidenter falsum est et verbis ejus contrarium. Neque etiam consistit in hoc, quod Leo loquatur de pœnitentibus prius confessis sacramentaliter in præsentia sacerdotis : nam hoc etiam repugnat verbis ejus, et historiæ, ac consuetudini ecclesiasticæ, ut etiam probavimus. Nec rursus consistit in hoc, quod Leo approbet solam absolutionem, non vero confessionem : nam repugnat absolutionem sacramentalem a confessione sacramentali ita separari, ut illam essentialiter non supponat in re ipsa factam aliquomodo, ut ex doctrina fidei satis ostendimus. Nec vero diversitas in hoc

Probatur secundo exclusis aliis modis conciliandi in superioribus expugnatis.

1.

2.

3.

4.

consistit, quod Leo loquatur de confessione generali, et Clemens de speciali; nam hoc non habet fundamentum in verbis decretorum, imo eorum decisionem evertit, et ex principiis fidei circa idem sacramentum per se falsum esse convincitur, ut probatum est. Nec tandem ad concordiam illorum decretorum fingendum est vel Leonem, vel Clementem putasse confessionem illam esse factam in præsentia sacerdotis, quam facit ægrotus in dicto casu, etiamsi in præsentia sacerdotis nihil significare valeat : nam per se improbabile est, et utrumque decretum ridiculum faciat, ut demonstravimus. Non potest ergo diversitas materiæ utriusque decreti in alio consistere, nisi in hoc, quod Clemens loquitur de confessione in absentia conjungenda cum absolutione in absentia : Leo autem de confessione in absentia conjungenda cum absolutione in præsentia. Et ideo sine ulla contradictione Clemens damnat priorem confessionem in absentia in omni casu : Leo vero in aliquo casu admittit posteriorem.

5.

Probatur 3 ex verbis utriusque decreti.

6 Tertio probari potest assertio ex verbis utriusque decreti, id enim maxime observavimus in nostra expositione, ut verba utriusque decreti in omni proprietate et usitata significatione retineremus, eaque pure ac simpliciter intelligeremus, nullam addendo voluntariam limitationem sine fundamento in verbis decreti. Quod autem in prædicta expositione et concordia ita a nobis factum sit, de Leonis decreto est per se evidens et late satis est demonstratum in secunda parte hujus tractatus. Idemque in prima parte probavimus de verbis decreti Clementis. Ostendimus enim illa ex vi sua non damnare directe et formaliter nisi propositionem compositam seu hypotheticam, indirecte vero et virtute damnare absolute et simpliciter omnem absolutionem in absentia; confessionem vero solum, ut respicit talem absolutionem. Nam extensio ad omnem confessionem sine tali respectu, nec fundamentum habet in verbis decreti, nec in ratione ejus, nec eam permittunt facere alia decreta.

Probatur 4.

7 Unde quarto possumus hanc concordiam persuadere, quia juxta illam habet utrumque decretum facile et solidum fundamentum. Alterum nempe Clementis in verbis formæ, juxta institutionem per ecclesiæ traditionem explicatam necessariis, et consequenter in debita et prudente administratione hujus sacramentalis judicii per talem formam perficiendi. Alterum vero, idest Leonis, in institutione materiæ hujus sacramenti, quæ ex vi ejus nullum habet determinatum ritum essentialem, sed solum requirit, ut a pœnitente offeratur modo sibi possibili, dummodo sufficiens sit ad morale judicium et ad verba absolutionis cum proprietate proferenda. Ergo maxime probanda est hæc concordia.

Probatur 5.

8 Quinto addere possumus in omnibus aliis interpretationibus inveniri aliquid periculi, vel evertendi unum decretum pontificium, ut aliud tueamur, vel damnandi piam consuetudinem ab omnibus fere auctoribus probatam, vel introducendi novum aliquid, planeque repugnans veris principiis de sacramento pœnitentiæ, ut discurrendo per alios dicendi modos ostensum est. At in hac concordia summa est facilitas, et nullum incommodum vel scandalum ex illa timeri potest, ut sequenti capite respondendo ad objectiones demonstrabo.

Probatur 6, quia concordia coarctat rigorem, aliæ vero partim ampliantur ad sensus minus proprios, partim incommodis patent.

9 Sexto sumi potest optima conjectura ex generalibus principiis juris, quæ in legibus seu canonibus explicandis observare præcipimur. Nam si quid est difficultatis in hac nostra concordia, solum est, quod in decreto Clementis non extendimus damnationem confessionis in absentia ad omnem talem confessionem quocumque respectu fiat, vel conjunctam cum quacumque absolutione etiam in præsentia da tam. Sed coarctamus damnationem illam ad confessionem in absentia relatam, ad absolutionem etiam in absentia, seu cum illa conjunctam. At ex principiis juris cogimur ad id faciendum, quia nostra restrictio est consentanea verbis decreti, tam secundum eorum proprietatem, quam secundum contextum : alia vero extensio potius requirit verborum ampliationem, ultra propriam et rigorosam eorum significationem, ut declaratum est. Consideramus autem ulterius extensionem illam et materiam ejus esse odiosam, tum quia per illam restringitur via salutis et remedium animarum in extrema necessitate : tum etiam quia per eamdem cogimur, vel recedere a simplici et plano sensu Leonis papæ et aliorum canonum, et a communi opinione doctorum, ac recepta ecclesiæ consuetudine, vel si extensionem illam cum alia communi sententia et decisione aliorum

canonum conjungere velimus, in innumerabiles angustias incidimus non sine periculo introducendi novas et peregrinas doctrinas circa materiam hujus sacramenti. E contrario vero animadvertimus moderationem illam et restrictionem juxta rigorosum sensum verborum esse favorabilem et extendere viam salutis et liberare nos his omnibus periculis et incommodis.

est etiam hæc concordia consona variis principiis juris.

10 Merito ergo hanc interpretationem et concordiam præferendam judicamus juxta varia principia juris. Unum satis vulgare est : *Odia restringi, favores convenit ampliari.* Juxta quam regulam dicunt etiam, juristæ copulam *et* restringendam esse in materia odiosa, ut videri potest in Joanne de Immola in Clement. *In plerisque* de electione et Nicolaus Everarius in locis legalib. loco 50. Aliud principium est, non esse præsumendum legislatorem uno verbo antiqua jura evertere voluisse, scilicet, quando verbum non cogit. Quoad principium habetur in cap. *Ecclesia vestra*, 2 de electione his verbis : *Neque enim credendum est Romanum pontificem, qui jura tuetur, quod alias cogitatum est multis vigiliis, uno verbo subvertere voluisse.* Quæ ad præsens optime applicatur, vel quia non est verisimile pontificem Clementem voluisse uno verbo subvertere decisionem Leonis multis vigiliis (ut credendum est) ab illo traditam et similibus etiam vigiliis multorum patrum et doctorum ita expensam et comprobatam; vel argumentando a simili, quia consuetudo æquiparatur legi. Cum ergo in ecclesia sit consuetudo absolvendi sacramentaliter in eo casu, juxta decretum Magni Leonis et alios sacros canones, non est verisimile totum hoc fuisse prohibitum uno verbo, quo neque id explicatur, neque ex illo necessaria illatione deducitur. Tertium principium est : *Jurium concordia procuranda est, et eorum correctio vitanda*, cap. *Cum expediat* de electione in 6. Ex quo principio colligo cæteris paribus illam expositionem esse præferendam, per quam facilius et commodius decretum Clementis invenitur nihil habere contrarium, neque repugnans decreto Leonis, nec e converso : non est autem dubium, quin hoc melius fiat per restrictionem, quam per extensionem, ut satis declaratum est.

CAPUT VI.

Satisfit objectionibus, quæ contra veram concordiam decretorum factæ sunt.

1 Objectio ad conciliationem allatam.

1 Primum omnium objectum est, quia si confessio in absentia, conjuncta absolutioni in præsentia, aliquando satis est ad hoc sacramentum conficiendum, neque in hoc sensu damnata in universum est per decretum Clementis. Ergo eadem ratione absolutio, in absentia data, si cadat in confessionem, quæ in præsentia præcessit, eique conjungatur erit sufficiens ad hoc sacramentum conficiendum, neque erit per hoc decretum damnata. Consequens non est admittendum, ut diximus, ergo neque antecedens. Nam sequela ex verbis decreti satis probari videtur, cum eodem tenore utramque partem damnet. Atque ita contra nos retorqueri possunt rationes omnes, quibus supra probamus non posse exceptionem vel limitationem admitti in confessione magis quam in absolutione in absentia pro casu extremæ necessitatis.

Respondetur ad sequelam objectionis loquendo ex vi juris divini.

2 Ad hanc vero objectionem jam a nobis in superioribus responsum est, negando sequelam. Et quia loqui possumus, vel ex vi solius juris divini et institutionis sacramenti, vel ex vi decreti : priori modo est facilis et evidens ratio differentiæ et negationis sequelæ; quia forma consistit in præscriptis verbis, quæ requirunt præsentiam : materia vero non item. Unde constitutio hujus sacramenti ex parte formæ facta est et ideo per se primo in illa sola habet specialem ritum : in materia vero solum illum postulat, qui ad veram significationem talis formæ et legitimum usum illius potestatis, a qua absolutio procedit, necessarius vel conveniens fuerit. Ideoque cum præsentia non sit de essentia judicii, ut sic, in hoc sacramentali judicio solum est essentialis ratione formæ, atque adeo directe est requisita propter absolutionem; propter confessionem vero solum indirecte et in ordine ad formam. At loquendo posteriori modo, seu ex vi decreti, posset esse nonnulla difficultas : considerando tantum formalem tenorem verborum ejus, et ita fatemur directe et formaliter videri parem rationem : nihilominus tamen considerata fundamentali ratione decreti, et radice

Deinde loquendo ex vi decreti pontificis.

unde oriatur falsitas illius propositionis hypotheticæ, quam formaliter damnat decretum, re vera non esse paritatem in ratione. Unde in hoc sensu merito negatur sequela; quia absolutio in absentia virtute est in universum damnata eodem modo, quo totum sacramentum inter absentes celebratum : non sic autem confessio in absentia ordinata ad absolutionem in præsentia : quia quoad absolutionem habet hoc sacramentum essentialem ritum determinatum, et quia tunc proprie conficitur hoc sacramentum, quando forma profertur; et ideo sicut in universum prohibetur confectio hujus sacramenti inter absentes, ita et prolatio formæ circa personam absentem, ut latius in 1 parte hujus operis declaratum est.

2 Objectio.

3 Hinc vero nascitur secunda objectio : nam hinc sequitur absolute et simpliciter loquendo non esse de essentia sacramenti pœnitentiæ, quod confessio fiat in præsentia sacerdotis; sed solum quod absolutio detur a sacerdote in præsentia pœnitentis. Consequens videtur absurdum; tum quia hinc aperitur janua ad scandala, quæ pontifex Clemens decreto suo cavere studuit. Datur enim occasio faciendi confessionem inter absentes, sub spe obtinendi absolutionem in præsentia faciliori et suaviori modo et cum minore erubescentia : ex hoc autem usu confessionis in absentia magis timeri possunt scandala, quam ex absolutione; tum etiam quia non videtur consentaneum rationi ut præsentia hæc magis requiratur ex parte absolutionis, quam confessionis. Quia præsentia maxime postulari potuit, ut judex debito modo possit suo officio fungi : ad hoc autem magis necessaria est præsentia tempore confessionis; nam per confessionem judex accipit notitiam et informationem de tota causa, ad quam notitiam maxime desiderari potest præsentia. Unde aliqui hanc objectionem confirmant; quia licet illa concordia et expositio decreti Clementis non videatur verbis ejus formalibus repugnare; tamen considerata materia et occasione illius decisionis, repugnat menti ejus, quia potissime voluit usum confessionis in absentia pœnitentis abolere.

Improbatur primo consequens argumenti.

Improbatur secundo.

Confirmatur præterea, objectio principalis.

4 Ad principale argumentum respondetur concedendo sequelam, scilicet, absolute non esse de essentia sacramenti pœnitentiæ, ut confessio fiat a reo in præsentia judicis; quia quod in aliquo casu necessarium non est, absolute non est de essentia. Ostensum est autem dari casum, in quo sine confessione facta in præsentia perficitur sacramentum : ergo. Major communis est theologorum et per se evidens; quia sine his omnibus, quæ sunt de essentia, non solum esse, verum nec concipi res potest : ergo id, sine quo res aliquando fit et vere est, non potest esse essentiale. Ideo enim non potest baptismus etiam in extrema necessitate fieri sine aqua, quia essentialis est : et in universum nulla necessitas, etiam extrema, mutat formam et materiam essentiales sacramentorum, sub quibus comprehenditur omnis conditio, quæ essentialiter requisita judicetur. Præsentia vero ex parte confessionis non est hoc modo essentialis. Ad primam vero improbationem consequentis negatur hinc sequi occasionem scandali, nullum enim timeri potest ex eo quod in extrema necessitate per talem confessionem subveniatur homini indigenti; et major licentia non datur, ut statim dicemus. Ad secundam improbationem, jam dictum est institutionem hujus sacramenti factam esse ex parte formæ, et potestatis datæ judici ad illam cum veritate et efficacia proferendam : et ideo mirum non est, quod juxta exigentiam formæ attendendæ sint essentiales conditiones. Atque hoc etiam satis est ad debitam præsentiam postulandam, quia eo ipso, quod reus debet præsens sisti ante judicem, ut absolvi possit, datur judici facultas examinandi causam, quantum moraliter potest : et hoc solum voluit Christus tamquam simpliciter necessarium postulare.

Ad primam consequentis improbationem.

Ad secundam improbationem.

5 Unde ad alteram confirmationem in primis dicitur id, quod in ea sumitur, ad factum pertinere, de quo doctor non judicat, potius quam ad jus; quia de mente legislatoris judicare non possumus, nisi ex verbis ejus. Maxime quando alia jura favent, vel potius cogunt ad illum sensum amplectendum, ut in præsenti visum est. Quapropter quidquid sit de privata intentione, vel de occasione faciendi tale decretum, certissimum est, in verbis decreti non fuisse plus expressum, quam a nobis declaratum est : et ex aliis decretis est mihi certum non potuisse plus exprimi, ac proinde Spiritum Sanctum direxisse linguam et calamum pontificis, ne amplius verbis exprimeret, quia nulla intentio interna obligat eccle-

Ad confirmationem in num. præcedenti satisfit primo.

Ad principalem objectionem respondetur.

siam, nisi verbis exprimatur, nec refert ad veritatem et infallibilitatem decreti, quæ ex sola significatione et proprietate verborum pensanda est. Addo vero etiam illam facti narrationem falsam esse. Nam occasio faciendi hoc decretum re vera non fuit, nisi abusus celebrandi hoc sacramentum inter absentes quoad totum ritum ejus, qui abusus introduci incipiebat, ut ferunt, et ex illo sequi poterant scandala et gravia incommoda. Contra hunc ergo abusum factum est decretum, et ille est per se damnatus ac prohibitus. De confessione autem facta in absentia propter necessitatem in ordine ad præsentiam confessoris etc., nec cogitatum quidem est, ut a gravissimis viris, qui eidem facto interfuerunt intellexi : quia neque de tali usu fuit umquam suspicio vel scandalum. Neque ex illo timeri poterat occasio alicujus majoris mali, ut jam dicam. Unde potius credimus non fuisse aliam etiam privatam mentem et intentionem pontificis. Voluit enim damnare id quod novum et inusitatum erat in ecclesia, non id, quod per antiquos canones approbatum erat et usu receptum, et in ipsomet Sacerdotali Romano contentum erat.

Satisfit secundo.

3 Objectio contra conciliationem allatam.

6 Tertio objiciunt, quia sequitur ex nostra concordia et interpretatione licitum esse confiteri absenti, dummodo ab illo præsente absolutio exspectetur, ac proinde hoc posse fieri pro solo arbitrio pœnitentium : quod satis grave et absurdum est, ut ex superiori objectione constat. Sequela patet, quia si id non est contra essentiam hujus sacramenti, non est prohibitum jure divino : quia jus divinum non addidit novam obligationem præter eas, quæ ex natura rei sequuntur seu ex institutione ipsa. Neque etiam est prohibitum jure ecclesiastico; quia ante hoc decretum nullum invenitur ecclesiæ decretum hanc prohibitionem continens : nec per hoc decretum facta est, juxta nostram expositionem; quia omnino non loquitur de illa confessione in absentia, quæ ad absolutionem in præsentia ordinatur. Unde sicut illam non approbat, ita neque damnat, sed illam omittit, ac relinquit in eo foro, in quo antea erat : ergo talis confessio nullo modo prohibita est; ergo est licita per se et pro arbitrio pœnitentis.

Responsio.

7 Respondetur negando sequelam. Non enim bene sequitur : in extrema necessitate licitum est unum peccatum confiteri, omissis aliis, quæ necessitas dicere non permittit; ergo illud per se licet, vel non est prohibitum extra illam necessitatem. Item non sequitur : confessio per tertiam personam fieri potest in casu impotentiæ seu ignorantiæ idiomatis, ut talis persona sit interpres : ergo absolute et extra illam necessitatem licet per alium confiteri. Ita ergo dicimus in præsenti, per se quidem non licere confiteri absenti, etiam ut in præsentia absolvat, tamen in casu impotentiæ et necessitatis licere.

Quomodo prohibitum sit confiteri in absentia contra necessitatem.

8 Cum autem de hoc quæritur prohibitio, respondemus primo esse ex vi juris divini et institutionis, nam ex institutione non solum sequuntur ea, quæ simpliciter necessaria seu essentialia sunt; sed etiam ea, quæ per se postulantur, licet in necessitate possit sine illis confici sacramentum, sicut evidenter constat in materiali integritate confessionis, quæ necesaria est ex vi institutionis, ut constat ex concilio Tridentino sess. 14, cap. 5, etiamsi simpliciter essentialis non sit : idem ergo in præsenti dicimus de conditione præsentiæ, quatenus ex parte solius materiæ consideratur. Addimus deinde, hanc prohibitionem auctam esse ex consuetudine ecclesiæ, quæ in universum habet, ut pœnitens per se ipsum aperiat conscientiam suam coram sacerdote, si potest et quomodo potest; et talis est hæc consuetudo, ut ex fidelium omnium consensu sit necessaria; et contrarium censeatur magna corruptio sacramenti, si voluntarie fiat. Denique adeo est hoc per sese evidens secundum rectam rationem, ut vix indigeat declaratione. Quis enim cogitare potest aliquem sufficienter confiteri, qui in præsentia sacerdotis potest proprio actu suam mentem significare et non facit : est enim id contra omnem rationem veræ accusationis, præsertim pœnitentialis et sacramentalis. Unde etiam constat talem confessionem, in absentia factam sine necessitate, nullam esse, nisi quatenus in præsentia iteratur seu ratificatur.

Instantia contra nunc dicta.

9 Sed instabis saltem hunc confessionis modum posse esse licitum extra casum extremæ necessitatis, sicut dimidiare confessionem materialiter (quia non est contra essentiam) licitum esse potest, non solum propter extremam necessitatem, sed etiam propter alias. Ergo idem erit in præsenti; nos enim necessitatem præsentiæ ex parte

confessionis, cum integritate comparavimus et ad illam pertinere diximus. Consequens autem videtur esse magnum incommodum; nam aperitur via ad usum confessionis in absentia et tandem judicium de necessitate sufficienti relinquitur prudenti arbitrio, quod est magnum inconveniens.

Respondetur per distinctionem duplicis modi confitendi in absentia ad obtinendam absolutionem in præsentia.

10 Respondetur, duobus modis fieri posse ut confessio mittatur ad absentem sacerdotem, qui veniat ad absolvendum in præsentia. Primo ut illa confessio ita acceptetur a sacerdote, ut sufficiens ad absolvendum, ut nullam ejus confirmationem vel ratihabitionem a pœnitente in præsentia requirat, etiamsi sit in statu, in quo illam præstare possit. Secundo ut fiat animo ratificandi illam in præsentia aliquo verbo vel signo, si id fieri possit. Loquendo ergo priori modo, negatur sequela. Dicimus enim semper requiri ratihabitionem in præsentia, si dari potest, quia oppositum est contra institutionem et consuetudinem ecclesiæ et contra debitum ordinem, ut explicatum est : et ideo solum in casu impotentiæ et extremæ necessitatis illud licet. Quia si pœnitens capax est ratihabitionis et significationis proprii consensus in præsentia sacerdotis, nulla fingi potest rationabilis causa vel necessitas illam omittendi. Atque hæc necessitas satis declarata est per Leonem papam in suo decreto : ubi in penultimo casu dicit, necessarium esse, ut ægrotus ostendat conscientiam suam sacerdoti præsenti *per indicia integri sensus*, nimirum, quando illum habuerit : et in ultimo casu addit conditionem, sub qua sola dicit sufficere testimonium circumstantium, videlicet : *Si quod paulo ante poscebat, sub præsentia sacerdotis significare non valeat.* Quæ conditionalis locutio ex vi sua explicat necessitatem, extra quam non sufficit aliorum testimonium.

Data nunc responsio colligitur etiam ex decreto Clementis.

11 Imo ulterius addidimus hanc prohibitionem satis contineri in virtute decreti sanctissimi Clementis VIII. Nam ex natura rei sequitur ex dogmate in eo stabilito, videlicet quod hoc sacramentum tantum potest confici in præsentia ministri. Posito enim, quod quis mittat confessionem suam ad absentem, ut veniat ad absolvendum in præsentia, vel pœnitens quando sacerdos jam est præsens, est compos sui et intelligit, quid minister sacramenti erga se faciat, et sic necesse est, ut aliquo signo annuat et præcedentem confessionem confirmet, quod est virtute illam iterare et in præsentia facere. Si vero pœnitens jam non est compos sui, incidimus in casum impotentiæ et necessitatis, de quo Leo loquitur. Ergo eo ipso, quod definitur necessariam esse præsentiam ad absolutionem, definitur esse necessariam ad confessionem, saltem quando pœnitens est compos sui.

Quid si confessio fiat in absentia extra articulum mortis et casu aliquo non possit pœnitens esse præsens absolutioni.

12 Dices fingi posse casum, in quo aliquis sit compos sui, sensuque ac ratione uti possit et nihilominus non possit videre sacerdotem præsentem et illi aliquod signum dare : cur ergo non poterit tunc absolvi, si jam confessio supponitur facta, etiamsi in articulo mortis non sit? Respondeo propter casum fictum, vel excogitatum sine causa vel necessitate, non esse admittendam exceptionem extra casum extremæ necessitatis seu articuli mortis. Quia cum in quolibet alio eventu possit absque periculo differri absolutio, nulla potest esse rationabilis causa pervertendi debitum ordinem administrandi sacramentum a sacris canonibus præscriptum et usu ecclesiæ comprobatum et ex vi institutionis per se necessarium. Unde non solum quando confessio, quæ præcessisse dicitur, facta est in absentia, sed etiamsi in præsentia facta fuisse supponatur, non est danda absolutio pœnitenti, etiam præsenti corporaliter, nisi etiam sit moraliter præsens et intelligat, quid circa illum agatur, nisi in casu extremæ necessitatis seu periculi mortis : quia non potest sacerdoti constare aliter de præsenti voluntate et dispositione pœnitentis, nisi quatenus ipse annuit, et tacite vel expresse consentit absolutioni : quod facere non potest, nisi sit moraliter præsens. Quoties autem est moraliter præsens, eo ipso ratam habet præcedentem confessionem, qualiscumque illa fuerit.

Confessio in absentia facta animo ratificandi illam in præsentia, est simpliciter confessio in præsentia.

13 At vero loquendo de confessione, in absentia facta animo ratificandi illam in præsentia, et non aliter recipiendi absolutionem, si potestas non desit, concedimus profecto talem confessionem in absentia nec per se esse intrinsece illicitam, nec jure antiquo ecclesiæ prohibitam, nec per hoc decretum Clementis interdictam. Ratio est quia illa confessio tandem non est in absentia, sed in præsentia, quia perinde est ratam habere in præsentia, ac in præsentia fieri. Ergo illa non comprehenditur in damnatione Clementis, qui solum damna-

vit confessionem in absentia. Unde etiamsi damnasset omnem omnino confessionem in absentia absolute et per se sumptam, adhuc tunc hanc non comprehendisset : quia hæc non est in absentia, sed in præsentia. Item in illa impletur, quidquid Leo postulat, scilicet, quod per propria indicia comprobet pœnitens mentem et accusationem suam : ergo nec antiquum jus obstat illi modo confitendi. Et consequenter neque divinum jus, quod solum postulat confessionem factam immediate a pœnitente, quando illam facere potest et non determinat modum. Quod autem illa prævia confessio in absentia sit exposita periculo manifestationis vel infamiæ, non obstat; quia pœnitens in hoc potest partim cedere juri suo, partim cautionem adhibere. Unde non est dubium, quin rationabiles causæ intervenire possint ad confessionem illo modo præmittendam, vel integre, vel ex parte, ut si pœnitens habeat casum difficilem et velit ut confessor absens, prius quam ad se veniat, resolutionem circa illum comparet per studium vel consultationem. Aut si confessio est longi temporis et sacerdos veniens non potest tanto tempore adesse cum pœnitente præsente, quantum necessarium esset ad discurrendum in præsentia per totam confessionem et ideo mittit illam scriptam, ut postea in præsentia negotium brevissime transigatur. Dicere tamen potest aliquis, in his casibus quidquid fit in absentia non esse confessionem, sed consultationem quamdam. At in voce non immoror; nam res eodem revolvitur : et utendo illo nomine *consultationis* certius erit illum modum confessionis non esse prohibitum. Si tamen vocanda est consultatio, quia tota fit in ordine ad confessionem, talis censenda est, ut tantam obligationem secreti inducat, ac ipsa confessio; et ad hoc significandum solet vocari confessio vel incohatio confessionis. Nam quod illud secretum sit omnino servandum, ad reverentiam hujus sacramenti spectat et favor est animarum : nec habet ullam dubitandi rationem, cum tota illa notitia ex tunc ad clavem scientiæ pertineat.

Licet dicta confessio in absentia vocetur potius consultatio sub sigillo servanda est.

14 Ultimo non defuerunt qui mihi objicerent, seu me temeritatis arguerent, quod ausus fuerim hoc modo decretum pontificis Clementis ipso vivente interpretari et cum aliis antiquis canonibus conciliare, ipso inconsulto et maxima verborum brevitate, ut feci in IV tomo, 3 parte, disp. 21.

Ultima objectio contra auctorem, quod vivente Clemente interpretatus sit illud diploma.

15 Repondeo in primis non potuisse punctum hoc et interpretationem ibi omnino omitti : quia nec doctrina canonum de absolutione præstanda ægroto in illo casu extremæ necessitatis negari potuit, nec occultari debuit, cum sit ad salutem animarum valde utilis ac necessaria. Et illa supposita non potuit dissimulari difficultas emergens ex decreto Clementis : tum ne tacite videremur illud contemnere, aut ei tacite contradicere; tum etiam ne doctrinam imperfectam relinqueremus, et aliis fortasse occasionem daremus sinistre interpretandi, aut male conciliandi illa decreta. Deinde dicimus interpretari decretum pontificis ipso vivente et inconsulto, non esse malum, sed laudabile, si cum necessitate vel utilitate id fiat. Nam licet interpretari legem ad auctorem legis pertinere dicatur, id tamen intelligitur de interpretatione authentica et quæ eamdem vim habeat obligandi, quam habet lex; private autem interpretari ad doctores pertinet, ut per se notum est et ex usu constat.

Respondetur necessariam fuisse interpretationem, cum edebatur tomus de pœnitentia.

Interpretatio privata inconsulto legislatore non est prohibita, si sit utilis.

16 Quod autem hæc interpretatio fiat vivente auctore legis, ex sola rei natura nil refert, nisi ipse id prohibeat : at in hoc decreto nulla est clausula ejus interpretationem prohibens. Neque etiam jure communi positivo prohibitum est interpretari legem vivente principe auctore ejus, vel canonem vivente pontifice. Neque etiam est præter usum, quia nihil est frequentius magisque usitatum, tam in legalibus civilibus, quam in canonicis privilegiis, bullis et aliis rescriptis. Et in particulari fecit hoc Navarrus Romæ vivente Gregorio XIII et super bullam S. D. N. de largitionibus religiosorum expositionem edidit P. Franciscus Sosa generalis S. Francisci. Ex qua consuetudine constat hujusmodi interpretationem non esse per se malam, aut contra rationem et prudentiam. Imo præsumi non potest aut debet per se loquendo, quod interpretari hoc modo aliquod decretum sit contra voluntatem pontificis : quia potius esset illi molestum in singulis emergentibus dubiis authenticam interpretationem adhibere. Et ideo solent pontifices, ita interrogati, respondere ut doctores interpretentur prout de jure. Denique ob hanc causam non solum hanc, sed aliam etiam interpretationem in eodem tomo IV eidem decreto adhibuimus ad vocem illam : *Non*

Neque est contra ullum jus, neque contra usum data vivente legislatore

Interpretatio privata non præsumitur contra voluntatem auctoris, nisi ipse declaret.

est licitum ut includat etiam non esse validum : quia est contra substantiam sacramenti. Quæ interpretatio placuit, et ideo non displicet, quod data fuerit ab auctore vivente pontifice, et ipso inconsulto. Si ergo altera interpretatio in se spectata bona est, dedisse illam inconsulto pontifice malum non fuit. Gratias vero infinitas Deo agimus, quod hæc objectio occasionem nobis præbuerit doctrinam hanc ulterius confirmandi, ac explicandi, eamque sub ejusdem summi pontificis protectione iterum evulgandi.

FINIS.

LAUS DEO, VIRGINIQUE MATRI.

R. P. FRANCISCI SUAREZ

TRACTATUS DE CONFESSIONE PECCATORUM

AB IPSO POENITENTE FACIENDA

CUM ADNOTATIONIBUS INCERTI AUCTORIS SOCIETATIS JESU.

SUMMARIUM.

Quam causam habuerit pontifex ad edendum decretum. Num. 1.
Proponitur forma decreti. Num. 2.
Nihil auctor scripserat contra doctrinam hujus decreti. Num. 3.
Quæstio quam auctor tractaverat de absolutione moribundi erat valde diversa. Num. 4.
Explicatio auctoris ad decretum pontificis. Ibidem.
Objectio aliquorum circa prædictam explicationem. Num. 5.
Aperitur causa objectionis. Num. 6.
Probat auctor posse absolvi moribundum qui, cum confessionem postulasset, prius sensum amisit, quam adveniret confessarius : quæst. 1 *ex auctoritate doctorum. Num.* 7.
Deinde ex cap. His qui 26, *quæst.* 6 *et ex cap.* Multiplex *de pœnitentia dist.* 1. *Num.* 8.
Exploditur explicatio aliquorum ad prædictos textus. Num. 9.
Refellitur alia explicatio. Num. 10.
Convincitur alia aliorum expositio. N. 11.
Confirmatur sententia auctoris ex Augustino. Num. 12.
Probatur eadem sententia ex consuetudine ecclesiæ. Num. 13.
Tandem probatur ratione deducta ex prædictis decretis. Num. 14.
Declaratur prædicta ratio. Num. 15.
Confirmatur eadem ratio præcludendo effugium adversariorum. Num. 16.
Ostendit auctor suam explicationem bene conciliare decretum Clementis cum decreto Leonis. Num. 17.
Occurrit objectioni eorum qui dicunt ex prædicta explicatione sequi dari posse absolutionem in absentia. Num. 18 *et* 19.
Reddit rationem cur vivente pontifice ejus decretum explicaverit. Num. 20.
Et cur prius non consuluerit sedem apostolicam. Num. 21.

1 Ut objectio et responsio melius comprehendantur, statum causæ seu factum ipsum prius proponam, deinde objectionem, ac tandem responsionem explicabo. Cum nonnulli (ut ajunt) abuterentur illorum doctorum opinione, qui dixerunt inter sacerdotem et pœnitentem absentes, ac loco distantes, posse pœnitentiæ sacramentum per litteras vel internuncium celebrari, S. D. N. ut huic malo mederetur, contra sententiam illam sapientissime ac prudentissime hoc edidit decretum.

2 *Re mature, ac diligenter considerata hanc propositionem, scilicet, licere per litteras, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, et scandalosam damnavit ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus, et congressibus doceatur, neve umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.*

ADDITIO I AD NUM. 1 ET II.

« Doctores, qui ante decretum Clemen-
» tis docuerant in casu necessitatis posse
» confessionem fieri sacerdoti absenti et ab
» eodem absente posse absolutionem dari,
» sunt Navarrus in Summa latina, cap. 21,
» num. 36, § : Qui per se ipsum confiteri
» nequit, non tenetur ac confitendum per
» alium, nec per scriptum, nec etiam per
» interpretem, si tamen id faceret, valeret
» confessio et absolutio, quæ scripta mit-
» teretur secundum Paludanum in 4, d. 17,
» quæst. 2, art. 1, et clarius Adrianum in 4
» de confessione, quæst. 1, col. 6, quos
» secuti fuimus in cap. *Quem pœnitet* et
» nunc etiam sequimur, quamvis aliqui
» contradicant. Hæc Navarrus. Item Pala-
» cios in 4, dist. 17, disp. ultim. Richardus
» art. 2, quæst. 3, Major quæst. 1, Ale-
» xander Alens. quæst. 17, alias 77. Pro-

» pendet etiam Ruardus art. 3, Rutilius » in Speculo episcoporum id dicit proba- » bile.

» Jam vero ex patribus Dominicanis » aperte hanc opinionem docuerunt Palu- » danus in 4, dist. 17, quæst. 2, art. 1, » § 3 diffinitio fol. mihi 81, § quod si non » possit ire, nec accersere sacerdotem, non » tenetur quidem scribere et mandare pec- » cata; sed tamen si ipse vult, *licet et* » *scribere, et mandare, et illi rescribere et* » *remandare absolutionem* etc. Sylvester » verbo *Confessor* 3, num. 1, agendo de » sacerdote, qui pœnitentem per errorem » absolvit non habens jurisdictionem, dicit » obtenta facultate absolvendi, illum ac- » cersat et denuo absolvat, additque hæc » verba : Vel si inde magnum scandalum » timeretur, *absolvat absentem*, si ab ultima » confessione adhuc creditur perseverare » in gratia. Item verbo *Confessor* 4, num. 6, » dicit in prædicto casu posse absolvi ab- » sentem, quia videtur sufficere, si præ- » cessit confessio in præsentia, et non per » litteras, aut nuntium. Item verbo *Con-* » *fessio* 1 vers. decimo quinto, num. 16, » fol. mihi 143, videtur approbare senten- » tiam Paludani et ibidem in fine referens » sententiam Scoti dicentis, quod absenti » non licet confiteri per scripturam, addit » Sylvester : Contra quod arguitur, quia ut » ipsemet testatur sic confessus est S. Tho- » mas Cantuariensis; non tamen quis ad » hoc tenetur.

» Idem tenuit D. Antoninus ex eadem » familia Dominicana, III part., tit. 14, » cap. 19, § 9 et titulo 17, cap. 12 et » cap. 21, § 3, ubi refert in concilio Basi- » liensi discussam fuisse quæstionem quid » faciat sacerdos, qui sine jurisdictione au- » divit confessionem et absolvit pœniten- » tem, multosque dixisse posse postea pe- » tere jurisdictionem et absolvere illum, » ubicumque sit. Magister Tumus verbo » *Confessio* num. 23. Tabiena verbo *Con-* » *fessio* 2, num. 4. Petrus Soto de in- » stitutione sacerdotum. Petrus 11, de » confessione, ubi dicit hanc sententiam » posse secure teneri, eamdemque tenere » plures ex suis Dominicanis § ad necessi- » tatem hujus sacramenti sufficit per nun- » cium, aut scripto confiteri et eodem » modo nuntio vel scripto absolvi : tenent » hoc plures nostrum Petrus, Paludanus, » Adrianus, Sylvester, Dominicus Soto in » relectione de tegendo secreto, membro 3, » quæst. 4, conclus. 5, dub. 4, ubi dicit » fortasse hanc opinionem esse actam. Illam » etiam indicat Turrecremata in cap. *Quem* » *pœnitet*, de pœnitentia, dist. 1, art. 2; ubi » cum dixisset non esse necessarium confi- » teri sacerdoti absenti, addit : Si quis ta- » men vellet hoc facere (inquit Richardus), » esset opus supererogationis. Joan. Medin. » Codice de pœnitentia, num. 2, quæst. 15, » § 4 *dictum;* ubi ait, si peccator non po- » test confessorem adire, nec eum ad se » accersere, probabile est posse per inter- » nuntium et litteras absenti confiteri et » ab eodem per litteras sacramentaliter » absolvi, ubi pro hac re alios citat, illam- » que fuse probat.

» Ex dictis constat 1 quam frivolo fun- » damento dicat reverendus P. T. Joannes » Baptista Gonet ordinis Prædicatorum » tom. V de sacramentis, num. 3 de pœni- » tentia, disp. 12, art. 4, P. Raynaudum et » P. Fagundez male dixisse hanc senten- » tiam de confessione et absolutione in » absentia communem fuisse apud patres » Dominicanos cum adeo aperte in citatis » locis eam amplectantur. Constat 2 falso » dicere patrem Baronium (apud ipsum » Gonet loco citato) nullum Thomistarum » clare asseruisse integrum sacramentum » licite et valide confici inter absentes. Cum » Paludanus loco supra citato dicat licere » pœnitenti scribere et mandare peccata ad » confessarium et confessarium licite posse » rescribere et remandare absolutionem. » Si hoc licite fieri potest, valide fiat ne- » cesse est; aliter licite posset fieri sacra- » mentum scienter invalidum. Idem clare » tenet Petrus Soto, ut patet ex ejus verbis » proxime citatis. Ergo nulla adhibenda » est fides isti Baronio dicenti nullum Tho- » mistarum clare asseruisse integrum » sacramentum licite et valide confici inter » absentes. Ut autem radicitus scias, quam » indignus fide sit iste Baronius, vide pa- » trem Matthæum de Moya nostræ Societa- » tis in suis quæstionibus selectis, præser- » tim in præloquio ad lectorem et in indice » verbo *Baronius*, et fortasse miraberis te- » meritatem hujus Baronii, cujus liber pro- » hibitus est ab Alexandro VII sub pœna » excommunicationis.

» Constat 3 quam libera et frigida sit » explicatio ejusdem P. Gonet loco cit. ubi » dicit, quodsi, qui Thomistarum asserunt

» pœnitentem absenti sacerdoti per litte-
» ras aut internuncium confessum, valide
» ab ipso posse absolvi, scilicet velint, quod
» ubi pœnitens per litteras misit peccata
» sua absenti confessario, si postea in præ-
» sentia ejus dicat, quod de omnibus illis
» se accusat, possit ab eo præsente valide
» absolvi, quia tunc fit confessio in præ-
» sentia sacerdotis, cum idem sit scriptum
» illud ratificare in præsentia sacerdotis,
» ac illi præsenti confiteri, constat, inquam,
» quam libera et frigida sit hæc explicatio,
» et quantum aberret a sensu prædicto-
» rum Thomistarum. Quam præsentiam
» requirit Paludanus cit. dicens confessa-
» rium posse rescribere et remandare ab-
» solutionem? quam præsentiam requirit
» Petrus Sotus loco supra cit. dicens suffi-
» cere per nuntium aut scripto confiteri,
» et eodem modo nuncio vel scripto ab-
» solvi? nullam sane : in quo sensu dicit
» plures Thomistarum ita sentire. Constat
» ultimo bene dixisse P. Fagundez citatum
» ab ipsa R. P. F. Joanne Baptista Gonet
» hanc opinionem de licita et valida abso-
» lutione absenti impertita ex familia sancti
» Dominici ortam fuisse; neque in hoc
» P. Fagundez ullam calumniam PP. Do-
» minicanis intulisse; sicut neque illam
» intulit P. Ægidius De Coninck de sacra-
» mento pœnitentiæ disp. 4, dub. 10,
» num. 68, ubi dicit hanc sententiam videri
» olim fuisse valde communem inter Tho-
» mistas. Quia autem aliqui in ecclesia Dei
» utebantur, seu abuntebatur hac opi-
» nione, sui errore, edidit summus ponti-
» fex Clemens VIII prædictum decretum
» ut talem abusum omnino removerent et
» extinguerent. »

3 Postquam autem hoc decretum Romæ promulgatum est, intra breve tempus, scilicet sexta die Septemb. ejusdem anni 1602, ad manus meas pervenit Conimbricæ, ubi degebam. Quo eodem tempore quartum de pœnitentia tomum typis mandabam, jamque fere finitum habebam, librosque per Castellam et Lusitaniam distribuere inceperam; et licet liber nondum esset aliis communicatus, eo quod ejus initium non esset excusum, tamen intra triduum perficiendus et evulgandus erat. Recepto autem pontificis mandato, quamvis opinionem, quam ipse damnabat, ego etiam in meo libro reprobarem et quam ipse approbavit ego amplecterer; quia tamen necessarium fuit gradum certitudinis a sanctissimo declaratum nostris scriptis adjungere, id quanta potui fidelitate, obedientia ac celeritate præstiti in disp. 19, sect. 3 ejusdem tomi, ita ut liber ad nullius manus perveniret, nisi juxta pontificium mandatum emendatus.

ADDITIO II AD NUM III.

« Quod P. Franciscus Suarius nihil scri-
» psisset contra doctrinam decreti Clemen-
» tis VIII, patet ex loco cit. de pœnit.
» disp. 19, sect. 3, num. 1 et præsertim a
» num. 7. Quod autem ejus doctrina num-
» quam a Clemente VIII fuisset damnata,
» ostendit doctus et A. P. F. Ludovicus
» Caspensis in suo Cursu theologico tom. II,
» tr. 24, disp. 4, sect. 22, num. 190. »

4 Contigit autem, ut inferius in eodem libro disp. 21, sect. 4, quæstionem aliam longe diversam disputarem. An scilicet absolvi possit infirmus, qui cum confessionem postulasset et signa pœnitentiæ edidisset, prius sensum omnem amisit, quam sacerdos ad illius præsentiam pervenisset. In qua quæstione sententia mea fuit, absolvendum esse hujusmodi ægrotum a sacerdote præsente, ex testimonio nuncii et circumstantium, quando sacerdos præsens nullum novum pœnitentiæ signum ab eo potest obtinere propter ægritudinis impedimentum et instantem necessitatem. Quia vero in eo casu videbatur ex parte pœnitentis facta confessio in absentia sacerdotis, unde timeri poterat, ne ex hac parte decretum pontificium huic meæ locutioni repugnaret, illud his verbis interpretatus sum : *Existimo tamen non fuisse mentem sanctissimi de hac opinione tractare, sed solum de illa, quæ dicit sacramentum pœnitentiæ posse perfici ac consummari inter absentes. Atque ita illam particulam*, et, *non esse divisive, sed complexive sumendam : et præcipue illud damnasse propter eos, qui dicebant absolutionem posse dari in absentia. Moveor tum ex circumstantiis litteræ, nam si aliud voluisset, potius id explicasset per particulam*, vel. *Item hoc clare indicat illud singulare signum demonstrativum :* Hanc propositionem; *nam ex eo constat solam hypotheticam propositionem per modum unius damnari. Tum præterea quia illa erat controversia, de qua tractabatur. Tum denique quia illa sola opinio est aliena*

ab usu ecclesiæ : hæc autem est illi et decretis conformis. Nihilominus declarationem hanc ejusdem pontificis censuræ subjicio, sicut cætera omnia, quæ tam in hoc, quam in cæteris operibus meis continentur.

3 Contra hanc igitur interpretationem objectio aliquorum orta est, qua me partim malæ doctrinæ, partim audaciæ, vel imprudentiæ reprehenderunt. Primo enim objiciunt, quia si pontifex de confessione et absolutione conjunctim loquutus est, sequitur absolutionem solam posse dari pœnitenti absenti, qui prius confessus fuit in præsentia sacerdotis et casu aliquo sine absolutione recessit, ut quidam dixerunt posse fieri, quando sacerdos invalide absolvit ex defectu jurisdictionis : nam obtenta postea jurisdictione putabant posse iterum dare absolutionem validam pœnitenti absenti et nihil de re illa cogitanti. At hoc consequens absurdum est, ergo et nostra interpretatio. Sequela patet, quia tunc non ministratur totum sacramentum, ut constans ex utraque parte personæ absenti, sed tantum altera pars : ergo non est prohibitum per decretum pontificium juxta meam interpretationem. Secundo objiciunt, etiamsi expositio probabilis esset, non debuisse me illam evulgare inconsulto pontifice, cum illius sit legem interpretari, cujus est condere.

ADDITIO III AD NUM. IV ET V.

« Pro explicatione P. Suarez ad decre» tum Clementis VIII, nihil hic addere ex » meo statui, sed tantum transcribere, quæ » doctissimus P. Mattheus de Moya nostræ » Societatis scribit in suis selectis quæ» stionibus, tr. 3, de sacramento pœnit. » disp. 6, quæst. 2, agens de absolutione » moribundi, quando testis in absentia in» firmi notificet confessario pœnitentiæ » signa ab illo data; ubi cum veriori sen» tentia resolvit posse confessarium jam » præsentem absolvere talem moribun» dum; pro quâ num. 2, citat 30 fere au» ctores quorum non pauci sunt ex illu» strissima familia Dominicana.

» Occurrens igitur P. Moya objectioni, » quæ pro contrario sententia fieri poterat » ex decreto Clementis VIII, sic ait num. 11 » ad decretum seu declarationem Clemen» tis VIII, damnantis propositionem illam, » licere per litteras, seu internuncium » confessario absenti sacramentaliter con» fiteri et ab eodem absente absolutionem » obtinere. Respondet Aversa, quem cita» tum sequitur M. Joannes Martinus del » Prado, tom. posthumo de pœn. quæst. 3, » de qualitate et modo sacramenti confes» sionis, dub. 2, num. 49, Clementem VIII » simul intendisse damnare copulativam » confessionem et absolutionem absenti col» latam; confessionem vero divisam, confes» sario absenti factam, non pro omni casu, » sed tantum quando nulla urgente necessi» tate fit. Alii vero inquiunt pontificem non » damnasse propositionem illam in sensu » divisivo, utramque ejus partem determi» nate attingente, sed in copulativo propter » absolutionem absentis. Hanc expositio» nem primus adhibuit P. Suarez tom. IV » in 3 partem, disp. 21, sect. 4, num. 10, » quem sequuti sunt Filliucius, Villalbos, » Becanus et tamquam probabilem eos ci» tans Diana 3 part., tr. 3, resol. 7; Castro» Palao tom. IV de pœnit. tr. 23, punct. 3, » num. 8 et punct. 8, num. 9, pro se re» ferens Cerolam, Valentiam et Reginal» dum; quibus adde Marcum Vidal. in Arca » Vitali tr. de pœnit. num. 19, fol. mihi » 427 et num. 61, fol. 430 et num. 98, » fol. 450; Martinum de S. Joseph in » Monit. confess. tom. I, lib. 1, tract. 6 de » pœnit. num. 6; Ludovicum Caspensem, » et alios. P. Bardi in Select. moral. lib. x, » quæst. 13, num. 39 et 40; Tamburin. » in Methodo expeditæ confessionis lib. II, » cap. 10, § 1, num. 13; Dicastillo de » pœnit. disp. 9, dub. 8, num. 840 et in » eamdem veniunt Aversa et Prado supra » dub. 2, num. 49.

» Dices præfatam expositionem jussu » Clementis VIII expunctam fuisse in » P. Suarez. Ergo et in reliquis, qui post » ipsum scripserunt, expungenda est, non » defendenda. Respondeo Clementis decre» tum non ob illius (expositionis) falsi» tatem, sed ob aliud longe diversum » motivum prodiisse : quo proinde lapsu » temporis cessante, expositio primo adhi» bita invaluit et in novis editionibus fuit » restituta. Quodnam fuerit? non conve» niunt doctores. Quidam censent exposi» tionem illam eo expungi mandatam, » quod pontifex ægre tulerit nostrum Soa» rium ipsius decretum statim eo vivente » interpretatum fuisse. Ita cum aliis Bardi » in Selectis lib. x, quæst. 13, num. 39

» et 40. Alii quia Soarium tentavit suadere » expressionem voti confessionis aut con- » tritionis, nullo peccato expresso, sive per » literas, sive testimonio proprio vel alieno, » sacerdoti absenti factam, esse materiam » omnino certam urgente necessitate, cum » tamen dubia sit. Ita Vincentius Baronius » 1 part. Theol. moral. contra Caramuelem » disp. 1 sect. 4, § 2 et ultimo fol. 40 et 45; » (sed quidem nullum apud Soarez hujus » omnimodæ certitudinis ab eo adstructæ » argumentum reperitur, nec ille suam » sententiam, ut omnino certam, sed ut » sibi probabiliorem edidit). Alii quia non- » nulli mentem Soarii non callentes præ- » fatam confessionem extra casum etiam » necessitatis licitam ab illo existimari falso » injungebant. Quapropter pontifex, dum » res magis non explicaretur, suo decreto » comprimi oportere censuit, ut refert » Aversa, teste Baronio fol. 44.

» Cæterum genuina ratio prohibendi ex- » positionem P. Soarii, qua pontificem » in sensu copulativo, non in divisivo pro- » positionem illam damnasse interpretatus » est, alia non fuit, quam quorumdam te- » merarium ausum cohibere, qui hac ex- » positione permissa contendebant, ex illa » evidenter aut saltem valde probabiliter » deduci singulas propositionis copulativæ » partes divisive defendi posse, non obstante » decreto Clementis, ac proinde nulla cen- » sura effectam fuisse aliquorum opinio- » nem, (quos referam infra quæst. 7, » num. 4,) asserentium licitum esse in » casu necessitatis absentem absolvere, si » in præsentia confessus fuerit. Sicut licet » absenti confiteri, dum in præsentia ab- » solutio conferatur : et validam esse abso- » lutionem ab absenti collatam, sicut et » confessionem absenti factam; quam qui- » dem opinionem æque damnatam decla- » ravit pontifex, ac quæ integrum sacra- » mentum inter absentes confici posse » defendebat. Cui dum primum innotuit » patrem Soarez non contravenisse, quia » absolutionem in absentem in nullo casu » licitam, imo nec validam post decretum » Clementis admisit, ejus expositio com- » muni plausu recepta fuit et in commu- » nem utilitatem operibus restituta et ab » aliis ut probabilior admissa.

» Hæc si pacato animo (addit P. Moya) » omnes legissent, nil in eximio doctore, » quod morderent invenissent, sicut nec in » aliis, qui hanc expositionem amplexati » sunt, quam eisdem fere verbis tradit Fil- » liucius tom. I, tr. 7 de sacram. pœnit. » cap. 1, quæst. ultim. Cui tamen novis- » sime doctrinam damnatam enormiter » imposuit neotericus quidam apud Lu- » dovicum a Conceptione tom. II Examin. » disp. 1, sect. 1, litera A, num. 9. Sed a » tanta calumnia ipsemet Filliucius ex- » pressis verbis se purgavit in eodem tr. 7, » cap. 5, num. 122, ubi loquens de casu » necessitatis, inquit : Ut diximus cap. 1, » quæst. ultima, in tali casu satis est con- » fessio in absentia, modo absolutio sit in » præsentia; quod expressius tradiderat » tr. 5, cap. 4, num. 80 et 81, dicens non » posse absolutionem sacramentalem ferri » in absentem et contrariam sententiam » esse falsam et improbabilem. Quid cla- » rius? Huc usque doctissimus P. Moya : » cui ad rem præsentem nihil superaddi » duximus.

» Quod attinet ad dicta num. 5, patet » ex dictis in hac Additione in nullo casu » posse absolutionem conferri pœnitenti » absenti, neque contrarium inferri posse » ex doctrina eximii Soarii. Vide quæ ipse » hic dicat num. 19. »

6 Ut nostra responsio evidentior sit aperiam prius fundamentum et radicem utriusque objectionis. Utrique facillime et ut spero plenissime satisfaciam, ac tandem omni animi submissione ac humilitate sanctitatis vestræ judicium et justitiam simul cum favore et gratia efflagitabo. Aliqui ex modernis theologis male ferunt sententiam asserentem, in casu illo extremæ necessitatis absolvendum esse pœnitentem infirmantem, eo quod pauci et non admodum antiqui scriptores eam non duxerint admittendam, quorum præcipui sunt Soto in 4 et Cano in relectione de pœnitentia. Illi quoad hanc partem non fundantur in eo, quod pœnitens sit absens, quando confitetur, sed in hoc potius, quia putant nullam ibi intervenire confessionem, vel non sufficientem : quia sola signa contritionis, vel non sunt confessio, vel adeo generalis, ut ad absolutionem non sufficiat. Igitur ut hanc suam sententiam mordicus defendant, interpretationem nostram arguere conati sunt; sic enim obtinere putant, ut per hoc decretum sententia illorum confirmata esse videatur.

ADDITIO IV AD NUM. VI.

« Quod aliqui auctores præsertim Domi-
» nicani sentiant non esse absolvendum mo-
» ribundum, qui licet edat doloris signa et
» absolutionem nutibus petat a confessario,
» si tunc nullum peccatum in particulari
» exprimere et significare potest, tradunt
» Diana part. III, tr. 3, de absolutione mo-
» ribundi, resp. 1, ubi dicit ita sentire fere
» omnes Thomistas recentiores, Sotum,
» Canum, Lopez, Conradum, Medinam,
» Rugnum, Alvarez, Coquetium, Avi-
» lam, etc.; quibus adde Ledesmam, Pe-
» trum Tay et Candidum apud P. Moyam
» tr. 3, disp. 6, quæst. 1, num. 1; quorum
» fundamentum est, quia putant hujusmodi
» signa, absque expressione alicujus peccati
» satis in specie non esse confessionem (falso
» tunc, ut videre est apud Dianam loco
» citato et apud Leandrum tr. 5 de pœnit.
» disp. 5, quæst. 38 et alios quamplures
» penes ipsos). Ex hac sua sententia colli-
» gunt hi Thomistæ a fortiori non esse
» absolvendum a confessario, licet jam præ-
» senti, moribundum, qui in absentia con-
» fessarii doloris signa edidit, confessio-
» nemque postulavit, si peccatum non
» expressit, idque non præcise quia petiit
» in absentia confessarii, sed etiam quia
» putant eam petitionem confessionis non
» esse confessionem, vel saltem non esse
» sufficientem. Videatur Diana proxime ci-
» tatus resp. 4 et Leander, ubi proxime
» quæst. 43; ubi hanc sententiam referen-
» tes, contrariam cum Cor. prorsus tenen-
» dam judicant; plures doctores citabimus
» additione sequenti.

» Cum autem recentiores Thomistæ sibi
» persuaderent prædictum decretum Cle-
» mentis suæ favere opinioni, quoniam pro-
» hibendo confessionem et absolutionem in
» absentia, videbatur etiam prohibere ab-
» solutionem moribundi in prædicto casu,
» ideo contra patrem Soarium asserentem
» talem moribundum posse absolvi, invecti
» sunt, tamquam in violatorem prædicti
» decreti. Suæque opinioni tenacius adhæ-
» serunt, ac si pontifex in illo decreto etiam
» definiisset illam petitionem confessionis
» in moribundo non esse veram et sacra-
» mentalem confessionem sufficientem ad
» obtinendam absolutionem a sacerdote
» adveniente; quam tunc esse sufficientem,
» tam auctoritate extrinseca doctorum,
» quam intrinseca rationis, aperte hic de-
» monstrat pater Soarez. »

7 Ego vero priorem, quam tenui sententiam, non solum communem doctorum, verum etiam certam et ecclesiasticam doctrinam esse censeo, ejusque fundamenta in brevem summam hic redigam, ut constet manifeste, quam fuerit necessaria nostra interpretatio. Fundamenta igitur sunt in primis gravium doctorum auctoritas, ex quibus retuli in dicto tomo IV Scotum, Sylvestrum, Angelum, Cordubam et cardinalem Toletum. Eisque nunc addo D. Thomam opusc. 65, cap. de sacramento Unctionis; ubi sic inquit : Si infirmus, qui petit unctionem amisit notitiam vel loquelam, antequam sacerdos veniret ad eum : nihilominus ungat eum sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari, et a peccatis absolvi; ut exstat tit. de baptismo, cap. *Majores;* Medinam Cod. de confessione, tit. II, quæst. de absolutione ab oblitis in fine; Antoninum III part., tit. X, cap. 2; Fabium in Scrutinio sacerdotali, II parte, tit. IV; Hostiensem in Summa, lib. V, tit. de pœnitentia et remiss. § Quando confitendum; Ascensum in Summa, parte II, lib. V, tit. XVI versus finem; Guidonem in Manipulo confessorum, tract. 11, part. IV, cap. 9 in Venetica impressione anni 1480; Driedonem de Captivitate et Redemptione generis humani, tract. 4, cap. 2, part. VIII, memb. 1; Ruardum in art. 3 contra Lutherum § complectitur et ex scriptoribus Societatis præter cardinalem Toletum, idem sentit cardinalis Bellarminus tom. VIII Controversiarum juxta veterem editionem, lib. II, de effectu sacramenti cap. 8, ratione 1; Gregorius de Valentia III part., disp. 7, quæst. 11, puncto 1, § primus casus; Gabriel Vasquez 1, 2, disp. 12, cap. 7, num. 40.

ADDITIO V AD NUM. VII.

« Præter auctores, quos P. Soarius
» num. 7 allegat pro sua sententia, asse-
» rente posse absolvi moribundum, qui
» cum confessionem postulasset, prius sen-
» sum amisit, quam adveniret confessarius,
» dabo alios quamplures eidem sententiæ
» merito adhærentes. Sic igitur dantur ex
» Thomistis Paludanus, Sylvester, Joannes
» de la Cruz, M. Gallego, M. Prado, M. Ca-
» salaz, quos refert et sequitur P. Moya

» nostræ Societatis tr. 3 de pœnitentia » disp. 6, quæst. 1, num. 4. Ex nostra » Societate eamdem sententiam post Soa- » rium tom. de pœnit. disp. 19, sect. 3 et » disp. 21, sect. 4, sequuti sunt P. Regi- » naldus, P. Coninck, P. Filliucius, P. Fa- » gundez, P. Toletus, P. Becanus, P. Sâ, » P. Enriquez, P. Layman, P. Lugo et alii, » quos citat et sequitur Diana III part., tr. 3, » resp. 4; ubi dicit esse communem in schola » patrum Societatis Jesu; Leander tr. 3, » disp. 3, quæst. 43; quibus adde P. Esco- » bar, lib. XIII, problemat. 49, P. Soarium » Lusitanum de pœnit. tr. 4, disp. 2, » num. 104, Amadæum tr. de pœnit. pro- » positione 19. Jam vero ex aliis Naldus, » Megala, Molfesius, Poncius, Thomas, a » Jesu, Chapeavila, Zambranus, Pharao- » nius, Corduba, Pitigianus, Sylvius, Mon- » tesinus, Ludovicus de S. Joanne, Corio- » lanus, Bellochius, Antonius de Literatis, » quos citatos etiam reperies apud eum- » dem Dianam cit. resp. 4. »

8 Præcipuum vero hujus doctrinæ fundamentum est pontificum ac conciliorum definitio et declaratio. Præcipua omnium est Leonis primi in epist. 89 alias 91; cujus verba retulit Gratianus in cap. *His qui* 26, quæst. 6 et latius in cap. *Multiplex* de pœnitent. dist. 1; qui textus integre legendus est; nam ex principio illius manifeste constat pontificem loqui de sacramento pœnitentiæ et absolutione sacerdotis. Sic enim inquit : *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ; ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent; sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Jesus Christus hanc præpositis ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent, et eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Postea vero prosequitur docens remedium hoc pœnitentiæ durante hac vita esse recipiendum : *Nam qui manens in corpore* (ait) *illud non receperit, consequi exutus carne non poterit.* At vero durante vita in quacumque necessitatis instantia, in quocumque repentino mortis periculo dicit esse ministrandum : *Etiamsi amisso vocis officio per sola indicia integri sensus postuletur.* Ac tandem concludit : *Quodsi ægritudine aliqua ita fuerint gravati, ut quod paulo ante poscebant sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequantur.* Constat igitur nomine pœnitentiæ et reconciliationis etc. intelligere Leonem sacerdotis absolutionem. Quam enim aliam pœnitentiam aut reconciliationem potest homo nihil sentiens, nec intelligens consequi a sacerdote? Nec enim potest sacerdos præbere infirmo internum dolorem, aut personalem (ut sic dicam) pœnitentiam : ergo debet conferre sacramentalem, quæ ex parte sacerdotis nihil aliud est quam absolutio. Sacerdos etiam, supposito baptismo, non aliter reconciliat hominem Deo efficaciter, nisi absolvendo illum : et forte Paulus propter hanc potestatem sacerdotum dixit 2 Corinth. 5 : Posuit in nobis verbum reconciliationis. Et iterum : Dedit enim nobis ministerium reconciliationis; quamvis enim hæc de verbo et ministerio prædicandi reconciliationem factam per Christum soleant exponi. Et in præsenti non habet locum prior reconciliandi modus, quia persona in tali necessitate constituta non est capax prædicationis. Loquitur ergo pontifex de efficaci reconciliatione per absolutionem a peccatis.

In 4 concil. Carthag. can. 76 definitur idem, quod dicit Leo primus papa.

9 Nullo ergo modo potest hic textus de reconciliatione cum ecclesia, quæ fit per absolutionem ab excommunicatione, declarari, ut quidam volunt. Tum quia expresse loquitur pontifex de reconciliatione ad Deum, qua indiget homo præcise ratione lapsus post baptismum. Unde cum proportione hanc reconciliationem cum illa, quæ per baptismum fit, comparat. Tum etiam quia pontifex generaliter loquitur de quocumque lapso post baptismum et indigente pœnitentia, et non tantum de excommunicato. Tum denique quia dicit eum, qui a præsenti vita excedit, priusquam ad constituta remedia perveniat, non posse post hanc vitam consequi, quod manens in corpore non accepit : at vero absolutio ab excommunicatione potest suo modo etiam post mortem dari; cap. *a nobis* 2 de sentent. excomm.; non ergo loquitur Leo papa de absolutione a censura.

10 Et eisdem rationibus facile refelluntur, qui ad pœnitentiam solemnem seu publicam et ceremonialem tantum hæc verba detorquent. Quia hæc etiam solemnis pœnitentiæ remissio non erat indifferenter necessaria omnibus lapsis, sicut est sacramentalis reconciliatio sacerdotis et præsertim non est necessaria ad reconciliationem cum Deo, nec per se servat illam proportionem cum baptismo, quam ibi Leo diligenter expendit, possetque in rigore etiam post mortem concedi his, qui signa contritionis prius exhibuerunt. Ac denique non dixit homines admitti ad hanc pœnitentiam et reconciliationem quocumque tempore hujus vitæ, etiam extremo : quia ecclesia est benigna, aut misericors, sed dixit : *Quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio.*

11 Tandem ob easdem rationes audiendi non sunt, qui cum fateantur loqui Leonem de absolutione sacrmentali, ajunt non loqui de omnibus fidelibus in hoc articulo necessitatis constitutis et in eo absolutionem cum signis contritionis prius petentibus, sed de illis tantum, qui sacramentaliter confessi fuerant in præsentia sacerdotis et priusquam absolverentur in eas angustias inciderunt. Nam in primis hæc limitatio nullum in verbis Leonis fundamentum habet. Deinde repugnat aperte eidem sic scribenti in originali epistola : *Unde oportet unumquemque christianum conscientiæ suæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat : nec satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ constituat, quia periculose hac se conditione fragilitas et ignorantia humana concludit ut ad paucarum horarum se reservet incertum : et cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis.* Ubi evidenter loquitur generatim et indifferenter de omnibus peccatoribus et specialius de his, qui totam pœnitentiam, etiam contritionem et confessionem usque ad finem vitæ differunt. De quibus concludit : *Verum (ut dixi) etiam talium necessitati ita auxiliandum, ut nec actio illis pœnitentiæ nec communionis gratia denegetur, si eam, etiam amisso vocis officio, per indicium integri sensus quærere comprobentur.* Et postea subjungit. Verba supra citata, quibus hoc negotium urget ad eum casum, in quo talia signa non dantur in præsentia sacerdotis, et tunc ait adstantium testimonia sic pœnitentibus prodesse debere, *ut pœnitentiæ et reconciliationis consequantur beneficium.*

12 Est ergo hæc clara et indubitata Magni Leonis definitio; cui alia plura decreta concordant, quæ in dicto loco IV tomi retuli. Sententiam vero Augustini hic prætermittere non possum lib. 1 de adulterin. Conjug. cap. ultim. Ubi cum dixisset loquens de adulteris : *Cum salvos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum, tamen si desperati et intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur.* Et subdit inferius : *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire vult mater ecclesia.* Propter quæ Driedo loco citato dixit : *Hæc est antiqua ecclesiæ consuetudo, secundum quam baptismi, pœnitentiæ seu reconciliationis beneficia etiam eis dantur, qui in articulo mortis sunt usu vocis et rationis privati, si astantium testimoniis constiterit, eos propositum habuisse, et paulo ante postulasse.* Et cardinalis Toletus dixit expresse hoc docere canones, indicatque esse propriam consuetudinem ecclesiæ Romanæ, dum allegat Sacerdotale romanum hoc præcipiens; et similem consuetudinem ex Manuali Burgensi refert Cordula.

13 Atque hoc posset esse tertium et sufficiens hujus sententiæ fundamentum, sumptum nimirum ex ecclesiæ consuetudine, quæ et sanctorum patrum et doctorum testimonio comprobatur et ipso rerum usu et experimento fere nota est.

14 Ultimum hujus veritatis fundamentum ex ratione petendum est; sed hæc res pendet ex Christi institutione per ecclesiam proposita et declarata. Unde tota ratio, quæ in hac materia reddi potest, reducitur ad prædicta decreta et traditionem ecclesiæ explicantis potestatem a Christo datam. Ut autem hæc ratio magis declaretur, respondendum est ad rationem, quæ doctores aliter sentientes movit, scilicet in eo casu non intervenire confessionem, ideoque nec posse absolutionem dari. Dixerunt ergo

aliqui, ut Ruardus refert, essentiam sacramenti pœnitentiæ in sola absolutione consistere; et ideo, licet per se et ordinarie confessionem requirat in extrema necessitate, posse sine illa ministrari. Quod si hæc sententia vera esset, facili negotio expediremus difficultatem aliam ex novo decreto sanctissimi D. N. Clementis VIII subortam. Nam si in hoc casu nulla præcedit, dici non potest confessio facta in absentia sacerdotis; sed potius ob illius absentiam nullam confessionem esse factam et nihilominus ob necessitatem dari sacramentum hoc per solam absolutionem. Absit tamen, ut quispiam putet sanctissimi D. N. decretum cogere nos, ut vel a Leonis pontificis sententia recedamus, vel in hanc non minus periculosam scholam incidamus. Sententia enim hæc absurda est et a decretis conciliorum et ratione omnino aliena; tum quia sacramentum novæ legis constare non potest sine materia et forma juxta doctrinam concilii Florentini : confessio autem est materia sacramenti pœnitentiæ juxta doctrinam ejus concilii et Tridentini, estque maxime necessaria, quia interior contritio, sine exteriori confessione non potest componere sacramentum sensibile; tum etiam quia hoc sacramentum perficitur per modum judicii : ubi autem accusatio non præcedit, non potest perfici judicium, nec vera sententia proferri : igitur si in prædicto casu vere potest dari absolutio, ut re vera potest juxta definitionem Leonis, necesse est, ut intelligatur supponi sufficiens confessio.

15 Quod autem hoc ita sit, declaratur in hunc modum. Nam duplici ex capite existimari potest non præcedere ibi sufficientem confessionem : primo quia solum fit in generali de peccatis : nam qui solum petit confessionem et indicia pœnitentiæ præbet, licet significet se peccasse, nullum tamen peccatum in specie indicat, illa autem generalis accusatio non videtur sufficiens materia hujus sacramenti. Atque ita videntur sensisse Soto et Cano, cæterique moderni, qui proinde non fundantur in hoc, quod confessio sit in absentia sacerdotis, sed solum in generalitate materiæ. Quapropter si ægrotus ostenderet dolorem alicujus peccati in particulari non haberet locum hæc ratio et procederet definitio sancti Leonis. Verumtamen quia Leo papa absolute et indefinite loquitur de signis pœnitentiæ, dicendum est, illam generalem confessionem in eo casu esse sufficientem materiam, quia est vera accusatio et manifestatio dolorosa conscientiæ : et licet tunc non sit de omnibus peccatis in specie, est formaliter integra, quia est quanta esse potest in illo articulo, ut late in prædicto tomo IV ostendi.

ADDITIO VI AD NUM. VIII USQUE AD XV.

« Fundamenta pro sententia affirmante » absolvendum esse prædictum moribun- » dum a sacerdote præsente, quamvis sal- » tem in ejus absentia doloris signa exhi- » buisset, expendit hic P. Soarez ea qua » solet eruditione; ita ut nihil super » addendum restet. Ejus mentem circa » intelligentiam cap. *His qui* 26, quæst. 6 » et capite *Multiplex* de pœnitentia dist. 1, » sequuti sunt supracitati auctores. Lege » P. Cardinalem de Lugo de pœnitentia » disp. 17 a num. 53 usque ad num. 60. » Ubi late ostendit in iis textibus præcipi » absolvendum esse sacramentaliter prædi- » ctum moribundum. Confirmatur id ex » synodo Visensi in Lusitania anni 1617, » præcipienti, ut is *ad quem jam plene sopi- » tum sacerdos pervenit, absolvatur, si qui » affuerunt, cum is sui compos esset, testen- » tur quod petierit confessionem.*

» Alterum non minus efficax hujus sen- » tentiæ fundamentum sumitur ex Rituali » Romano Pauli V, edito anno 1615, in » ritibus de sacramentis pœnitentiæ §. *Si » inter confitendum, vel etiam antequam » incipiat confiteri*, vox et loquela ægri de- » ficiat, desiderium confitendi sive per se » sive par alios ostenderit, absolvendus est.

» Neque audiendi sunt qui cum M. Co- « quetio et M. Petro Fay conati sunt aucto- » ritatem hujus Ritualis minuere, dicendo » illud privati doctoris opera esse confe- » ctum et illius auctoritatem non excedere. » Non, inquam, audiendi sunt, quia in Brevi » Pauli V, Romæ dato 17 Junii anno 1614, » dicitur illud Rituale a congregatione plu- » rium cardinalium specialiter ad id depu- » tatorum compositum fuisse, ordinatque » summus pontifex, ut omnes episcopi, » et archiepiscopi christiani ab omnibus pa- » rochis faciant inviolabiliter observari. » Videantur P. Moya tr. 3 de sacramentis, » disp. 6, quæst. 1, num. 7, P. Lugo de

» pœnitentia, disp. 17 a num. 45, usque » ad 52; ubi plenam auctoritatem hujus » Ritualis Romani stabilitam videbis, quam » P. Lugo, num. 49, confirmat exemplo ad » rem nostram efficaci et quod ab aucto- » ribus contrariæ sententiæ negari non » potest; nam habemus in Pontificali Ro- » mano a Clemente VIII edito ritum illum » inter alios, quo presbyteri, quando ordi- » nantur, consecrant eucharistiam simul » cum episcopo; de quo ritu dubitarunt » sæpe theologi, et Durandus non sine dif- » ficillimis argumentis ausus est dicere » esse illicitum et sacrilegum; hanc tamen » Durandi sententiam theologi communiter » dicunt esse temerariam et Mag. Nu- » gnus Dominicanus, tom. II in III parte, » quæst. 82, art. 2, dicit non posse licite » de illo ritu dubitari. Et merito, quia » ritus ille in Pontificali Romano approba- » tus et præscriptus est pro tota ecclesia. » Similiter ergo censendum est de eo, qui » diceret ritum præscriptum et approba- » tum in Rituali Romano a summo ponti- » fice pro tota ecclesia et ad cujus usum » summus pontifex hortatur omnes paro- » chos esse ritum sacrilegum et damnatum, » cum Paulus V profiteatur in dicta bulla » se eodem modo auctorem esse illius Ri- » tualis, sicut Clemens VIII auctor fuerat » Pontificalis. Quare eadem veneratione » suscipiendus est ritus in Rituali ac Pon- » tificali propositus. Hæc P. Lugo, qui loco » citato hanc rem doctissime prosequitur. » Nota hic P. Soarez non facere mentionem » hujus Ritualis in hac sua rosponsione ad » Clementem VIII, quia tunc non erat » editum tale Rituale, quod postea edidit » Paulus V anno 1615, ut dictum est. »

16 Secundo ergo potest illa confessio reputari insufficiens, quia non est facta in præsentia sacerdotis; et hoc contendunt nostri adversarii et delatores. Sed repugnant aperte definitioni Leonis, qui confessionem illam sic factam sufficientem existimavit. Quare posset quispiam negare illam fieri omnino in absentia sacerdotis : quia licet in principio, quando æger ille exhibet signa, sacerdos coram ipso non adsit, postea priusquam absolvat, habet illum præsentem et examinat, quantum potest illius dispositionem et inquirit, an forte possit aliquid percipere et innuere : per quam diligentiam videtur quasi consummari confessio in præsentia sacerdotis. Atque ita juxta hanc interpretationem, non esset necessarium aliam declarationem adhibere ad decretum sanctissimi D. N. quia juxta illam, nec confessio, nec absolutio fit in absentia sacerdotis. Verumtamen hæc consideratio, licet sit optima ad declarandum quomodo sacerdos in eo casu legitime suo munere utatur, non tamen vere explicat confessionem in præsentia. Quia examen illud et inquisitio, quam sacerdos facit in præsentia ægroti, non est confessio; quia ex vi illius nihil denuo pœnitens declarat. Unde Leo papa in prædicta epistola aperte supponit ægrotum nullum pœnitentiæ signum dare in præsentia. Ergo supponit nullam confessionem facere in præsentia sacerdotis, quia confessio sacramentalis est quoddam signum sensibile peccati commissi et pœnitentiæ interioris. Ut ergo confessio vere fiat in præsentia sacerdotis, oportet ut pœnitens ipse in præsentia sacerdotis per verba vel alios nutus signum aliquod suæ conscientiæ et accusationis exhibeat. Nec satis est, quod circumstantes præbeant testimonium signi prius exhibiti, ut dicatur pœnitens confiteri in præsentia sacerdotis, tum quia non sunt circumstantes, qui confessionem faciunt, sed infirmus per illos. Confessio autem est actus hominis utentis judicio et ratione, quem usum non habet infirmus, ut supponitur in præsentia sacerdotis : et ideo dici non potest in ejus præsentia confiteri. Nam quidquid facere potuit, id fecit in absentia confessoris; illud autem est, quod habet ibi rationem confessionis, seu quod constituit testimonium seu relationem aliorum in ratione confessionis : tum etiam quia non est necessarium, ut circumstantes dent testimonium in præsentia ægroti : quid enim, si aliqui incedentes per viam hominem, agentem animam et postulantem confessionem et exhibentem pœnitentiæ signa, inveniant, et pervenientes ad oppidum, clericum mittant, qui ab eo aliquam majorem confessionem extorqueat, si potuerit, sin minus absolvat : numquid in eo casu sacerdos ad ægrotum perveniens et nullum testimonium aut signum reperiens, non poterit illum absolvere? Plane poterit, quia quod testes præsentes adsint absolutioni impertinens est : ergo tunc illa confessio nullo modo potest dici facta in præsentia sacerdotis, quia nec signa infirmi, nec testificatio circumstantium facta sunt in præsentia

sacerdotis. Cogimur ergo fateri hoc non esse contra substantiam sacramenti, nec intrinsece malum, aut prohibitum. Quamvis, ut in citato loco adnotavi, secluso simili casu necessitatis extremæ, grave peccatum sit his vel similibus modis extraordinariis uti ad confessionem faciendam, etiamsi absolutio a sacerdote præsente conferenda sit. Quamobrem absurdissimum existimavi sanctissimo D. N. Clementi imponere, quod in eo casu confessionem sacerdoti præsenti fieri existimaverit.

ADDITIO VII AD NUM. XVI.

» Acquiescunt tandem aliqui ex PP. Dominicanis in eo, quod possit absolvi moribundus a confessario jam præsente, dummodo præsentes etiam sint testes, qui asseverent eum petiisse confessionem, dolorisque signa exhibuisse; sed moventur, quia in hoc casu testes sunt tuti interpretes pœnitentis, et cum jam confessarius sit præsens, fit confessio in præsentia, quin tamen testimonium detur in præsentia infirmi simul et confessarii : negant tunc absolvi posse, quando testes non sunt præsentes coram ægroto simul et confessario; sed hunc in absentia ægroti monuerunt de ejus dolore ac petitione confessionis, quando cum ipso confessario redirent ad pœnitentem, sensibus jam destitutum; negant, inquam, in hoc secundo casu posse absolvi, quia cum in eorum sententia confessio fiat, quando testes ut interpretes pœnitentis illius dolorem notificant confessario, si iste accedit solus ad pœnitentem sensibus destitutum, illumque absolvit, dabitur absolutio, quin præcedat confessio facta sacerdoti in præsentia ægroti; quod, inquiunt, est contra decretum Clementis. Videatur Diana III part., tr. 3 de absolutione moribundi, resp. 4 et 7.

» Patres vero Societatis cum communi et jam receptissima sententia docent non solum in 1° casu, sed etiam in 2° quando testes non sunt præsentes absolutioni, posse confessarium prædictum moribundum absolvere, idque probant efficaciter (præter ea, quæ ex prædictis textibus hic ponderat P. Soarius num. 8) ex Rituali Romano Pauli V, ubi absque ulla limitatione, aut distinctione dicitur : » *Si desiderium confitendi per se vel per alios ostenderit, absolvendus est.* Item ex Synodo Visensi a nobis supra citata, additione 6, ubi etiam non fit mentio de testimonio coram infirmo. Quod si aliquando fit mentio in prædictis textibus de testimonio adstantium, est quia ordinario talem ægrotum testes comitantur; non autem quod aliter non possit absolutio impendi. Et confirmatur, quia etiam ibi fit mentio de testimonio fidelium circumstantium; et tunc non opus est, quod testes sint fideles seu catholici, sed sufficiet quod sint infideles, dummodo sint fide digni : fit tamen mentio de fidelibus, quia hi solent christiano moribundo assistere : ergo similiter particula *circumstantium* intelligenda est de casu communiter contingente. Videatur P. Lugo de pœnit. disp. 17, num. 86. Hanc sententiam tenent Bonacina tom. III, disp. 2, quæst. 3, punct. 33, num. 4, dicens ita Romæ sensisse multos doctores. Eamdem probabilem sentit Diana III part., tr. 3, resp. 7 et part. VI, tr. 4, resp. 92 et part. XI, tr. 7, resp. 31; illam absolute sequuntur Filliucius, Henriquez, Valentia, Zambranus, Bardi, Posevinus, Villalobos, Aversa, Gamachæus, Pontius, Trudenx, Moura et alii; quos citant et sequuntur cardinalis Lugo disp. 17, de pœnit. num. 85, Amadæus tr. de pœnit. quæst. 19, Leander dp. s. disp. 5, quæst. 45, Tamburin. in Meth. lib. II, cap. 10, § 1, num. 13, Dicastillo de pœnit. disp. 9, dub. 9, num. 840, Moya tr. 3, de pœnit. disp. 6, quæst. 2, num. 2; qui num. 3, pro eadem sententia citat non paucos ex præclarissimo ordine Prædicatorum, nimirum M. Joannem dela Cruz, M. Joannem a sancto Thoma, M. Barnabam Gallego, M. Acatium, M. Prado.

» Neque dicas in hoc secundo casu, quando testes non sunt præsentes, fieri confessionem in absentia, quod videtur prohibitum a Clemente VIII; non, inquam, hoc dicas, quia jam additione 3 ex patre Moya ostendimus quomodo intelligendum sit decretum Clementis. Vel dicant cum patre cardinali de Lugo, disp. 17, num. 71, decretum Clementis intelligi de confessione speciali peccatorum, quæ ordinario modo fit de peccatis in particulari, non vero in nostro casu, in quo fit confessio generalis per signa con-

» tritionis et petitionem pœnitentiæ; et de » hoc casu loquitur D. Leo in prædictis » textibus et Rituale Romanum. Unde » nil obstat decretum Clementis.

» Adde quod illa diversa ratio, qua ni- » titur contraria sententia (nimirum in hoc » secundo casu, quando testes non sunt » præsentes fieri confessionem in absentia, » fieri vero in præsentia, quando præsentes a testes sunt interpretes pœnitentis) non » subsistit, ut bene notat cardinalis de » Lugo de pœnit. disp. 17, num. 68; quia » ad hoc, inquit, ut confessio quæ fit per » interpretem dicatur proprie et in rigore » fieri in præsentia confessarii, non sufficit » quod confessarius sit præsens, quando » interpres loquitur, sed etiam quando pœ- » nitens loquitur interpreti et manifestat » sua peccata. Ratio autem a priori est, quia » confessio est manifestatio, qua pœnitens » confessario manifestat sua peccata; sed » hæc manifestatio non est sola loquutio » interpretis, sed conflatur ex loquutione » pœnitentis ad interpretem et interpretis » ad confessarium; nam sola loquutio in- » terpretis secundum se non est loquutio » pœnitentis, sed prout procedit a pœni- » tente. Ergo si confessarius solum est præ- » sens, quando interpres narrat quod audi- » vit a pœnitente, non vero quando pœni- » tens committit interpreti, ut ea narret, » non fit confessio coram sacerdote, nisi » inadæquate. Unde licet non fiat tota con- » fessio tunc in absentia, fit tunc partialiter » in absentia atque adeo non fit tota in » præsentia.

» Et confirmatur exemplo matrimonii, » cui debet esse præsens parochus, quando » conjuges exprimunt suum consensum. » Unde si Matrimonium, prout contingere » potest, fiat per interpretem, eo quod pa- » rochus ignoret idioma contrahentium et » parochus audisset solum interpretem, ab- » sentibus vel tacentibus omnino conjugi- » bus, qui ante parochi adventum dixerunt » interpreti suum consensum, non esset » validum matrimonium; quia non expli- » caretur consensus coram parocho, sed » debet utrumque coram parocho fieri, » nempe loquutio contrahentium et expli- » catio interpretis. Ergo similiter ut con- » fessio fiat per interpretem coram sacer- » dote, debet pœnitens coram sacerdote se » accusare et interpres etiam illam accu- » sationem explicare.

» Unde infero, si matrimonium fiat co- » ram parocho per interpretem et parochus » non attendit, nec advertit quando con- » trahentes interpreti loquebantur et dice- » bant suum consensum, nec eorum gestus, » aut verba aliquo sensu percepit, non » sufficere quod audiat solum interpretem » ad valorem matrimonii, quia non est » præsens humano modo consensui per » contrahentes explicato. Similiter si con- » fessarius sit quidem præsens, sed nullo » modo advertit, aut sensu aliquo percipit » pœnitentem interpreti loqui, non fit illa » confessio sufficienter in præsentia confes- » sarii etc. Huc usque cardinalis de Lugo.

» Cum igitur talis pœnitens sensibus » destitutus non possit dici, quod confi- » teatur per interpretem in præsentia, licet » testes præsentes sint, quando advenit » confessarius et alioqui constet ex prædi- » ctis juribus illum debere absolvi, dicen- » dum est etiam debere absolvi, licet testes » non sint præsentes, quando confessarius » accedit, in utroque enim casu militat » eadem ratio, eadem necessitas et eadem » confessio generalis peccatorum, ad quas » circumstantias non extenditur decretum » Clementis, ut proxime dicebamus ex » cardinali de Lugo. »

17 Hinc tandem concluditur quam fuerit necessaria nostra declaratio, data ad decretum sanctissimi D. N. Clementis VIII; quia non posset alia via redigi in concordiam cum decreto Leonis. Certum est autem illa duo decreta, neque esse, neque esse posse inter se contraria. Quam vero fuerit illa declaratio conformis intentioni et verbis S. D. N. in ipsomet libro sufficienter ut existimo explicavi. Primo ex statu causæ et occasione, quam D. N. Clemens habuit ad pronunciandum hoc tempore illud decretum. Secundo ex verbis, quia non est usus particula disjunctiva, *vel*, sed conjunctiva, *et*, et non in plurali, sed in singulari damnat propositionem illam hypotheticam, licere confessionem et absolutionem fieri inter absentes. Tertio ex fundamento, quod in utroque casu est longe diversum; nam absolvere absentem est sine auctoritate ecclesiæ et contra usum ejus : absolvere autem præsentem ægrotum in illo casu, est juxta sacros canones et secundum ecclesiæ usum. Item absolvere absentem est contra debitum modum ministrandi sacramentum, quia non potest

tunc constare sacerdoti, an pœnitens perseveret in debita dispositione, nec an denuo peccaverit, imo nec an sit vivus. Quando autem absolvit præsentem, de omnibus his fit moraliter certus et per se ipsum examinat causam, quantum potest. Quod autem non possit notitiam conscientiæ habere per actionem aut verba ipsius pœnitentis, sed circumstantium, non obstat veritati sacramenti, quando alius modus possibilis non est, ut canones declarant; et fere idem contingit in confessione, quæ fit per interpretem, quam constat esse sufficientem : tunc enim confessor totam notitiam de conscientia pœnitentis comparat per testimonium interpretis et non immediate ab ipso pœnitente. Quid ergo mirum, quod in præsenti simile testimonium sufficiat?

18 Unde facile solvitur objectio, quæ primo loco fiebat inferendo ex nostra interpretatione sequi absolutionem posse dari pœnitenti absenti, si sola detur præsupposita confessione facta in præsentia. Respondetur enim negando sequelam; nam re vera consequens illud falsum est, et contra mentem pontificis; et ad hoc significandum et tacite excludendam hanc objectionem addidi in meo libro illa verba : *Et præcipue illud damnasse propter eos, qui dicebant absolutionem posse dari in absentia.* Quamvis enim pontifex formaliter, et expresse solum loquatur de toto sacramento pœnitentiæ, ut constante ex confessione et absolutione : considerandum est tamen fundamentum et totalis ratio illius resolutionis; quæ est, quia forma absolutionis non potest vere cadere in absentem quæ ratio locum habet in sola absolutione, quantumvis supponatur confessio præcessisse.

19 Deinde addo casum illum non esse moralem et involvere quamdam repugnantiam. Nam licet aliqua confessio præcesserit in præsentia, non potest illa esse materia sufficiens absolutionis dandæ personæ absenti. Quia necesse est, ut notabile aliquod tempus intercedat inter confessionem prius in præsentia factam et absolutionem postea dandam absenti : ergo jam ratione illius temporis confessio præcedens non est materia integra, ut in eam possit cadere absolutio. Item eo tempore potuit valde mutari conscientia et dispositio pœnitentis : quomodo ergo potest judex proferre sententiam ex vi præcedentis accusationis, cum ad absolvendam reum necessarium sit judicare ipsum esse dispositum et capacem absolutionis eo tempore ac momento, quo illi confitetur? At vero quoties absolvitur pœnitens a sacerdote præsente, sacerdos prius comparat notitiam de dispositione pœnitentis usque ad illud tempus, et examinat, quantum potest, non solum, an prius confessionem postulaverit et signa pœnitentiæ dederit, sed etiam quod in ea dispositione amisit judicium, ac sensum, atque adeo certus moraliter redditur, quantum necessitas patitur in illa dispositione perseverare. Est ergo ratio longe diversa.

ADDITIO VIII AD NUM. XVII, XVIII ET XIX.

« Ad numerum 17 nihil pene addere » oportet, cum ejus doctrina aperte con- » stet ex supra dictis, præsertim ex iis, » quæ additione 3 tradidimus ex patre » Moya, qui explicationem patris Soarii ad » decretum Clementis VIII approbat et com- » muni plausu suis operibus restitutam as- » serit. Ad objectionem, quam eximius » doctor num. 18 solvit, eamdem solutio- » nem adhibuerunt in posterum reliqui » doctores neoterici, qui in nullo casu » admittunt absolutionem in absentia; et » tunc fere omnes, ut vidimus, admittunt » in prædictis casibus necessitatis confes- » sionem in absentia sufficere ad obtinen- » dam absolutionem a confessario jam » præsente. Unde patet male deduci ab ad- » versariis illam sequelam et optime illi » occurrere hic magnum Soarium. Vide » etiam quæ diximus additione 3 in fine.

20 Superest ut alteri parti objectionis satisfaciamus, in qua non doctrina, sed prudentia nostra redarguitur et ideo minus necessaria videri posset responsio. Tamen ut in genere sinceritatem animi nostri aperiamus, illam omnino prætermittere noluimus. In primis ergo nec cogitavi, nec animadverti hanc potuisse esse materiam alicujus offensionis, tum quia semper existimavi esse munus proprium publici doctoris et scriptoris pontificia decreta et leges principum per alia decreta vel leges interpretari, quando id specialiter prohibitum non est : in hoc autem decreto id non inveni prohibitum. Tum etiam quia est frequenti usu receptum, ut etiam vivente pontifice decreta ejus ipso inconsulto a doctoribus exponantur, ut constat de bulla Cœnæ et de constitutionibus factis de illi-

gitimis, de abortibus, de agitatione taurorum, de muneribus a religiosis non conferendis et similibus; et ut alios omittam, D. Navarrus inter sua opera plures habet hujusmodi commentarios et præcipue in secundo tomo in fine late exponit extravagantem Gregorii XIII de datis et promissis, præmittens hæc verba : *Subjiciens omnia quæcumque dixero ejusdem sanctissimi D. N. (quæ summa est) censuræ.* Quibus profecto dissimilia non sunt, quæ post meam interpretationem ego subjunxi dicens : *Declarationem hanc ejusdem pontificis censuræ subjicio, sicut et cætera omnia, quæ tam in hoc, quam in cæteris meis operibus continentur.* Cum autem dicitur illius esse legem interpretari cujus est condere : vel intelligitur de interpretatione illa, quæ eamdem cum lege auctoritatem habitura est, vel de interpretatione, quæ casum aliquem excipit a lege contra verba legis. At vero quando interpretatio est constanea verbis legis, et aliarum legum vel canonum auctoritate juvatur, ab interpretibus dari potest, non expectato legislatoris judicio. Id enim et ipsi legislatori esset molestissimum, si in singulis dubitationibus, quæ in ejus canonibus occurrunt, ad ipsum recurrendum esset; et vix posset illo modo humana respublica gubernari; nec mysteria fidei possent a fidelibus doctoribus pertractari.

21 Addo præterea, quamvis maxime cuperem Romanam Sedem consulere, ejusque responsum expectare, priusquam resolutionem hanc et interpretationem typis mandarem, morali quadam necessitate compulsum, me id nullatenus facere potuisse. Quando enim pontificium decretum ad manus meas Conimbricæ pervenit prope initium mensis Septembris superioris anni, totum opus quarti tomi finitum et impressum habebam, et per Lusitaniam et Castellam mitti cœperat et intra paucos dies distribuendum erat, quoniam ab omnibus expectabatur. Ideoque sine magna infamiæ nota et scandalo ita retineri non poterat, ut per tres vel quatuor menses nemini communicaretur. Eo vel maxime quod iidem censores, qui mihi hanc audaciam objiciunt, Salmanticæ, Compostellæ et aliis in locis evulgare cœperunt, librum nostrum ab inquisitoribus detentum vel prohibitum esse, eo quod doctrinam censuræ pontificis contrariam contineret. Igitur, ut huic malo occurrerem, librum statim evulgare compulsus sum, nec præsentem reprehensionem timui : quia veritas ipsa, et soliditas, ac claritas doctrinæ omnem timorem fugavit. Putavique vel ex eo sinceritatem animi intelligi posse, quod simpliciter ac confidenter, omnique animi submissione in conspectu pontificis summi meum sensum proponerem, ejusdemque judicio illud submitterem. Sicut nunc etiam scriptum hoc subjicio. Humiliterque a V. Beatitudine postulo, ut si fortasse in re aliqua verum S. V. sensum non attigi, id emmendet ac corrigat : si autem tam sanctitatis vestræ, quam S. Leonis prædecessoris V. veram mentem assequutus sum, id sua auctoritate declaret atque confirmet.

SUB CENSURA.

ADDITIO ULTIMA AD NUM. XX ET XXI.

« Quod pater Franciscus Soarez in his » numeris refert non indiget ulla alia ex- » planatione aut additione; ejus enim » animi sinceritas adeo nota est ejus scri- » pta legentibus, ut facili negotio ei ad- » hibenda sit fides in sinceritate, qua de- » cretum Clementis VIII adhuc viventis » explicavit. Quod quidem a doctore pu- » blicæ academiæ, eoque famigerato, mi- » nime alienum videri debuit. Hæc satis » pro re adeo aperta. »

Sequendum est, quod determinavit Clemens VIII.

CAPUT I.

Quæstio theologica : Utrum sit de necessitate confessionis quod pœnitens immediate et per se ipsum revelet sacerdoti peccata sua.

Necessarium est per se loquendo, quod pœnitens immediate et per se ipsum, non vero per interpositam personam confiteatur sacerdoti. Num. 1.

Id non est de essentia sacramentalis confessionis. Num. 2.

An pœnitens moribundus, qui quando venit sacerdos non potuit edere signa pœnitentiæ, absolvi debeat, si illa dederat et confessionem postulaverat in absentia sacerdotis coram testibus referentibus

sacerdoti illa dedisse et confessionem postulasse. Num. 3.

Prima sententia negans quid stabiliat. Num. 4 *et* 5.

Secunda affirmat. Num. 6.

Argumenta ex decreto Leonis papæ a Num. 7.

Ex conciliis et sanctis patribus a Num. 15.

Ex consuetudine ecclesiæ. Num. 19. *Ex ratione. Num.* 20 *et* 21.

Hanc ultimam sententiam amplectitur auctor. Num. 22.

Satisfit remissive punctis contrariæ sententiæ. Num. 23.

Sententia auctoris neque canonibus antiquis, neque decreto Clementis VIII adversatur. Num. 24.

Duæ regulæ generales tamquam certæ statui possunt et de uno casu particulari est aliqua controversia.

1 Prima regula est, per se loquendo necessarium esse, ut pœnitens immediate et per se ipsum sacerdoti confiteatur, ac perinde illicitum esse et grave peccatum aliter confiteri per se loquendo. Hæc est certa et communis sententia, quæ sumitur ex antiquis canonibus, præsertim ex cap. *Quem pœnitet* et cap. *Multiplex* de pœnitentia, dist. 1 et ex cap. *Omnis utriusque sexus* de pœnit. et remiss. Item sumitur ex recepta ecclesiæ consuetudine, quam in re tam gravi voluntarie mutare illicitum est. Ratio etiam est clara, quia ille modus confitendi est per se necessarius ad debitam erubescentiam pœnitentis et plenam suæ conscientiæ manifestationem et sufficientem ac integram confessoris informationem.

2 Secunda regula est non esse de essentia sacramentalis confessionis, quod pœnitens immediate et per se loquatur sacerdoti, cum ei præsenti confitetur : quia quando confessor non intelligit idioma pœnitentis, tunc potest per interpretem ei confiteri. Hæc etiam regula est ab omnibus recepta : quia confessio per interpretem communi usu ecclesiæ probata est; in ea vero pœnitens immediate loquitur interpreti et per illum sacerdoti. Hic autem modus judicatus est ab ecclesia sufficiens, quando alius servari non potest, quia confessio ex vi institutionis hujus sacramenti non habet determinatum certum signum, tamquam essentiale. Unde licet per se debeat fieri per propriam vocem humanam, tamen si illa desit potest fieri per propriores nutus, aut alia signa. Unde, si hæc non sufficiant, potest etiam fieri per interpretem, per quem accipit sacerdos moralem notitiam, quam potest de conscientia pœnitentis; quam voluit Christus in eo casu sufficere propter necessitatem hujus sacramenti.

ADDITIO I AD NUM. I ET II.

« Non licet pœnitenti per se loquendo » confiteri per interpretem et aliter quam » per se ipsum immediate docet auctor » tomo IV in III partem, disp. 21, sect. 4, » num. 2 in fine; docet etiam Filliucius » tom. I, tract. 7, cap. 1, num. 16. Utrum » autem sit peccatum grave ex genere » suo, confiteri per interpretem, quando » pœnitens potest confiteri per se ipsum; » affirmat auctor loco allegato. Possunt pro » eadem sententia allegari auctores qui » docent esse peccatum grave confiteri sine » causa per nutus et scripta; si non est peccatum grave ex genere suo variare modum » confitendi per vocem humanam propriam, etiam erit peccatum grave si quis » variet modum confitendi per se ipsum » immediate sacerdoti, quod illi per se » ipsum immediate confiteri potest.

» Non est de essentia sacramenti confessionis quod pœnitens per se ipsum et » immediate confiteatur sacerdoti. Tenet » auctor citata sect. 4, num. 1; tenent etiam » Felliucius tom. I, tr. 7, cap. 1, num. 18; » Reginaldus in praxi lib. 6, num. 82; Lugo » de pœnitentia, disp. 15, sect. 5, num. 60; » communiter doctores, qui docent valere » confessionem factam per interpretem. »

3 Difficultas vero superest de particulari casu, in quo peccator repente constitutus in mortis periculo, signa pœnitentiæ coram testibus exhibet, confessionem postulat, et confessorem vocari jubet; postea vero, quando sacerdos venit, jam loqui non potest, nec signum aliud pœnitentiæ sacerdoti exhibere, an possit tunc ex testimonio circumstantium sacramentaliter absolvi. In quo dubio sunt duæ opiniones contrariæ. Prima negat posse dari absolutionem sacramentalem tali peccatori. Hanc tenuit Soto in 4, dist. 18, 92, art. 3; Cano, Relect. de pœnitentia part. v; Ledesma in 4, II part., quæst. 9, art. 3, dub. 2; Navarrus autem in Manuali cap. 26,

num. 27 et cap. 27, num. 269 sub distinctione respondet : nam si ægrotus ille aliqua peccata in particulari proferat, ut sacerdoti intimentur per circumstantes, si ipse jam sensu careat, tunc dicit posse sacramentaliter absolvi. Si vero tantum dederit signa contritionis, vel peccatorum in generali, tunc negat absolvi posse, sequutus in hoc Abulensem super cap. 16 Matt. quæst. 79.

4 Fundamentum hujus sententiæ est, quia absolutio sacramentalis non potest dari, nisi præcedat sacramentalis confessio : sed in eo casu non præcedit, ergo. Major certa est, tum quia absolutio sacramentalis est forma hujus sacramenti : forma autem sacramenti non potest applicari sine materia. Materia vero maxime necessaria hujus sacramenti est confessio, ut constat ex doctrina conciliorum Florentini et Tridentini. Tum etiam quia absolutio sacramentalis est judicialis sententia, ut definit Tridentinum sess. 14, cap. 1, 2, 3 et 6, et can. 9; judicialis autem sententia circa crimina ferri non potest, nisi præcedente accusatione, quæ in præsenti fit per confessionem. Unde concilium Tridentinum in dict. can. 9 sic definit : *Si quis dixerit non requiri confessionem pœnitentis,* ut sacerdos eum absolvere possit, anathema sit.

5 Minor autem, scilicet in eo casu non præcedere confessionem sacramentalem, præcipue probari solet, quia ibi solum interveniunt generalia signa contritionis relata ad claves solum per desiderium et petitionem peccatoris. Hoc autem satis non est, ut illa sit sacramentalis confessio. Primo quidem, quia confessio sacramentalis esse debet de peccatis in specie et non sufficit, quod sit peccatorum in genere, ut docuit Tridentinum sess. 14, cap. 5; per illa autem signa generalia contritionis, ad summum fit confessio peccatorum in genere. Secundo quia per illa signa non datur confessori major notitia conscientiæ pœnitentis, quam antea habebat : nam ex vi illorum signorum tantum cognoscitur illum esse peccatorem, vel interdum peccasse : quod de omnibus mortalibus notum est. Tandem qualecumque sit illud signum pœnitentis, sive sit in genere de peccatis, sive in specie, non fit ab ægroto in conspectu sacerdotis, ut supponitur : ergo ex hac etiam parte illa non est confessio sacramentalis.

ADDITIO II, AD NUM. III, IV ET V.

« Sententiam propositam num. 3, tenent » ultra auctores, ibi allegatos, Petrus Fay de » Sacramento pœnitentiæ, in additione ad » III partem Divi Thomæ, quæst. 9, art. 3, » disp. 3, ad 9 argumentum; Didacus Al- » varez in 12, disp. 80, per totam; Alphon- » sus de Leone Tract. de officio et potestate » confessoris tom. I, recollect. 6, num. 123; » Lavorius Tract. de Indulgentiis parte II, » cap. 10, num. 130; Coquetius in Dis- » sertat. de confessione per litteras cap. 7, » num. 21; Turrianus de Pœnitentia, » quæst. 9, art. 2, disp. 32, dub. 4. Citari » etiam possunt pro eadem sententia (casu » quod pœnitens nullum peccatum in » particulari dixerit) Ledesma, Conradus, » Medina et alii apud Lugo de pœnit. » disp. 17, sect. 1, num. 7; docent enim » non posse absolvi pœnitentem, qui solum » in genere confessus fuit, ut si solum dicat » peccavi, aut quid simile. »

Secunda opinio.

6 Nihilominus secunda opinio affirmat in eo casu esse absolvendum sacramentaliter pœnitentem. Hanc opinionem tenuit satis expresse Hostiensis in summa lib. v, tit. de pœnit. et remiss. §. *Quando confitendum est.* Vers. *confitendum est tempore sanitatis.* Ubi prius dicit non esse denegandam absolutionem a peccatis infirmo, etiamsi non possit ei imponi pœnitentia condigna : et loquitur evidenter de absolutione sacramentali, quam per propria verba ibi describit, et subdit : *Idem fieri debet, si dum missum fuit pro presbytero obmutuit, vel amens factus est, antequam presbyter veniret, dum tamen habeat de signis testimonium etc.* Hostiensem fere eisdem verbis, eumque allegando sequutus est Antoninus III part., tit. x, cap. 2 et Astensis in Summa, II part., lib. v, tit. XVI, circa finem et Angelus verbo *confessio* 4, num. 8 et Sylvester verbo *confessor* 3, quæst. 13, qui tamen sensum suum obscuriorem reddidit, addendo, quod *sacerdos absolvat generaliter.* Expressius docuerunt eamdem sententiam posteriores theologi et summistæ, ut late videre licet in Corduba lib. v de Indulgentiis quæst. 39, opin. 3; qui refert Joannem de Medina, qui satis clare id affirmat codice de pœnitentia, tractatu 2 de con-

fessione, quæst. 39, § ultimo; cardinalis Toletus in Instructione sacerdotum lib. III, cap. 8, ponit casum, dicitque canones expresse docere in eo casu esse ægrotum a peccatis absolvendum. Citatque canonem *ægrotantes* de consecrat. dist. 4 et cap. *Is qui* 26, quæst. 6; eamdem opinionem sequutus est Gregorius de Valentia tom. IV. Summæ theologiæ, disp. 7, quæst. 1, punct. 1 circa finem; ubi inter alia dicit hanc sententiam in praxi haberi probabiliorem. Et Gabriel Vasquez 1, 2, disp. 62, cap. 7, num. 48, non solum dicit licere sacerdoti uti illa, sed etiam debere id facere, quia est *opinio admodum probabilis, ne dicam* (inquit) *sacris canonibus definita.* Similiter Guido in Manipulo curatorum tit. I, part. IV, cap. 9, ad finem, dicit in eo casu debere ægrotum absolvi et communicari : idem sequitur Fabius Incarnatus in Scrutinio sacerdotali part. II, tractatu 4; ubi affert quamdam doctrinam, quam sumpsit ex brevi Summa Antonini, quam vocant : *Defecerunt;* eam vero quoad alia, quæ continet non probamus, neque nunc ea examinare necesse est. Præterea ex doctoribus, qui contra hæreticos antiquam doctrinam de sacramento pœnitentiæ collegerunt et pertractarunt, docuerunt illam sententiam expresse Marianus Victor in lib. de historia antiquarum pœnitentiarum fol. ultimo; et Driedo lib. de Captivit. et redempt. gener. human. tract. 4, cap. 2, part. VIII, memb. 1, in fine; et Ruardus art. 3 contra Lutherum; et cardinalis Bellarminus lib. III, de pœnitentia cap. 9, et lib. II, de effectu sacramentorum in genere cap. 8; qui hoc argumento probant sacramentalem absolutionem posse prodesse homini, qui nullum sensum habet, nec motum fidei tunc exercere potest.

Primum fundamentum ex decreto Leonis.

7 Hanc sententiam videtur satis expresse definiisse Leo papa in epistola 89, alias 91 ad Theodorum; cujus sententiam retulit Gratianus in cap. *His qui* 26, quæst. 6 et latius in cap. *Multiplex* de pœnitentia dist. 1. Verba Leonis, quæ ad rem præsentem maxime faciunt, sunt hæc circa finem epistolæ : *Quodsi vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequantur.* In quibus verbis expresse ponit casum, quem tractamus : quia vero non est usus voce absolutionis a peccatis, sed beneficii pœnitentiæ et reconciliationis, ideo alii auctores sumpserunt occasionem aliter interpretandi verba illa. Si quis tamen et Leonis intentionem, et totius epistolæ contextum, et vocis proprietatem et canonicum usum attente consideret, non poterit (ut existimo) dubitari, quin responsio Leonis fuerit, in eo casu ægrotum esse sacramentaliter absolvendum.

8 Quod probatur primo ex serie epistolæ; nam consultus erat Leo quid agendum sit cum pœnitentibus, qui usque ad mortis articulum pœnitentiam differunt et tunc quasi necessitate coacti illam petunt. Possumusque claritatis gratia totam epistolam et responsionem Leonis in tres partes distinguere. In prima quæ incipit ibi : *Multiplex misericordia Dei* etc., jacit fundamenta responsionis suæ, supponitque utilitatem, et necessitatem sacramenti pœnitentiæ, quod vocat *pœnitentiæ medicinam.* Et quod non loquatur de interna tantum, constat aperte, quia loquitur de pœnitentia danda per homines et per sacerdotes et per potestatem a Christo Domino illis datam ad remittenda peccata. Quod autem loquatur non de quacumque pœnitentia externa, sed de sacramentali, patet, quia loquitur de pœnitentia, *per quam spes vitæ reparatur æternæ :* quod nulla exterior pœnitentia, nisi sacramentalis facere potest. Item ex illis verbis : *Ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent :* et ex illis, quibus illam partem concludit : *Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvantur :* nam hæc necessitas non est, nisi in absolutione sacramentali : et ideo licet sub nomine supplicationum comprehendi possint orationes deprecatoriæ, quas sacerdos adjungit, non tamen potest excludi absolutio sacramentalis, ut notavit D. Thomas, III part., quæst. 84, art. 3, ad 2.

9 In secunda parte epistolæ, quæ incipit ibi : *Is autem qui in tempore necessitatis,* generatim respondet interrogationi sibi factæ dicens : *His qui in tempore necessitatis et in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis*

implorat, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda. Quam responsionem probat ex Dei misericordia et testimoniis Scripturæ, quibus docemur Deum esse paratum ad remittenda peccata vere pœnitentibus in hac vita, quovis tempore. Unde constat ipsum loqui de *præsidio pœnitentiæ*, quo remittuntur peccata coram Deo; quod non est nisi sacramentum. Et re vera hoc præsidium est, quod principaliter petit ægrotus in tali necessitate constitutus, ut per se notum est. Idem constat ex omnibus dictis in prima parte : item ex interrogatione Theodori; erat enim de re gravissima et aliquo modo dubia, et ad salutem animarum necessaria, cui Leo eodem tenore respondet, ut constat ex exordio et fine epistolæ. Tractabant ergo illi patres de administratione sacramenti pœnitentiæ in illo articulo; nam quæstio de illa cæremoniali pœnitentia, nec erat res tanti momenti, nec venire posset in dubium.

10 In tertia ergo parte generalem responsionem applicat ad casus particulares : et unum supponit, scilicet quando ægrotus loqui potest; nam tunc constat confiteri posse et absolvi, et duos alios distinguit. Unus est, quando jam loqui non potest, tamen adhuc per indicia et signa potest suam mentem aperire; et tunc si id faciat, ait, non esse ei denegandam actionem pœnitentiæ, nec communionis gratiam. Alius est quando ægroti ita vi ægritudinis aggravantur, *ut quod paulo antea poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant;* et tunc ait, *testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequantur.* Cum ergo in reliquis partibus et toto discursu epistolæ sermo sit de pœnitentia sacramentali, quis audeat dicere in ultima responsione, et maxime ambigua, ac necessaria, mutari vocis significationem et transferri ad significandam aliam nescio quam pœnitentiam. Profecto si id Leo fecisset, magnam nobis occasionem errandi dedisset et potissimum ac magis necessarium casum reliquisset magis ambiguum quam antea erat, contra intentionem ab ipso expressam in fine epistolæ.

11 Ponderanda item est illa particula : *quod paulo antea poscebant;* nam poscebant præsidium pœnitentiæ sacramentalis, ut supra visum est : ergo hoc est beneficium pœnitentiæ, quod illis dari præcipit. Sunt etiam attente consideranda duo verba : *Beneficium pœnitentiæ et reconciliationis :* quibus respondent illa posita in secunda parte epistolæ : *Qui præsidia pœnitentiæ et mox reconciliationis implorat.* Ubi illa particula *mox* clare ostendit illa duo præsidia vel beneficia esse distincta; quæ postea in ultimo casu necessitatis præcipit simul dari. Ergo necesse est, ut sub illis remediis comprehendatur absolutio sacramentalis, sive illa intelligatur nomine reconciliationis, sive per beneficium pœnitentiæ. Quia si reconciliatio intelligitur externa ceremonia respectu ecclesiæ, vel communio eucharistiæ, ut alii volunt, non superest aliud pœnitentiæ beneficium, quod sacerdos possit dare infirmo, nihil sentienti et in illa necessitate constituto, præter absolutionem sacramentalem. Accedit tandem, quod in jure ita solet appellari sacramentum nomine beneficii pœnitentiæ, ut videre licet in cap. *Alma Mater* de sententia excomm. in 6.

12 Præterea confirmare hunc sensum possumus excludendo alios improprios. Unus est, ut ibi sit sermo de absolutione a censura, quem Soto confirmat, quia beneficium illud tale est ut post mortem dari posset; quod convenit absolutioni a censura et non sacramentali. At profecto si attente legisset Leonis epistolam, hoc non dixisset : nam expresse ille dicit tale esse illud beneficium, *ut si quis manens in corpore illud non receperit, consequi exutus carne non possit.* Ex quibus verbis evidenter convincimus ibi non esse sermonem de absolutione a censura, quæ post mortem dari potest. Præterquam quod neque in tota epistola est ulla mentio de censura, nec de ea fuerat Leo interrogatus, sed de remedio dando quibuscumque pœnitentibus in extremis, quo saluti eorum æternæ provideretur. Et quando Leo papa voluisset sermonem extendere ad excommunicationem, satis illam significasset nomine reconciliationis. Oportet ergo ut per beneficium pœnitentiæ sacramentum significetur, juxta totius epistolæ contextum. Alius sensus est, ut illa verba intelligantur de sola deprecatoria absolutione, qualis est illa : *Misereatur tui* etc. vel de externa manus impositione, quæ olim fiebat ad publicam reconciliationem peccatorum, vel de alia simili externa ceremonia. Sed hæc et similia ex solo contextu epistolæ a nobis proposito

statim apparent ex se incredibilia. Item non sunt digna quæ ab episcopo proponerentur pontifici tamquam obscura et ambigua : nec Leo etiam de illa re cum tanta verborum ponderatione et observatione responderet. Quia deprecatio illa etiam post mortem hominis fieri potest, neque ad illam esset necessaria specialis petitio pœnitentiæ, vel signa ejus aut testimonium circumstantium : quæ omnia in quacumque externa ceremonia locum habent. Item hæ ceremoniæ, imo et absolutio a censura fieri possunt in illo articulo a non sacerdote : Leo autem semper observat, ut sit sacerdos, qui illud beneficium præstet : quia in principio dixerat potestatem remittendi peccata solis sacerdotibus datam esse. Denique semper loquitur de illa pœnitentia, per quam *spes vitæ reparatur æternæ*.

13 Denique ita intellecta est hæc epistola a probatissimis auctoribus, quales sine dubio sunt Ruardus, Driedo, Marianus, Victor, Bellarminus, Toletus, Corduba, Valentia, Vasquez, locis supra citatis; quibus non immerito adjungo illustrissimum cardinalem Baronium, qui mentionem faciens illius epistolæ tom. VI annal. 452 in fine dicit Theodorum consuluisse Leonem de pœnitentia his qui in extremo laborant impertienda; et quamvis non expresse declaret qualis esset illa pœnitentia, indicat tamen esse sacramentalem, dum ait Leonem respondere non esse negandam quibuslibet in exitu vitæ illam petentibus. Eodem modo Leonem intellexit Gratianus de pœnitentia dist. 1; ubi tractans quæstionem de necessitate sacramentalis pœnitentiæ, inter alia eam probat ex hac epistola Leonis in cap. *Multiplex*, quod est 49 illius distinctionis. Glossa vero et expositores ibi pauca dicunt de illius textus expositione; tamen in verbo *Proprio* et in verbo *Supplicationibus* clare supponit Glossa ibi esse sermonem de necessitate confessionis et absolutionis sacramentalis. Et in verbo *Eorum* sentit Leonem loqui de remedio peccatorum quibuscumque hominibus necessario. Item sentit Turrecremata in cap. *His qui* 26, quæst. 6, et in dict. cap. *Multiplex*, quamvis in fine illius obscure exponat *beneficium pœnitentiæ*, id est fructum pœnitentiæ. Sed certe proprius pœnitentiæ fructus est remissio peccatorum, quem fructum sacerdos dare non potest, nisi per absolutionem sacramentalem. Archidiaconus etiam per beneficium reconciliationis intelligit communionem eucharistiæ : de beneficio autem pœnitentiæ nihil dicit; tacite vero intelligit absolutionem sacramentalem per se necessariam ad eucharistiam. Nam verbo *Ordinatis* et verbo *Indulgentiam* exponit Leonem loqui de *remissione peccatorum, quæ datur per ministros ecclesiæ et ejus sacramenta.*

ADDITIO III AD NUM. VI ET SEQUENTES.

« Sententiam propositam num. 6 tenet » auctor tom. IV in III partem disp. 23, » sect. 1, num. 12; cui adde num. 5. Vasquez ibi tom. IV, quæst. 91, art. 2, » dub. 1, num. 4 et 5. Reginaldus in praxi » tom. I, lib. VIII, cap. 3, num. 18. Layman lib. V, tract. 6, cap. 8, num. 4. » Fagundez præcepto 2, lib. III, cap. 1, » num. 16. Felliucius tom. I, tract. 7, » cap. 5, num. 122. Ægidius de sacramentis disp. 7, dub. 10 et late in opusculo de » absolutione moribundi, quod non potui » videre. Bonacina de sacramento pœnitentiæ quæst. 3, sect. 2, punct. 2, difficultate 4, § 4, num. 8 et 9. Antonius de » Escobar et Mendoca lib. XIV theolog. » moral. sect. 1, cap. 6, num. 44. Amadeus Guimenius in opusculo theolog. » moral. tract. de pœnit. propositione 19. » Sâ, Naldus, Megala, Pontius, Thomas a » Jesu, Pitigianus, Montesinus, Coriolanus, Bellochius et alii, quæ referunt » et sequuntur Diana part. III, tract. 3 de » absolutione moribundi resol. 4. Lugo de » pœnitentia disp. 17, sect. 4, num. 44. » Leander tract. 5 de sacramento pœnitentiæ disp. 5, quæst. 43, ubi plures » citat.

» Fundamentis, quibus Soarius probat » hanc sententiam, addunt Rituale romanum Pauli V. Ubi in ritibus de sacramento » pœnitentiæ, prædicta sententia auctoritate ejusdem pontificis proponitur ad praxim totius ecclesiæ his verbis : Si inter » confitendum, vel etiam antequam incipiat » confiteri vox et loquela ægrum deficiat, » nutibus et signis conetur sacerdos, quoad » ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere; quibus utcumque, vel in specie » cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est : quæ verba non » solum ostendunt absolvendum esse præ-

» dictum moribundum in casu, quo dixerit » aliquod peccatum in particulari, sed etiam » in casu, quo confessus fuerit in genere. » Unde Lugo de pœnitentia disp. 17, sect. 4, » num. 49, docet non esse licitum dubitare » de proxima sententia.

» Conantur aliqui infirmare hoc fundamentum, dicendo prædictum Rituale » solum fuisse approbatum a pontifice, ac » proinde solum habere auctoritatem doctoris, qui hinc inde collegit ritus et » regulas in illo contentas, sicut etiam alii » libri approbati a papa solum habent auctoritatem doctorum, a quibus compositi » fuerunt. Sed hæc evasio sustineri nequit, quia prædictus pontifex aperte significat in sua bulla, præfixa Rituali, se » illi præbere non solum approbationem, » sed etiam auctoritatem pontificiam. Dicit » enim in illa, ut legenti pate, 1° se illos » ritus ecclesiæ proponere pro sui officii » debito, ut serventur apostolicæ et ecclesiasticæ traditiones; 2° se Rituale proponere, sicut Pius V et Clemens VIII » Breviarium, Missale, et Pontificale ediderant ac proposuerant. Certum autem » est in illis non solum licentiam, sed » auctoritatem pontificiam intervenisse. » 3° Sacros ritus a parochis servari debitos » prodire debuisse apostolicæ sedis auctoritate; 4° hanc esse publicam et assignatam » formam, ut fideles inoffenso pede ambulent in sacramentorum administratione; » 5° rem hanc proprio et maturo consilio ac studio præstantissimorum cardinalium et aliorum doctorum factam » fuisse; 6° se in hoc Rituali conspexisse » receptos et approbatos ecclesiæ ritus suo » ordine digestos. Hortatur denique omnes » ut tamquam ecclesiæ filii hoc Rituale » observent, Romanæ ecclesiæ auctoritate » constitutum. Videatur Diana part. IX, » tract. 9, resp. 47 § : *Sed hæc opinio,* » ubi agit de auctoritate Ritualis Romani. » Item Lugo cit. disp 17 a num. 46. » Unde vides non posse jam negari debere » absolvi moribundum, qui dedit signa » pœnitentiæ et confessionem postulavit » coram testibus, licet quando venit sacerdos nulla signa pœnitentiæ edere potuerit.

» Alii aliter respondent ad dictum Rituale; dicunt enim loqui in casu, quo » ægrotus per se vel per alios, præsente » coram sacerdote, confessionem postulavit. Probant, quia in prædicto Rituali » non datur posse absolvi moribundum, » etiamsi absente confessario confessionem » postularet. Sustineri etiam nequit hæc » responsio, 1° quia vix aut numquam » continget, quod moribundus præsente » confessario per alios postulaverit confessionem et manifestaverit confessario signa » pœnitentiæ : ac proinde credi nequit, » quod Rituale curaverit instruere confessarios de faciendis in casu adeo raro, » præcipue quia in illo fieri debet, quod » fit cum pœnitente, qui per interpretem » confitetur. 2° Quia Ritualia antiqua Romana, ex quibus desumptum fuit Rituale » Pauli V expressis verbis dicebant absolvendum esse moribundum, qui in absentia sacerdotis postulavit confessionem, » licet quando venit sacerdos jam non potuerit dare signa pœnitentiæ, credendumque esse infirmo astantibus, dum » testantur moribundum petiisse confessionem et dedisse signa contritionis. Et in » hoc hi acceperunt prædictum Rituale » Pauli V tam prælati, quam inferiores » sacerdotes, imo et sacra congregatio sanctæ inquisitionis; cum enim interrogaretur quid faciendam esset cum moribundo in casu, quo absente confessario » postulaverit confessionem et postea veniente confessario nulla signa pœnitentiæ » edere potuit, respondit oretenus sacra » congregatio servandum esse Rituale.

» Adde 2° fundamentis Soarii responsionem Clementis VIII; cum enim interrogaretur a Petro Lombardo archiepiscopo » Armacano de suo decreto circa confessionem factam in absentia sacerdotis, respondit non fuisse mentis suæ damnare » aut prohibere quod detur absolutio sacramentalis moribundo, qui quando venit » sacerdos non potuit petere confessionem, » illam tum postulaverat in illius absentia » præsentibus testibus, qui de tali postulatione sacerdotem certiorem fecerunt. » Et quod Clemens ita responderit, testatur prædictus archiepiscopus in epistola » a se scripta et subscripta anno 1624 die » sexta Junii ad patrem Ægidium. Et sententia supraposita non negat vim decreto » Clementis VIII, quo nixi aliqui voluerunt illam rejicere et damnare.

» Solvuntur aliquot dubia circa præcedentem doctrinam; primum dubium est, » utrum sacerdos possit absolvere mori-

» bundum de quo est sermo, quando ii qui » testantur de petitione confessionis non » audierunt petitionem ab ipso infirmo, » sed ab aliis, qui illum audierunt. Re- » sponde affirmative cum Lugo de pœ- » nitentia disp. 17, sect. 3, num. 81 » et Leandro de sanctissimo sacramento » tr. 3, de sacramento pœnitentiæ disp. 3, » quæst. 44; ratio est, quia per testi- » monium testis mediati fit sacerdos suf- » ficienter certior de petitione confessionis » et de contritione moribundi; sacerdos » autem potest hunc absolvere, quacum- » que via sibi constet illum petiisse » confessionem, id est sive sibi constet » per testes, qui immediate audierunt » a moribundo petitionem confessionis, » sive per testes, qui dictam petitionem » audierunt a moribundo aliis medianti- » bus. Neque obstat quod is dicat debere » testari de petitione confessionis illos, qui » audierunt a moribundo; non, inquam, » obstat, quia qui audierunt mediate a mo- » ribundo etiam dicuntur ab illo audire.

» Secundum dubium est sufficiatne unus » testis, an plures necessarii sint? Respon- » detur unum sufficere. Ita Sanchez in » selectis disp. 44, num. 33. Lugo ibi » proxime num. 82. Leander cit. quæst. 43. » Reginaldus, Raimundus, Graffius et Zam- » branus, quos refert et sequitur Diana » 3 parte tract. 3, resol. 3. Ubi addit etiam » sufficere infidelem. Et ratio est, quia ubi » non agitur de præjudicio alterius standum » est, ait Felinus, in cap. *Veniens* 1, num. 8 » de testibus, dicto unius testis, qui in hoc » casu non opus est, neque usitatum, quod » sit juratus; neque obstat, quod jura alle- » gata pro sententia asserenti posse absolvi » moribundum, qui in absentia sacerdotis » postulavit confessionem, licet quando » venit sacerdos non potuerit petere con- » fessionem, loquantur in numero plurali, » quando agunt de testibus dictæ petitionis, » dicendo : dent testimonium qui audie- » runt; ita loquitur concilium Carthagi- » nense : Si voluntatis præteritæ testimo- » nium aliorum verbis habet; ita loquitur » concilium Arausicanum : Testimonia eis » fidelium prodesse debeant; ita loquitur » Leo papa : Si confitendi desiderium, sive » per se, sive per alios ostenderint; ita loqui- » tur Rituale romanum. Numquam obstat, » quia verba citata illa, verbi gratia, dent » testimonium qui eum audierunt, non » sunt sumenda collective, ac si significa- » rent dent testimonium hic, et ille, et ille; » sed disjunctive in hunc modum : dent » testimonium, vel hic, vel ille, vel ille, » vel omnes. Materia enim subjecta demon- » strat ut verba ita sumantur.

» Dubium 3. Utrum sacerdos, qui inve- » nit infirmum impossibilitatum ad peten- » dam confessionem, quam sibi constat » postulasse, non solum possit sed etiam » teneatur illum absolvere? Respondeo te- » neri ad absolvendum. Ita auctor de pœ- » nitentia disp. 23, sect. 1, num. 12 et 13. » Vasquez tom. IV in 3 partem quæst. 91, » art 2, dub. 1, num. 38. Turrianus de » pœnitentia quæst. 9, art. 2, disp. 30, » dub. 1. Pater Ægidius in sacramentis » disp. 7, dub. 10, num. 106 et in opusculo » de absolutione moribundi num. 64. Bo- » nacina de pœnitentia quæst. 3, sect. 2, » punct. 2, difficultate 4, § 4, num. 8. Lugo » citata sect. 3, num. 87. Felliucius, Me- » gala et alii, quos refert, et sequitur Diana » dicto tract. 3 de absolutione moribundi » resol. 9. Leander tract. 3 de pœnit. » disp. 3, quæst. 47, ubi citat Machado, » regiva et alios. Probatur, quia sacerdos » potest in dicto casu sine incommodo pro- » prio et sine irreverentia sacramenti im- » pertiri absolutionem : ergo tenetur ad » impertiendam, sive ex caritate imme- » diate, si non sit proprius parochus, sive » ex justitia et caritate, si sit proprius pa- » rochus; adeo ut etiam ad eam impertien- » dam teneantur. Quidquid in contrarium » doceat Basilius de Leon lib. IV de matr. » cap. 23, n. 8, et alii qui existimant præ- » dictum moribundum non posse absolvi; » nam illorum existimatio non solvit quo- » minus nostra sententia sit ad minimum » probabilis et quominus illi faciant judi- » cium practicum, quod sibi liceat absol- » vere prædictum moribundum, imo exi- » stimo mereri aliquam notam eum, qui » nixus opinione asserenti non posse ab- » solvi dictum moribundum, nollet illum » absolvere.

» Dubium 4. Utrum absolutio, de qua » est sermo, danda sit absolute, an sub hac » conditione : si es capax, vel sub hac : si pos- » sum? Dandam esse sub conditione docet » auctor tom. IV in III partem, disp. 23, » sect. 1, num. 12, hic vero num. 22 dicit » dandam esse absolutionem saltem sub » conditione; et eodem modo loquitur pater

» Ægidius in opusculo de confessione mo-
» ribundi num. 64. Bonacina de sacramento
» pœnitentiæ quæst. 5, sect. 2, puncto 2,
» difficultate 4, § 4, num. 8, dicit sequens
» Soarium, priori loco allegato, dandam
» esse sub conditione. Ratio videtur esse,
» quia materia in casu præsenti non est
» certa, sed dubia et probabilis; neque
» obstat huic quod certum sit sacerdotem
» dare posse, et teneri dare absolutionem;
» non, inquam, obstat, quia ad hoc ut possit
» et teneatur dare, satis est probabilitas
» materiæ, sicut etiam sufficit ad hoc ut jura
» præcipiant dare talem absolutionem.
» Vasquez nihilominus tomo IV in tertiam
» partem quæst. 91, art. 2, dub. 1, num. 39
» et Sanchez in selectis disp. 44, num. 32,
» dicunt adhibere in hoc casu conditionem
» in absolutione esse supervacaneum. Incli-
» nat Lugo de pœnitentia disp. 17, sect. 5,
» num. 90, nec multum dissident Soarius
» in superiori consilio num. 22, pater
» Ægidius in opusculo de absolutione mo-
» ribundi, quamvis dicant dandam esse
» absolutionem saltem sub conditione. Pro-
» bari potest hæc ultima sententia ex eo,
» quod sola materia proprie dubia requirit
» formam conditionalem, materia autem
» in nostro casu non est proprie dubia, sed
» probabilis, imo et probabilior. Vide Lean-
» drum tr. 5 de pœnit. disp. 5, quæst. 48.
» Plura dubia circa absolutionem mori-
» bundi videri possunt apud Dianam cit.
» tract. 5.

» Sequebatur examinare utrum sacerdos
» possit absolvere prædictum moribundum,
» quando ii qui testantur de petitione con-
» fessionis testantur in absentia moribundi,
» ut in domo sacerdotis, quem vocarunt et
» cum quo non redeunt ad infirmum, sed
» de hoc puncto dicam in additionibus ad
» sequentem titulum. »

14 Denique etiam Cano et Ledesma non sunt ausi negare Leonem loqui de absolutione sacramentali, sed restringunt sermonem ejus ad peccatores, qui olim publicam pœnitentiam agebant et in principio Quadragesimæ confessi erant, ut super illam confessionem cadat talis absolutio. Quæ limitatio probari nullomodo potest. Primo quia repugnat verbis Leonis, qui expresse loquitur de his, qui differunt pœnitentiam usque ad mortem et tunc necessitate coacti illam petere incipiunt, et ideo graviter monet peccatores, ne se in eas angustias redigant, *ubi vix habeat locum vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis*. Secundo quia illi publice pœnitentes ex vi confessionis prius factæ tantum poterant absolvi ab eo sacerdote, cui confessi fuerant : Leo autem indifferenter loquitur de quocumque sacerdote et ita expresse dixit Marianus Victor supra esse consuetum, ut in eo casu absolvatur pœnitens a quocumque sacerdote. Tertio quia Leo in discursu epistolæ loquitur aperte de omnibus peccatoribus, et ab eis requirit propriam accusationem, sive per verba, sive per propria signa, sive per aliorum testimonium, et nullo modo recurrit ad præteritam confessionem; sed in hoc facit vim, quod apud Deum admittitur vera pœnitentia, etiamsi sera sit : et eamdem debet admittere ecclesia, si ad illam pœnitens recurrat.

Confirmatio prima ex conciliis et patribus.

15 Confirmat hanc sententiam concilium Carthaginense IV, can. 76, et refertur 26, quæst. 6 cap. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam.* Ubi Glossa bene exponit pœnitentiam, idest absolutionem. Citat vero formam absolutionis ex cap. *A nobis* de sententia excommunicatione; et ita videtur exponere illum textum de absolutione a censura. Sed sine causa, primo quia concilium non loquitur de solis excommunicatis, sed de quocumque, qui pœnitentiam in infirmitate petit. Secundo, quia ut supra dicebamus hæc est pœnitentia, quam maxime petunt peccatores in illo articulo. Tertio quia frequenter ita loquuntur canones, maxime cum loquuntur de pœnitentia morientibus danda. Et ideo dixerunt Julius et Cælestinus pontifices in cap. penult. et ultimo ejusdem quæst. 6, reos esse animarum, qui pœnitentiam morientibus negant. Et simile videre licet in cap. *Quod in te* et cap. ultimo de pœnitentia et remiss. Quarto quia expresse ibi distinguitur pœnitentia a reconciliatoria manus impositione. Quid ergo esse potest, nisi absolutio a peccatis? Et ita sensit Turrecremata ibi et expressius Ferdinandus Mendoza lib. III ad concilium Eliberitanum cap. 19, Toletus et alii suprà citati.

16 Idem probat concilium Arausicanum I, can. 12, in cap. *Qui recedunt* 26, quæst. 6 ibi : *Baptizari aut pœnitentiam accipere potest :* nam rationes proximæ factæ probant ibi pœnitentiam pro sacramento sumi : et præterea illa conjunctio pœnitentiæ cum baptismo ostendit sermonem esse de duobus sacramentis pro remissione peccatorum institutis. Et eodem modo loquitur concilium Carthaginense III, cap. 34 in cap. *Ægrotantes* de consecratione dist. 4. Favet etiam concilium Toletanum 12, c. 2.

17 Idem aperte sensit Augustinus lib. 1, de Adulterinis Conjug. cap. ultimo in fine, ubi similiter, postquam dixerat in eo casu baptizandum esse hominem nihil sentientem, qui prius baptismum petiit, subdit : *Quæ autem baptismi, eadem reconciliationis est causa etc.;* ubi de reconciliatione sacramentali et coram Deo plane loquitur. Et ita intellexerunt Driedo, Ruardus, Bellarminus et Mendoza, imo Cano ob hoc testimonium ait Augustinum daturum fuisse absolutionem sacramentalem ægroto in illo casu.

18 Tandem D. Thomæ Opisc. 65, cap. de extrema unctione, eidem subscribit sententiæ his verbis : *Si infirmus, qui petit unctionem, amisit notitiam vel loquelam, antequam sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungat eum sacerdos : quia in tali casu debet baptizari et a peccatis absolvi.* Ubi non solum conjungit absolutionem cum duobus aliis sacramentis, sed etiam ex illa sumit argumentum ad extremam unctionem; maxime quod absolutio a peccatis simpliciter dicta non habet aliam propriam significationem.

Confirmatio 2 *ex consuetudine ecclesiæ.*

19 In omnibus rebus fidei et maxime in his, quæ ex traditione et institutione pendent, maximam vim habet ecclesiæ consuetudo. Testantur autem graves auctores fuisse consuetudinem ante mille ducentos annos in ecclesia absolvendi sacramentaliter infirmos, et pœnitentiam postulantes in dicto casu. Driedo dicit esse antiquam consuetudinem et testes adducit Cyprianum et Leonem. Marianus etiam Victor referens antiquam historiam de usu pœnitentiarum inter antiquas traditiones hanc ponit; et Mendoza putat tam fuisse antiquum illum morem in sacramento pœnitentiæ; sicut in sacramento baptismi. Corduba item dicit esse consuetudinem sacerdotum curatorum et in illius confirmationem adducit Manuale Burgense antiquum. Toletus vero adducit Sacerdotale Romanum antiquum, quod in cap. 20 præscribit ita esse faciendum; quod eamdem consuetudinem confirmat.

Ultima probatio ex ratione.

20 In his materiis propria ratio est institutio, quam probant omnia adducta. Explicari autem potest, quia ibi non deest sufficiens materia et sacerdos potest proferre formam. Ergo nihil deest, quominus possit confici sacramentum. Consequentia est clara; et minor evidens, supposita majori. Major autem probatur, quia nec deest ibi materia remota, quæ sunt peccata, nec materia proxima, quæ est accusatio, seu confessio; prima pars in controversiam adducitur, quia non revelantur peccata in specie, sed in genere. Sed contra hoc est primo, quia sæpe contingere potest, ut in eo casu ægrotus dicat, vel det signum alicujus peccati in particulari. Secundo, infra ostendemus, quod licet peccata in specie sint necessaria materia confessionis, quando explicari possunt, propter integritatem confessionis, de qua loquitur concilium in dict. cap. 5, nihilominus quando propter impotentiam plus explicari non potest, illa est sufficiens materia : quia non exgitur ab homine, nisi ut explicet conscientiam suam et se accuset quantum potest. Quod significavit ipsummet concilium Tridentinum, dum dixit : *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.* Nam quod concilium dixit de oblivione, de quacumque impotentia intelligendum esse omnes fatentur. At si quis recordaretur se offendisse Deum, oblitus autem esset, in qua specie peccati, satisfaceret aperiendo culpam, prout illius recordatur. Idem ergo est, si propter impotentiam plus significare non possit. Nec refert quod nulla res nova sacerdoti manifestetur, tum quia satis est, ut manifestetur novo modo et in speciali foro : tum etiam quia licet non manifestetur nova culpa, ostenditur pœnitentia et accusatio illius.

21 Unde facile probatur secunda pars de materia proxima : quia, supposita materia remota, illa est vera accusatio sui in hoc foro : ergo est confessio et materia proxima.

Antecedens patet, quia est significatio propriæ conscientiæ, cum petitione absolutionis per claves ecclesiæ. Item ad hoc confirmandum est optima doctrina D. Thomæ in 4, dist. 21, quæst. 1, art. 1 ad 2, quam notat et sequitur Ledesma supra, scilicet confessionem de peccatis in genere posse esse sacramentalem, imo ait in ordinariis confessionibus esse partialem confessionem sacramentalem, cum quis post specialia peccata se accusat de aliis, quæ memoriæ non occurrunt, vel quæ commisit et alias confessus est. Unde conficitur ratio : nam confessio, quæ potest esse sacramentalis partialis potest esse totalis, quando intervenit impotentia vel legitima excusatio dicendi amplius. Unde confirmatur interrogando quid desit illi confessioni, ut sacramentalis sit. Vel enim deest integritas : et hoc non, quia licet desit materialis integritas, non deest formalis, quæ sufficit interveniente impotentia. Vel deest specialis materia, et hoc vel non est semper necessarium, quia ut dixi sæpe potest accidere, ut ægrotus in eo casu aliquid in specie indicet, vel quando propter impotentiam aliud contingat, non tollit integritatem formalem, ut probatum est. Vel obstat quod sacerdos non percipit suis sensibus, sed per relationem aliorum. At hoc obstare non debet, quia Leo papa dicit : *quod testimonia circumstantium prodesse debebunt :* et quia non est necesse, ut sacerdos immediate accipiat notitiam ab ipso pœnitente, ut patet in confessione, quæ fit per interpretem : ergo etiam accidere poterit per testem. Item hoc non repugnat rationi judicii, ut sic, nec rationi talis judicii sacramentalis, quia de hac circumstantia nullam habemus specialem institutionem, vel ecclesiæ declarationem, sed potius contrariam.

Resolutio dubii juxta secundam opinionem; et responsio ad fundamenta alterius.

22 Propter supradicta decreta præsertim Leonis et propter usum ecclesiæ, et tantorum doctorum auctoritatem, censui super hanc opinionem posteriorem esse veram, et piam et conformem Christi institutioni : quia non est dubium, quin potuerit Christus ita instituere hoc sacramentum, ut in eo casu illa confessio sufficiat. Sed pontifex, concilia, patres et usus significant ita instituisse : estque institutio magis accommodata hominum fragilitati et amplificat efficaciam tam necessarii sacramenti, ac proinde est etiam magis consentanea suavi providentiæ Christi, et caritati ejus erga peccatores. Cur ergo illam non amplectemur? Et præsertim cur in praxi illa non utemur, saltem sub concepta conditione, cum sic nullius mali sit periculum et possit esse spes magni fructus?

23 Fundamenta autem contrariæ sententiæ expedita sunt, probando ibi esse sufficientem confessionem pro tali articulo. Cum enim dicitur pœnitens tunc petere potius confessionem, quam facere; intelligendum est de confessione integra et ordinaria : dum autem illam petit cum signis pœnitentiæ in actu exercito se accusat et subjicit clavibus quantum potest : et illa est pro tunc sufficiens materia.

24 Neque in sacris canonibus antiquis quidquam invenitur huic sententiæ adversum, ut ex dictis satis constat; de novo item Clementis VIII decreto, quo damnavit confessionem et absolutionem in absentia, certus jam sum nihil huic sententiæ et doctrinæ obstare, quia loquitur de materia longe diversa ab ea, de qua loquitur Leo papa, intellectus in vero et communi sensu. Atque ita intellexi ex ipsomet fere Clemente VIII, idemque audivi ex ore sanctissimi Domini Nostri Pauli V, et plurium illorum cardinalium; quod ideo commemoro, ne aliquis existimet per decretum Clementis esse aliqua ex parte derogatum probabilitati et pietati hujus communis sententiæ.

CAPUT II.

Narratio brevis totius facti et dubitationes juris, quæ ex illo nascuntur.

Proponuntur decreta S. Leonis papæ et Clementis VIII. Num. 1.

Ex his decretis ortum est dubium, quia videntur contraria. Num. 2. *Difficultas est quomodo concilianda sint prædicta decreta? ibi.*

Aliqui ausi sunt dicere post decretum Clementis VIII non licere absolvere sacramentaliter in casu a S. Leone proposito. Num. 3. *Non est admittenda hæc resolutio, ibi.*

Non obstante decreto Clementis VIII docuit auctor licitum esse absolvere moribundum in casu S. Leonis. Num. 4. Tria curavit servare in reddenda ratione, ibi.

Intendunt aliqui conciliare decretum Leonis papæ cum decreto Clementis dicendo D. Leonem loqui de absolutione data sine confessione sacramentali. Num. 5.

Hæc interpretatio est omnis falsa. Num. 6.

Alii conciliant dicendo in casu Leonis papæ dari confessionem factam in præsentia sacerdotis. Num. 7.

Displicet hæc interpretatio. Num. 8.

Conciliant alii dicendo decretum Leonis loqui de confessione generali, decretum vero Clementis loqui de confessione particulari, in qua dicuntur peccata in particulari. Num. 9.

Rejicitur hæc conciliatio a num. 10 usque ad 15 inclusive.

Alii conciliant dicendo Clementem VIII non comprehendisse in suo decreto casus necessitatis. Num. 16.

Rejicitur hæc conciliatio. Num. 17 et 18.

Conciliat auctor dicendo Clementem VIII solum damnare absolutionem sacramentalem factam in absentia et confessionem factam in ordine ad illam. Num. 19.

Hæc interpretatio est valde conformis verbis Clementis VIII. Num. 20.

Retinet solidum fundamentum, quo nititur decretum Clementis. Num. 21.

Evitat omnia incommoda aliarum interpretationum, et quæcumque excogitari possunt. Num. 22.

Ex illa non sequitur posse absolvi a sacerdote absente illum, qui ei præsenti confessus est, ibi et num. 23.

Non sequitur ex illa non esse prohibitum, quod confitearis in absentia, ut in præsentia absolvaris. Num. 24.

Id enim prohibitum est per decretum Leonis papæ. Num. 25.

Imo et per decretum Clementis. Num. 26.

Ex dictis ferri potest judicium de qualitate hujus interpretationis. Num. 27.

Auctore reprehenditur ex eo quod vivente Clemente VIII interpretatus fuerit illius decretum sine illius licentia. Num. 28. Non est reprehensione digna illa interpretatio, ibi.

Non præsumendum esse contra voluntatem pontificis interpretari illius decretum sine ejus licentia. Num. 29.

Imo placuit interpretatio, quam auctor sine licentia dicti Clementis dedit aliis verbis illius decreti. Num. 30.

Primo supponenda sunt verba formalia decreti sanctissimi, quæ in summa sunt hæc :

1 *Sanctissimus Dominus noster Clemens VIII etc., hanc propositionem, scilicet, licere per literas, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere damnavit.* Et infra : *Præcepitque, ne umquam ista propositio in aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut quovis modo ad praxim deducatur.* Supponenda sunt verba Leonis papæ epistola 89, alias 91 ad Theodorum episcopum; ubi agens manifeste de pœnitentia sacramentali danda ægroto in fine vitæ illam petenti, docet prius non esse negandam, *si eam etiam amisso vocis officio per indicium integri sensus quærere comprobetur;* quando nimirum per se potest aliquod hujusmodi indicium sacerdoti tribuere. De illis vero, qui non possunt, subdit hæc verba : *Quod si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequantur.*

Refertur in decreto in c. *Multiplex* de pœnit. dist. in 2 et in c. *His qui* 26, q. 6, ubi concordant c. *qui recedunt* et c. *Is qui.*

2 Ex collatione horum decretorum ortum est dubium, quia Leo paga admittit casum, in quo danda est absolutio sacramentalis, etiam si non præcesserit confessio facta in præsentia sacerdotis. Clemens autem VIII in suo decreto generaliter dicere videtur, nullum casum admittendum esse in quo confessio facta sacerdoti absenti licita sit, nedum sufficiens. Difficultas ergo est quod debeant hæc conciliari, cum non possint esse contraria, nec contradictoria.

ADDITIO I, AD NUM. II.

« Decretum Leonis papæ et decretum » Clementis VIII non sunt inter se con- » traria ex eo constat, quia id, quod instituit » Leo papa in suo decreto circa absolutio- » nem moribundi, instituit postea Rituale » Romanum; hoc autem non esse contra- » rium decreto Clementis VIII, ex eo » ostenditur, quia cum aliqui dixissent » apud sacram congregationem sanctæ In- » quisitionis generalis debere corrigi Ri-

» tuale Romanum, eo quod adversetur de-
» creto Clementis octavi, statutum fuit
» coram pontifice die 2 Decembris anni
» 1621 Rituale servandum esse, illudque
» non contrariari decreto Clementis. Videa-
» tur cardinalis de Lugo de pœnitentia
» disp. 17, a num. 51. »

Videri potest peculiare scriptum de intelligentia decreti Leonis.

3 Aliqui dicere tentarunt post decretum sanctissimi D. N. non licere absolvere sacramentaliter ægrotum in dicto casu a sancto Leone proposito. Sed est ardua et tremenda resolutio. Primo quia verba Leonis sunt adeo clara præsertim expendendo totum contextum epistolæ, ut injuria fiat tanto pontifici, sub velamine violentæ interpretationis, sententiam ejus negando. Secundo quia plures, quam viginti auctores, et inter eos Augustinus et D. Thomas pro certo habent esse absolvendum sacramentaliter ægrotum in illo casu; et inter eos cardinalis Toletus dixit, hanc esse expressam sententiam canonum. Tertio quia illa sententia est pia et favorabilis saluti animarum et in dubiis tutior pars est eligenda. Quarto quia nullum est fundamentum, propter quod ex vi juris divini talis absolutio non sit licita et valida. Quod si stando in jure divino licita est, non est credibile sanctissimum D. N. novo præcepto positivo illam prohibuisse in extrema necessitate, aut jurisdictionem ad absolvendum in eo casu abstulisse, quia non est hoc consentaneum pietati ejus, nec usui ecclesiæ.

Videri potest peculiare scriptum, in quo nomina, loca et verba horum auctorum afferuntur.

Hoc est fundamentum totius controversiæ, quæ nunc tractatur; et ideo hujus puncti declaratio primum omnium a sanctissimo postulatur.

4 Propter quæ tamquam certum supponimus non obstante decreto sanctissimi licitum nunc esse sacramentaliter absolvere ægrotum in casu sancti Leonis; et inde incidimus in necessitatem interpretandi decretum et reddendi rationem, cur casum illum non comprehendat per illam universalem distributionem: neve in aliquo casu. In reddenda ratione, tria præcipue observare studuimus. Primum quod interpretatio decreti sanctissimi sit consentanea verbis ejus simpliciter retentis, secundum omnem proprietatem eorum, nullam addendo voluntariam limitationem, idest non fundatam in verbis, sed quasi exortam vi difficultatis. Secundum quod ex interpretatione nullus error nihilve absurdum, aut contra receptam doctrinam, aut consuetudinem ecclesiæ sequatur. Tertium, quod talis sit interpretatio quæ retineat solidum fundamentum decisionis hujus decreti. Nam hoc decretum juxta verum et catholicum sensum ejus non mutavit, vel addidit aliquid sacramento pœnitentiæ, sed declaravit conditionem quamdam præsentiæ, quam ita necessario postulat ex vi suæ institutionis, ut in nullo casu sine illa fieri possit: hæc autem fundanda est in ipsa institutione, atque adeo in materia et forma ejusdem sacramenti, eo modo acceptis, quo ex scriptura, traditione, ac doctrina ecclesiæ haberi potest. Hæc ergo censuimus observanda ad auctoritatem et soliditatem hujus decreti. Et omnem interpretationem, quæ in aliquo istorum derogat huic decreto, refutandam ducimus, tamquam illi contrariam et injuriosam.

5 Ex his principiis refellimus interpretationes omnes, seu rationes conciliandi illa decreta, quæ hic excogitatæ sunt ad nostram excludendam, quas hic brevissime attingemus. Prima est in illo casu sancti Leonis permitti dari absolutionem sacramentalem, quæ effectum suum habere possit ex opere operato, etiam si nulla confessio sacramentalis præcesserit. Et ita nullam fieri exceptionem a decreto sanctissimi, quia ibi absolutio datur in præsentia et confessio non fit in absentia, cum ibi nulla fiat confessio.

De hoc vide peculiare scriptum.

6 Hæc vero ratio supponit aliquid, quod est in fide erroneum, scilicet absolutionem sacramentalem posse interdum dari non præmissa confessione sacramentali, contra definitionem concilii Tridentini sess. 14, can. 19. Et contra universalem sensum et consuetudinem ecclesiæ et theologorum, quod expressius quam cæteri notavit Franciscus Victoria in Summa de sacramentis, quæst. 182, de pœnitentia.

ADDITIO II AD NUM. V ET VI.

« Nihil est, quod addamus ad num. 3
» et 4, quia de materia, quæ in illis agitur,
» satis dictum est supra. In hoc quinto
» supponunt aliqui posse dari absolutionem
» sacramentalem sine confessione; sed hæc
» sententia sustineri nequit, quia confessio
» est pars intrinseca sacramenti pœniten-
» tiæ. Sic ex nostris tenent Soarius tomo IV
» in III partem, disp. 18, sect. 3; Lugo de
» pœnitentia, disp. 12 cum D. Thoma, Bel-
» larmino, Castro et aliis. Probatur 1° ex
» concilio Tridentino, sessione 14, cap. 3;
» Florentino in decreto unionis, ex Colo-
» niensi et Moguntino, cap. 1, ex Bulla

» Leonis X contra Lutherum, ex quibus » aperte constat contritionem, confessio- » nem et satisfactionem esse partes intrin- » secas sacramenti pœnitentiæ, adeo ut » aliqui theologi damnent, ut erroneam, » alii ut temerariam, alii ut plusquam te- » merariam sententiam Scoti in 4 dist. 16, » quæst 1, dicentis solam absolutionem » esse de integritate sacramenti pœniten- » tiæ, contritionem vero, confessionem et » satisfactionem solum requiri tanquam » dispositiones. Probatur 2° ratione con- » fessionem seu accusationem esse partem » intrinsecam sacramenti pœnitentiæ et ad » illud morale requiri. Probatur, inquam, » quia hoc sacramentum institutum fuit » per modum cujusdam judicii, ut aperte » constat ex eodem Tridentino, sessione 14, » cap. 2 et cap. 6 et can. 9; de ratione au- » tem judicii est, ut sententiam judicis » præcedat accusatio seu confessio rei. » Unde non est audiendus Jacobus Bajus » Lovaniensis, quatenus in institutione re- » ligionis Christianæ lib. II, cap. 91, abso- » lutionem sacramentalem posse impendi » per modum suffragii moribundo, qui non » petiit confessionem, nec signum contri- » tionis dedit.

» Dices absolutio sacramentalis potest » impendi moribundo sensibus destituto et » assueto frequentare confessionem, et bene » vivere, licet nullum signum pœnitentiæ » dederit: ergo absolutio sacramentalis po- » test dari sine confessione. Consequentia » colligit. Antecedens tenent Molfesius in » Summa tomo I, tract. 7, cap. 3, num. 48; » Homobonus in Examine ecclesiæ, part. I, » tract. 7, cap. 38, quæst. 84, Antoninus » de Litteratis in Summa, parte I, cap. 33, » num. 7; Bartholomæus a sancto Fausto » in Theologia morali tomo I, lib. VI, » quæst. 204; tenuit etiam antecedens » Gregorius XV, quando erat archiepisco- » pus Bononiensis, in Memoriali confessa- » riorum, edito Bononiæ, cap. 1, de Forma » sacramenti pœnitentiæ, num. 16; in quo » præcipiebat praxim absolvendi dictum » moribundum; et addit Lugo de pœnitentia » disp. 17, sect. 3, num. 33, se audivisse » multos confessores dare absolutionem mi- » litibus moribundis, licet nullum signum » pœnitentiæ dederint. Allegant aliqui pro » eodem antecedenti Clementem octavum, » quatenus dicitur absolvisse sub hac con- » ditione, si es capax absolutionis, quemdam » ruentem in illius præsentia ex sancti Petri » fabrica. Sed Lugo loco allegato dicit se » post factam Romæ diligentiam cum illis, » qui vixerant tempore dicti Clementis, in- » venisse fuisse fabulosum eventum illum.

» Respondeo ad argumentum propositum » non posse sustineri in casu, quo constet » talem moribundum non dedisse signum » pœnitentiæ; neque credo auctores rela- » tos, quos non potui videre, contrarium te- » nuisse. Unde quando dicunt posse absolvi » sub conditione moribundum, qui nullum » signum pœnitentiæ dedit, seu de quo non » constat dedisse tale signum, credo fun- » dari in præsumptione quod talis mori- » bundus ediderit aliquod signum pœni- » tentiæ, quin aliquis adverterit, vel in » dubio negativo, utrum signum illud de- » derit. Et si ita probantur, non existimo » improbabilem illorum sententiam cum » Diana parte III, tract. 3, de absolutione » moribundi, resolutione 8 §. *Unde ego;* » Leandro, tract. 3, de pœnitentia, disp. 3, » quæst. 46. »

7 Secunda responsio est in alio extremo: dicit enim in illo casu sancti Leonis intervenire confessionem sacramentalem et illam non fieri in absentia, sed in præsentia sacerdotis, quia circumstantes dant testimonium confessori, quando jam est præsens infirmo, et ita infirmus quasi per circumstantes confitetur sacerdoti præsenti.

8 Hæc vero responsio etiam habet periculum erroris, et utrique decreto multum derogat. Primum quia in ea significatur materiam illius sacramenti esse testimonium circumstantium: contra concilium Florentinum et Tridentinum dicentia materiam hujus sacramenti esse actus pœnitentis. Unde omnes doctores colligunt, confessionem debere esse actum personalem, non minus quam contritionem. Secundo quia Leo papa expresse ponit casum, in quo ægrotus, quod paulo ante poscebat, sub præsentia sacerdotis significare non valet. Materia autem sensibilis hujus sacramenti est signum illud sensibile, quo pœnitens conscientiam suam ostendit subjiciendo se clavibus, et reum se constituendo in hoc tribunali: at hoc signum est ipsa confessio, ergo in eo casu non fit confessio in præsentia. Tertio, quia re vera illud testimonium non datur in præsentia humana ægroti, licet detur in materiali præsentia corporis, quia animo absens est, ut

Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 4.

Vide D. Thomam 3 p. q. 90, art. 3.

supponitur; sicut declaratum est, parochum, corpore assistentem contractui matrimonii, et non sensu, nec mente, non esse præsentem. Ut autem confessio dicatur fieri ab aliquo præsente, necesse est, ut sit præsens humano modo, quia confessio est actio humana. Quarto quia illa etiam materialis præsentia corporis necessaria non est, quando circumstantes dant testimonium sacerdoti : quia potuerunt ire ad vocandum illum, et in domo ejus dare testimonium, et cum illo non redire. Quod sine dubio satis est, quia materia illa nititur in fide testimonii, ad quam fidem nihil facit materialis præsentia ægroti. Unde quando Leo vocat circumstantes, non requirit, ut circumstent ægroto, quando dant testimonium sacerdoti, sed quando vident signa ægroti, vel audiunt postulationem ejus. Unde cap. *Qui recedunt* solum dixit : *Si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet.* Et cap. *Is qui : Dent testimonium qui eum audierunt.* Et in hoc æquiparant confessionem baptismo. Manifestum est autem in baptismo id sufficere. Denique per illam interpretationem fit injuria decreto sanctissimi, tum quia ei imponitur, ut cogat nos ad dicendum illam confessionem esse in præsentia contra omnem sensum : tum etiam quia nulla ratio gravis et solida dari potest, cur illa corporalis præsentia sine sensu necessaria sit ad valorem, seu fidem testimonii. Datur etiam occasio eludendi decretum, et vocandi confessionem in præsentia illam, quæ fit per nuncium, quia per illum loquitur pœnitens sacerdoti, ipse nuncio et per illum sibi : quod ridiculum est. Necessario ergo fatendum est in illo casu admitti confessionem aliquam in absentia.

ADDITIO III AD NUM. VII ET VIII.

« Dari confessionem in præsentia, quando » testes in præsentia moribundi testantur » illum dedisse signum pœnitentiæ et petiisse confessionem censere videtur Vasquez tomo IV in 3 partem, quæst. 91, » art. 2, dub. 4, num. 32 et 33; tenet » Diana parte 3, tract. 3, de absolutione » moribundi, resolutione 7, § *probatur* 2 et » resolutione 7. Igitur ex supradictis et » supponit Bonacina de sacramento pœnitentiæ, quæst. 5, sect. 2, punct. 2, difficultate 4, § 4, num. 10; et tenere debent » omnes illi, qui defendunt esse de essentia confessionis sacramentalis, quod fiat » in præsentia sacerdotis; pro qua sententia dicit Diana citata resolutione 7 stare » omnes fere Thomistas. Probatur hæc sententia, quia quando testes dicunt sacerdoti » in præsentia moribundi illum petiisse » confessionem, sunt interpretes, per quos » moribundus confitetur. Auctor enim non » solum hic, sed etiam in materia de pœnitentia, edita Conimbricæ, disputatione 22, » sect. 4, num. 5, dicit non dari in eo casu » confessionem in præsentia; idem supponit » disputatione 23, sect. 1, num. 12. Auctorem sequitur Lugo de pœnitentia disp. 17, » sect. 4 a num. 67. Probatur quia ad hoc, » ut confessio, quæ fit per interpretem, » dicatur fieri in præsentia confessarii non » sufficit, quod confessarius sit præsens » quando interpres loquitur, sed etiam » quando pœnitens loquitur interpreti et » ei sua peccata manifestat, confessio namque per interpretem constat ex loquutione pœnitentis ad interpretem et » interpretis ad confessarium. Unde pertineret solutio ad fundamentum adversariorum.

» Doctrinam, quam auctor tradit n. 8, » prope medium, negans posse absolvi moribundum, licet non adsint testes, qui » testificati sint sacerdoti illum petiisse » confessionem, tenent Felliucius tom. I, » tract. 7, cap. 5, num. 122; Lugo de pœnitentia, disp. 17, sect. 5, num. 85 et 86; » P. Escobar, lib. xv, problemate 52 et alii » quos refert Diana parte III, tract. 3, de » absolutione moribundi, resolutione 7, ubi » vocat probabilem; etiam vocat Valentia » tom. IV, disp. 7, quæst. 11, puncto 1; » probabilem etiam vocat, imo et in illam » magis inclinat Bonacina de pœnitentia, » quæst. 5, sect. 2, puncto 2, § 4, num. 10, » et in nova editione tom. III, disp. 3, de » censuris, quæst. 3, puncto 33, ubi edicit » illud Romæ a multis judicatum fuisse; » Leander cit. quæst. 45; Amadeus in » opusculo de pœnitentia, propositione 19, » num. 3. Sententiam contrariam tenent » Henriquez, Vasquez, Navarrus et alii apud » Bonacinam numero 10 allegati; tenet » etiam Diana citata resolutione 7 cum Seraphino de Freira, Alphonso de Leone, » Turriano, Fagundez, Choquetio, Alvarez, » Petro Fay, Sylvio et aliis fundatis in de-

» creto Clementis octavi, quod tamen pro » illis non pugnat. »

9 Tertia igitur conciliatio est confessionem, quæ permittitur in illo casu Leonis esse tantum generalem per signa contritionis et petitionem confessoris. Decretum autem sanctissimi non loqui de tali confessione, sed de sola illa, quæ ordinario modo fit de peccatis in particulari, ut significant illa verba : *Peccata sacramentaliter confiteri*, et ita casum illum Leonis non esse exceptionem ab universali prohibitione Clementis; quia, illa non obstante, semper verum est in nullo casu esse licitum confiteri peccata in particulari sacerdoti absenti.

ADDITIO IV AD NUM. IX.

« Lugo de pœnitentia disp. 17, sect. 4, » a numero 71 fere defendit Clementem » octavum loqui in suo decreto de confes- » sione speciali peccatorum, Leonem vero » de generali; dicit enim prædictum Cle- » mentem loqui de confessione stricta et ri- » gorosa, Leonem vero loqui de confessione » non stricta : prima autem ipsius Lugo ex- » plicatione nihil aliud fere est, quam con- » fessio specialis; secunda vero nihil aliud » fere est, quam confessio generalis. Eodem » modo interpretatur prædicta decreta ar- » chiepiscopus Armacanus relatus et trans- » scriptus a Lugo sect. allegata a num. 77; » quam interpretationem minus rejicit Di- » dacus Alvarez 12, disp. 80, num. 54. »

10 Hæc conciliatio supponit doctrinam mihi valde novam, et (nisi fallor) contrariam communi conceptioni non solum theologorum, sed etiam fidelium omnium : ac proinde decreto Leonis non satisfacit et decretum Clementis non bene explicat, et occasionem præbet evertendi et eludendi illud. Declaro singula. Nam in primis supponit illa responsio in aliquo casu extremæ necessitatis per se et ex vi juris divini et institutionis hujus sacramenti confessionem generalem esse sufficientem materiam, et nihilominus confessionem specialem non esse materiam : imo esse prohibitam etiamsi quoad reliqua cum eisdem circumstantiis fiat. Hoc autem dico esse novum et inauditum ac per se incredibile. Assumptum constat ex ipsa responsione, in qua dicitur valere sacramentum in casu Leonis cum confessione generali; et nihilominus per decretum Clementis declarari confessionem specialem in eo casu factam esse illicitam et nullam, utique ex vi juris divini, quod illud decretum declarat, non ex novo jure, quod statuat.

11 Quod autem hoc sit novum, patet primo, quia in nullo auctore invenitur, imo multi negant confessionem generalem in eo casu valere, ex solo hoc titulo et defectu quod generalis tantum est. E contrario vero nullus negat confessionem specialem in eo casu esse validam ex illo capite, quod non solum in genere, sed etiam in specie fit. Unde si absentia non obstat valori confessionis generalis, nullus umquam dixit obstare valori confessionis specialis, si pœnitens possit et velit eam facere. Secundo quod id sit incredibile, patet, quia concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 5, docet confessionem in genere dumtaxat factam non sufficere ad hoc judicium sacramentale, sed requiri in specie, quod ad minimum debet intelligi per se et si fieri possit. Ergo contra hanc doctrinam est dicere, quod in aliquo casu confessio generalis est sufficiens materia et non specialis, etiam si cum eisdem circumstantiis fieri possit. Nam si generalis valet, solum est propter impotentiam descendendi ad particularia. Et ideo requiritur (ut ex doctrina ejusdem concilii Tridentini colligitur) voluntas dicendi reliqua, ut virtute intelligantur comprehendi in his quæ dicuntur. Ergo incredibile est, ubi confessio generalis sufficit, non multo magis valere specialem, si pœnitens possit illam facere. Tertio quia nulla ratio firma et solida dari potest, ob quam ex vi juris divini absentia sacerdotis in eo casu non reddat invalidam confessionem generalem et reddat specialem. Nam si non obstante absentia est sufficiens conjunctio vel simultas inter illam materiam et formam, et satis applicatur materia per testimonium aliorum, sufficitque humana fides de accusatione et dispositione pœnitentis ad judicium ferendum : totum hoc æque habet locum in utraque confessione. Quid ergo est cur generalis valeat, quæ alias ex se esset insufficiens, et non specialis, quæ alium defectum non habet propter absentiam?

12 Respondere possunt confessionem specificam tunc non permitti propter incommoda, vel scandala, quæ sequi possunt, quæ tamen cessant in confessione generali. Sed hoc valde infirmum fundamentum est ad fundandum in eo jus divinum et insti-

tutionem sacramenti; maxime cum hæc incommoda et scandala non sint intrinseca et facile vitari possint. Præterea constat illationem illam invalidam esse, nam etiam potest habere incommodum et scandalum confiteri publice et coram testibus; et tamen nullus dubitat quin in necessitate fieri possit. Item docent D. Augustinus, D. Thomas et omnes, quando quis in extrema necessitate non habet sacerdotem, posse confiteri laico, narrando in specie omnia sua peccata, non quidem sacramentaliter, sed humilitatis gratia, vel ulterius adjutorii. Si ergo hoc fieri potest sine incommodo et scandalo, cur non poterit quis simili laico committere talem confessionem, ut eam præsentet sacerdoti, si ante mortem suam venerit? aut quod majus incommodum, vel scandalum inde sequitur? Est ergo illa ratio omnino frivola. Quare si absentia non obstat valori confessionis sacramentalis ut sic, non potest obstare valori confessionis specialis.

13 Imo in tali casu specialis confessio potius esset consulenda et eligenda, quam generalis, quia in dubiis tutior pars sequenda est et dubium quoad fieri possit est minuendum, maxime ubi intervenit periculum æternæ salutis. In illa autem confessione generatim facta sunt duo dubia, quæ in opinione adhuc versantur, unum de generalitate aliud de absentia : dicendo aliquid in particulari coram circumstantibus, tollitur saltem altera pars dubii : ergo illud est securius et consultius. Maxime quia si dicatur unum vel aliud leve peccatum in specie, nullum potest timeri incommodum vel scandalum. Et sæpe etiam nullum erit, etiamsi confessio integre fiat, ut dictum est de confessione facta laico, et alioquin erit humilior et cum majori erubescentia. Ergo dici nullo modo potest confessionem specialem esse prohibitam in illo casu jure divino, cum supponamus generalem non esse prohibitam. Ergo nec prohibita est per decretum Clementis, quod in hac parte non condit jus novum, sed declarat id, quod sequitur ex institutione et essentia sacramenti.

14 Atque ita constat per illam responsionem non satisfieri decreto Leonis : quia ipse indifferenter dicit in eo casu admittendam esse pœnitentiam per testimonium circumstantium sacerdoti applicatam : et quamvis non declaret illam confessionem debere esse specialem, tamen etiam non declarat solum posse esse generalem, sed indifferenter loquitur. Ergo ex vi illius decreti etiam confessio specifica admittenda est per testes in illo casu. At jus illud nulla in parte derogatum est per decretum Clementis : ergo in illo casu licitum est ægroto confiteri sive in genere, sive in specie, prout potuerit et sibi libuerit, et prout sibi utilius esse judicaverit.

15 Unde etiam concluditur, decretum Clementis non convenienter exponi et limitari ad confessionem in specie et ordinario modo factam. Primo quia cum decretum simpliciter loquatur de confessione, non expedit addere limitationem veluti coactam et extortam vi difficultatis; præsertim quia hoc decretum declarat proprietatem quamdam simpliciter necessariam ad valorem hujus sacramenti, ac proinde convenientem illi ex vi suæ institutionis et essentiæ, nimirum quod solum possit confici a ministro in præsentia pœnitentis. Ergo non potest limitari ad confessionem generalem vel specificam : quia proprietates hujusmodi, id est ita intimæ et necessariæ, non conveniunt sacramento ex hac vel illa conditione materiæ, quæ simpliciter essentialis non est, sed ex absoluta ratione et institutione sua. Secundo quia etiam addita illa limitatione non expeditur difficultas, in qua versamur; quia ostensum est non obstante hoc decreto esse licitam et validam confessionem specificam factam in casu Leonis et relatam per circumstantes sacerdoti postea advenienti, quando infirmus jam non valet aliquo signo proprio illam confirmare. Tertio (et est valde considerandum), quia per illam limitationem enervatur illud decretum quoad principalem intentionem suam. Nam si in illo non est sermo de omni confessione, sed tantum de specifica, ergo nec erit sermo de omni absolutione, sed de illa tantum, quæ cadit in confessionem specificam. Nam evidenter loquitur de absolutione cadente in confessionem, quam declarat illicitam. Et quia (ut supponitur in illa responsione) solum loquitur de ordinario ministerio hujus sacramenti, ergo non obstante hoc decreto, poterit in casu Leonis non solum confessio generalis fieri sacerdoti absenti, sed etiam ab eodem absente absolutio de tali confessione obtineri, saltem quando sacerdos est ita impeditus, ut non possit coram ægroto comparere. Patet se-

quela, quia decretum nihil de toto illo casu loquutum est juxta illam interpretationem : ergo nihil innovavit : ergo reliquit libertatem, sequendo in eo casu opinionem, quæ antea dicebat posse dari absolutionem pœnitenti absenti in casu impotentiæ et necessitatis. Consequens autem absurdissimum est; destruit enim decisionem, ac fundamentum hujus decreti, ut ex sequenti puncto constabit.

16 Est ergo quarta responsio seu interpretatio, sanctissimum D.N. per illa verba : *Neve in aliquo casu* non comprehendisse casum impotentiæ et necessitatis extremæ, qui solet esse singulariter exemptus, quoad plures conditiones, quæ extra illum casum necessariæ sunt. Unde cum casus Leonis sit casus impotentiæ et extremæ necessitatis, nimirum non est quod sub illa universali prohibitione comprehendatur.

17 Hæc vero expositio decretum destruit et fundamentum ejus evertit. Potest enim illa explicatio, seu licentia, quæ per illam datur, intelligi, vel quoad confessionem tantum absenti factam, vel etiam quoad absolutionem datam in absentia, atque adeo quoad totam propositionem ibi damnatam. Primum dici non potest, tum quia decreto æque loquitur de utraque parte, quatenus unam propositionem componunt, de qua tractat per se primo per modum unius, ut patet ex verbis illis : *neve ista propositio*. Ergo si tota propositio admittit exceptionem pro casu impotentiæ et necessitatis et pro illo non damnatur, quo ad neutram partem damnatur. Tum etiam quia si propter impotentiam et necessitatem admittitur exceptio in confessione, eadem impotentia et necessitas potest intervenire in absolutione : nec poterit solida ratio diversitatis dari persistendo in verbis decreti. Atque totum hoc negotium revocabitur ad antiquas opiniones circa talem formam, an possit cadere in absentem; quod est contra finem hujus decreti et necessitatem ejus.

18 Multo autem evidentius hoc incommodum sequitur admittendo alteram partem : quia revocatur controversia illa de confessione et absolutione in absentia ad antiquum statum, semper enim tractata fuit de casu necessitatis; nam extra illum quis umquam dixit esse licitum conficere hoc sacramentum inter absentes? Item tollitur fundamentum hujus decisionis, quia fundari non poterit in essentia hujus sacramenti, nam hæc eadem est in quocumque casu, etiam impotentiæ et necessitatis. Et ideo pro certo supponendum est verba illa : *Neve in nullo casu* nullam exceptionem admittere, sed comprehendere etiam casum extremæ necessitatis, tam pro confessione, quam pro absolutione, de quibus decretum loquitur.

19 Ad vitanda ergo hæc incommoda dictum est a nobis decretum hoc damnare confectionem hujus sacramenti inter absentes, ita ut in nullo casu liceat; et consequenter in universum damnare absolutionem datam in absentia; et simili etiam modo damnare confessionem factam sacerdoti absenti, in ordine ad absolutionem ab eodem absente obtinendam. Et ideo non comprehendit confessionem factam in casu Leonis, quia illa non fit sacerdoti absenti, ut absens absolvat, sed ut præsens veniat et plene instructus de statu pœnitentis illum in præsentia absolvat.

ADDITIO V AD NUM. XIX.

« Prætermisi intactos multos ex superioribus numeris, quia nihil est, quod illis superaddatur. Veniendo igitur ad 19 doctrinam seu interpretationem, quam auctor in illo tradit et in sequentibus probat, amplectuntur Felliucius tomo I, tract. 7, cap. 1, num. 20, et Villalobos in in Summa, tomo I, tract. 9, definitione 37, num. 6; et probabilem vocat Becanus de sacramentis, cap. 37, quæst. 8; nam contrariam vocat tutiorem.

» Traditam enim interpretationem rejiciunt Turrianus de pœnitentia, quæst. 9, art. 2, disp. 32, dubio 4; Fagundez præcepto 2, lib. II, cap. 10; Seraphinus de Freita in Additionibus ad tractatum de confessoribus sollicitantibus, quæst. 13, num. 31; Alphonsus de Leone tractatu de officio et potestate confessoris tomo II, Recollect. 6, num. 123; Choquetius, Alvarez, Petrus Fay, Pitigianus, Sylvius et alii quos refert et sequitur Diana parte III, tract. 3, de absolutione moribundi, resolutione 7, §. *Sed negativam;* rejicit etiam Lugo de pœnit. disp. 17, sect. 4, n. 61, ubi addit prædictam interpretationem rejectam fuisse primo a Clemente VIII, postea vero sub Paulo V, 14 die Julii, anno 1605, a congregatione sancti officii, quod etiam testatur archiepiscopus Ar-

» macanus in epistola scripta ad patrem » Ægidium 6 Junii anno 1624. Cum autem » non constet authentice de hac rejectione, » nec de illius auctoritate, non est cur in » illa immoremur, præcipue quia non est » mei instituti in hoc opere solvere argu- » menta, quæ fiunt contra doctrinam Soarii, » licet aliquando obiter solvam aliqua. »

20 In qua interpretatione breviter considerari possunt tria illa, quæ in principio præmisimus. Primum est esse proprietati et formalitati verborum ejus valde consentaneum, scilicet *sanctissimus damnavit hanc propositionem, licitum est confiteri sacerdoti absenti et ab eodem absente absolutionem obtinere*. Nam illa particula *et* in omni proprietate admittit copulatum sensum. Et illud singulare demonstrativum *hanc* propositionem quodam modo cogit ad illum sensum admittendum, quia designat unam propositionem hypotheticam, quæ directe damnatur. Et relativum illud *ab eodem absente* indicat sermonem esse de toto illo facto per modum unius, ut latius in responsione ad censuram declaratum est.

Videri potest peculiare scriptum de hac re.

21 Secundum est interpretationem hanc considerasse et retinuisse solidum fundamentum illius decisionis, quod in verbis formæ necessariis ex vi institutionis et ecclesiasticæ traditionis positum est, et consequenter in debita et prudente administratione hujus judicii. Nam significatio formæ requirit præsentiam et sacramentum hoc proprie non conficitur, nisi quando forma profertur; nam solus sacerdos est minister, qui hoc sacramentum conficit juxta doctrinam concilii Tridentini cap. 3 et 6, sess. 14. Et ita Christus Dominus Joan. 20 totum hoc sacramentum instituit dando potestatem judicialem sacerdotibus. Ex illa ergo colligenda est omnis conditio essentialis hujus sacramenti, vel ita concomitans essentiam, ut ab illa numquam separetur. Recte ergo ex illa colligitur absoluta necessitas præsentiæ, quæ primo quidem postulatur propter formam et officium judicis; consequenter vero etiam necessaria est ex parte confessionis, maxime vero quatenus cum absolutione conjungenda est. Nam secluso respectu ad absolutionem ex vi institutionis non est determinatus certus confitendi modus, tamquam simpliciter et in omni casu necessarius. Sed solum præscriptum est ut confessio fiat, quantum fieri possit integre, apte et accommodate ad hoc judicium ferendum et consummandum. Et ita manet firma et solida decisio nostri decreti.

22 Tertium est, quia juxta hanc interpretationem est facilis concordia et evitantur omnia pericula et incommoda aliarum interpretationem et quodcumque aliud, quod excogitari possit, ut ex sequentibus punctis patebit. Duo enim incommoda in hac interpretatione excogitata sunt. Unum est sequi ex illa absolutionem posse dari absenti, si jam confessio in præsentia præcessit, quia hoc non cadit sub damnationem decreti, cum dictum sit illam fieri directe in solum hypotheticam. Respondemus negando sequelam, quia licet hypothetica per se primo damnetur, tamen fundamentum damnationis in altera parte, scilicet in absolutione principaliter positum est, ut declaravimus. Quando autem hypothetica damnatur præcipue ratione unius partis, æque pars illa per se sumpta damnata est. Exemplum sit optimum in verbis Christi : *Qui dimiserit uxorem suam et alteram duxerit mœchatur*, nam tota propositio est in omni casu vera ratione illius ultimæ partis, *et aliam duxerit* : et ideo etiam de illa sola per se sumpta verum est dicere, quod qui aliam duxerit, mœchatur etiamsi priorem non dimittat.

23 Deinde est optima ratio supra insinuata, quia hoc sacramentum tunc conficitur, quando forma profertur. Cum ergo per hoc decretum definitum sit non posse hoc sacramentum confici inter absentes in illo casu, plane eodem modo est definitum non posse absolutionem dari absenti, quantumvis fingatur confessio in præsentia præcessisse. Quamquam hoc etiam impossibile sit quoad totam confessionem, quia necesse est, ut inter priorem confessionem et absolutionem aliquod tempus intercesserit, de quo non potest per priorem confessionem constare.

24 Aliud inconveniens est quia sequitur absolute et simpliciter non esse prohibitam confessionem in absentia, dummodo ordinetur ad absolutionem in præsentia. Unde ulterius sequitur hoc esse licitum etiam extra casum extremæ necessitatis. Respondetur negando sequelam. Non enim bene sequitur : in extrema necessitate licitum est unum peccatum confiteri omissis aliis, quæ necessitas dicere non permittit; ergo illud per se licet, vel non est

prohibitum extra illam necessitatem. Item non sequitur : confessio per tertiam personam fieri potest in casu impotentiæ seu ignorantiæ idiomatis, quo uti licet interprete : ergo absolute et extra illam necessitatem licet per alium confiteri. Ita ergo dicimus in præsenti per se quidem non licere confiteri absenti, etiam ut in præsentia absolvat, tamen in casu impotentiæ et necessitatis licere.

25 Dices saltem hanc prohibitionem non haberi ex hoc decreto sanctissimi; quia de illa confessione in absentia loquutum non est, ut nos interpretamur. Atque ita relinquitur hoc sub opinione et arbitrio pœnitentium, quod est magnum inconveniens. Respondetur negando hanc posteriorem partem illationis, quidquid sit de priori. Quia illa prohibitio satis declarata est per Leonem papam in suo decreto, ubi in penultimo casu dicit, necessarium esse, ut ægrotus ostendat conscientiam suam sacerdoti præsenti *per indicia integri sensus*, nimirum quando illum habuerit. Et in ultimo casu addit conditionem, sub qua sola dicit sufficere testimonium circumstantium, videlicet : *Si quod paulo ante poscebat sub præsentia sacerdotis significare non valeat.* Quæ conditionalis ex vi sua explicat necessitatem, extra quam non sufficit aliorum testimonium.

26 Unde addimus hanc prohibitionem satis contineri in virtute decreti sanctissimi. Nam ex natura rei sequitur ex dogmate in eo stabilito, videlicet quod hoc sacramentum tantum potest confici in præsentia ministri. Posito enim quod quis mittat confessionem suam ad absentem, ut veniat ad absolvendum in præsentia : vel pœnitens, quando sacerdos jam est præsens, est compos sui et intelligit quid minister sacramenti erga se faciat et sic necesse est ut aliquo signo annuat et precedentem confessionem confirmet, quod est virtute illam iterare et in præsentia facere; si vero pœnitens jam non est compos sui, incidimus in casum impotentiæ et necessitatis, de quo Leo loquitur. Ergo eo ipso quod definitur necessariam, esse præsentiam ad absolutionem, definitur esse necessariam ad confessionem solum quando pœnitens est compos sui. Quod per sese est adeo evidens secundum rectam rationem, ut vix indigeat declaratione. Quis enim recogitare potest aliquem sufficienter confiteri, qui in præsentia sacerdotis potest proprio actu suam mentem significare et non facit? Est enim id contra omnem rationem veræ accusationis, præsertim pœnitentialis et sacramentalis. Unde etiam constat talem confessionem in absentia factam sine necessitate nullam esse, nisi quatenus in præsentia iteratur seu ratificatur; et tunc si quid præcessit, habet potius rationem consultationis quam confessionis.

27 Ex quibus omnibus judicium ferri potest de qualitate hujus interpretationis; de qua hæc declarari desiderantur. Primum, an decisione Leonis et communi opinione in ea fundata, orta fuerit sufficiens causa inquirendi aliquam hujusmodi interpretationem, vel fuerit potius vanus prætextus ad introducendam illam. Secundum, an talis interpretatio rationabiliter dici possit aperte pugnare cum definitione sanctissimi, seu quod idem est esse contrariam verbis decreti. Tertium, an per se spectata probabilis sit. Quartum, in quo gradu probabilitatis sit comparatione aliarum. Vel si cæteræ hactenus inventæ admittendæ non sunt, an hæc sit necessaria, quando quidem et ad securitatem doctrinæ et ad bonum usum hujus sacramenti necessarium est, veram aliquam interpretationem et concordiam utriusque decreti habere.

28 Verumtamen esto in ipsa interpretatione et doctrina quam includit nihil sit censura aut reprehensione dignum, nihilominus arguitur auctor, quod vivente pontifice et ipso inconsulto ausus fuerit, et decretum interpretari, et declarationem ipsam publice edere. Sed certe si interpretatio ipsa damnabilis non est, nec reprehensibilis, nulla ratio culpæ vel prohibitionis cogitari potuit ab auctore in illo facto. Quia in decreto ipso nulla est clausula ejus interpretationem prohibens Neque etiam jure communi positivo prohibitum est interpretari legem vivente principe auctore ejus, vel canonem vivente pontifice. Deinde non est hoc contra usum; imo nihil est frequentius, magisque usitatum, tam in legibus civilibus, quam in canonicis et in privilegiis, bullis et aliis rescriptis. Et in particulari fecit hoc Navarrus Romæ vivente Gregorio XIII; et super bullam sanctissimi D. N. de largitionibus religiosorum expositionem edidit P. Franciscus Sossa generalis sancti Francisci. Ex qua consuetudine constat hujusmodi interpretationem

non esse per se malam, aut contra rationem et prudentiam.

29 Imo ex se nulla est præsumptio, quod interpretari hoc modo aliquod decretum sit contra voluntatem pontificis, quin potius esset illi molestum in singulis emergentibus dubiis authenticam interpretationem adhibere. Et ideo solent pontifices ita interrogati respondere, ut doctores interpretentur, prout de jure. Quod si in hoc particulari decreto occurrebant peculiares circumstantiæ, ob quas credi potuisset non fore gratum pontifici quod doctor privatus auderet ejus decretum interpretari, nullum auctor principium, vel conjecturam habuit, unde hoc posset suspicari. Quin potius credidit diligentiam suam in conciliandis illis decretis cum magna utriusque reverentia et fidelitate futuram fuisse non ingratam apostolicæ sedi.

30 Denique idem auctor illam interpretationem dedit huic decreto ad verbum illud : *Non est licitum*, dicens ex materia et aliis circumstantiis intelligi illud ita esse illicitum, ut inducat nullitatem, quia est contra substantiam sacramenti. Quæ interprætatio placuit et ideo non displicet, quod data fuerit ab auctore vivente pontifice et ipso inconsulto. Si ergo altera interprætatio in se spectata reprehensibilis non est, dedisse illam inconsulto pontifice reprehensione dignum non videtur.

ADDITIO VI AD NUM. 28 ET SEQUENTES.

« Posse doctores interpretari leges inter-
» pretatione doctrinali docet auctor lib. IV
» de legibus, cap. 1, num. 5, addendo rem
» esse adeo claram, ut non indigeat proba-
» tione; docet etiam Salas item de legibus
» disp. 21, sect. 11 a § : *Sed non in con-*
» *trarium;* ubi id probat ex multis textibus,
» allegando plures doctores, quæ recensere
» superfluum duxi in re adeo triviali et in-
» dubitata. »

CAPUT III.

Judicium patris Francisci Suarez circa scriptum doctissimi cujusdam viri de absolutione collata per sacerdotem absentem ei, qui per literas vel internuntium confessus est.

Tres partes habet illud scriptum : in prima dicit illius auctor esse peccatum absolvere personam absentem. Num. 1. *Non tamen satis declarat, an hoc sit in se malum et ex institutione hujus sacramenti, an solum extrinsece, ibi.*

Convincitur non satis declarasse neque probasse a num. 2.

Improbantur aliqua, quæ dixit disputando, a num. 5.

Illicitum est ex vi juris divini absolvere pœnitentem in absentia, etiam in casu necessitatis extremæ. Num. 9.

Satisfit cuidam objectioni in contrarium. Num. 10.

In II *parte scripti dicit illius auctor valere absolutionem datam in absentia pœnitenti. Num* 11. *Non est toleranda hæc sententia post decretum Clementis, ibi.*

Immerito pro illa citantur aliqui doctores. Num. 12.

Immerito allegatur Divus Paulus, a n. 13.

Immerito conqueritur de Soario auctor illius scripti. Num. 16.

Auctori evertere conanti in suo scripto fundamenta Soarii respondetur a num. 17.

Ex quibusdam principiis infert Soarez absolutionem datam pœnitenti absenti semper esse illicitam, quia semper est nulla. Num. 21.

Magis explicat quale sit suum fundamentum et probat suam sententiam. Num. 22 *et* 23.

Absolutionem datam pœnitenti absenti constat certe esse nullam post decretum Clementis VIII. Num. 24.

Pontifex potest irritare absolutionem dandam etiam in casu extremæ necessitatis. Num. 25. *Numquam tamen id fecit, ibi.*

1 Tres habet partes illud scriptum. In prima tractat, an sit peccatum absolvere personam absentem, quæ per literas, vel nuntium sua peccata confessa est. Et re-

solvit, ac bene, esse peccatum etiam in casu extremæ necessitatis. Numquam tamen satis declarat, an hoc sit per se et intrinsece malum, et ex institutione talis sacramenti; vel an sit malum, quia prohibitum est ab ecclesia, vel ante Clementem octavum, vel saltem ab ipso. Cum autem hic sit cardo totius disputationis et fundamentum, ex quo intrinsece dependet resolutio quæstionis propositæ, oporteret ut gravissimus doctor clare in hoc explicaret nobis mentem suam.

2 Quod autem hoc non fecerit, probatur, quia interdum significat hoc fuisse illicitum ante decretum Clementis. Nam num. 2 (a me cum aliis annotato) probat hoc esse illicitum ex catechismo, et ex declaratione congregationis cardinalium in concilium Tridentinum, quamvis dicat se eam non vidisse : ego autem vidi et apud me habeo, et vere allegatur. Utrumque autem ex his testimoniis antiquius est decreto Clementis. Deinde in toto discursu, quem ibidem prosequitur, sola ratione conatur ostendere hoc esse illicitum, posita institutione talis sacramenti.

3 At vero contrarium insinuat in num. 1 in verbis illis : *Certissimum est eam esse hodie prorsus illicitam.* Cum enim dicit *hodie*, indicat esse novam prohibitionem. Et in num. 4, ibi : *Magna prudentia prohibuit pontifex non licere.* Si enim existimaret hoc esse per se malum, dixisset potius : *Declaravit pontifex non licere;* maxime cum contextus ipse verborum hoc potius postularet : nam si prohibuit non licere, satis improprie dici videtur, nisi reddat hunc sensum : *Sua prohibitione fecit non licere.* Qui sensus supponit ante non fuisse illicitum. Præterea idem significat in secunda parte illius quæstionis versu : *Quod autem* et versu : *Itaque solutis* juxta num. 17 et 18. Postea vero, num. 24, subjungit hæc verba: *Demum in hac prohibitione jus divinum quodammodo admiscetur;* satis profecto ambigua et obscura. Quid enim est *quodammodo?* Aut enim jus divinum per sese reddit actum illum illicitum, et sic semper fuit illicitum, ac subinde non quodammodo, sed simpliciter et omnino hic miscetur jus divinum, adeo ut pontifex Clemens quoad hanc partem non condat jus omnino novum, sed declaret antiquum. At jus divinum non prohibet hoc simpliciter et pro omni casu, sed ordinarie ac regulariter, relinquendo nihilominus locum prudenti arbitrio ut in casu necessitatis aliter fieri possit, sicut dici potest de mutilatione confessionis. Et juxta hunc sensum fatendum est decretum Clementis quoad primam ejus partem continere jus divinum; quoad illa autem verba : *Neve umquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quovis modo deducatur,* esse novi juris positivi constitutionem. Quod si ita est, parum profecto refert ad justificandam hanc novam prohibitionem, vel potius hoc prohibitionis augmentum, quod misceatur jus illud divinum continens tantum ordinariam prohibitionem. Quin potius inde posset prohibitio novi decreti nimis rigorosa videri et contra christianam pietatem, ac proinde fortasse supra humanam potestatem, ut statim deducemus.

4 Quod si ratio juris divini consideretur prout ab auctore brevissimis verbis prædicto num. 24 proponitur, ad summum videtur probare jus divinum regulare et ordinarium in posteriori sensu declaratum. Si tamen consideretur eadem ratio, prout ab eodem auctore urgetur et defenditur in prima parte a num. 1 usque ad 5, plane significat auctor ex vi illius rationis, jus illud divinum extendi ad casum extremæ necessitatis. Nam summa rationis est, quia numquam licet exponere se periculo morali absolvendi indignum seu indispositum, quod periculum semper manet, etiam in extrema necessitate, ut vult idem auctor. Intendit ergo illa ratione persuadere ex vi juris divini illicitum esse absentem absolvere in quocumque casu etiam extremæ necessitatis.

5 Sed re vera id non assequitur, nonnullaque per eam occasionem dicit, quæ nobis probari non possunt. Nam in primis multi esse possunt casus frequentes et morales, in quibus evidens moraliter sit nullum esse tale periculum; quod satis est ad honestatem actionis, loquendo ex jure divino et seclusa ecclesiastica prohibitione. Assumptum patet ex his, quæ idem auctor ex Navarro refert, et approbat in II parte, num. 19, quia sæpissime accidit ut pœnitens non possit convenire sacerdotem, neque e converso propter gravem utriusque ægritudinem. Qui casus magis urgebitur, si nuntius testificetur sacerdoti ægrotum jam agentem animam esse optime dispositum et brevissima sit temporis mora, ex quo ab

illo discessit. Item et fortius, si testificetur jam amisisse judicium, vel in phrenesim incidisse et usque ad illud punctum multa signa optimæ dispositionis dedisse : tunc enim jam est moraliter certum illum non mutasse mentem : et quod hæc moralis certitudo sufficiat etiam nunc, si aliud non obstet, est evidens, quia si contingat sacerdotem ire usque ad pœnitentem, et invenire illum sine sensu, potest et debet illum absolvere propter relationem nuncii vel circumstantium, ut alias late disputatum a nobis est ex decreto Leonis papæ et aliquorum conciliorum. Ergo si alioqui absentia non obstat quominus absolutio data pœnitenti absenti valida sit, non fiet illicita ratione periculi, seu ex defectu sufficientis judicii de dispositione pœnitentis. Adde posse augeri hanc certitudinem, si ponamus sacerdotem in præsentia ægroti incepisse audire confessionem ejus et vidisse in illo optima contritionis signa; statim vero post incohatam confessionem ægrotum amittere loquelam, vel judicium ejus perturbari, ideoque sacerdotem pro tunc suspendere tam absolutionem quam confessionem, et alio ire, donec ægrotus ad se redeat. In eo enim casu certus incedit sacerdos de dispositione pœnitentis usque ad illud punctum. Si ergo postea dum absens est conveniatur per nuncium, qui testificetur ægrotum numquam amplius ad se rediisse et jam esse tam vicinum morti, ut nulla sit spes aut dilationis mortis, aut reditus ad judicium et sensum, certe nullum erit periculum male absolvendi illum absentem propter metum indispositionis, maxime si adjungamus vel sacerdotem esse denuo impeditum, ne ire possit, vel multo evidentius esse periculum, quod ægrotus sine absolutione moriatur, si sacerdos differat absolutionem, donec ad præsentiam ejus perveniat.

6 Alius casus in dict. num. 19 positus est, si pœnitens in carcere detineatur, ut in provinciis hæreticorum : et oportet addere illum esse damnatum ad mortem, paulo post executioni mandandum, et sacerdoti nullum patere aditum ad carcerem vel non sine periculo mortis. Tunc enim ipsa propinquitas mortis facit moralem certitudinem (simul cum aliis circunstantiis et testificationibus), quod ille pœnitens animum non mutaverit. Quod maxime locum habet, quando propter confessionem fidei damnatur ad mortem, et ipse in fide constans et per eam operans, recurrit prius ad pœnitentiam quantum potest; augebit etiam multum certitudinem, si sacerdos antea notam habeat conscientiam pœnitentis, et sciat esse timoratum et pro æterna sua salute sollicitum. Neque isti casus sunt excogitati subtiliter, sed sunt practici, et morales, et pro illis oportet satisfacere, et reddere rationem decreti Clementis; nam ex illis orta est præcipua occasio prædictæ controversiæ, quam Clemens dirimere voluit.

7 Idemque judicium est de alia causa hujus necessitatis, in eodem num. 19 addita, scilicet magna penuria sacerdotum, ut est in India; nam hæc per se non sufficit, nisi aliunde ex parte pœnitentis sit extrema necessitas, quæ non exstat nisi in articulo mortis, sive naturalis, sive violentæ : hæc enim diversitas non multum refert, ut ex necessitate reddatur licita actio, si aliunde concurrant sufficientes conjecturæ de bona dispositione pœnitentis. Nisi forte auctor, vel Navarrus, quem refert in illo casu de penuria sacerdotum, putet sufficere alias necessitates graves præter extremam ad honestandum illum actum ex vi juris divini. Sed hoc auctor admittere non potest, si rationem suam consequenter defendat.

8 Igitur ex illo principio, quod non liceat absolvere aliquem cum morali periculo pravæ dispositionis ejus, non potest inferri esse intrinsece malum absolvere absentem ex vi juris divini. Nam ex illo principio immediate solum infertur ut sacerdos licite absolvat prius debere prudenter judicare practica et humana certitudine pœnitentem hic et nunc esse dignum absolutione, et probabiliter de illo judicare esse bene dispositum. Hoc autem judicium prudens et probabile in multis casibus potest ferri de persona absente, et multi alii possunt facile excogitari. Quia necessarium non est, ut sacerdos suis oculis videat contritionem pœnitentis, vel in se ipsa, quod non potest, vel in signis coram sacerdote ipso exhibitis : quia hoc (ut dixi) etiam post decretum Clementis non est semper necessarium. Ergo satis est, ut per testes, vel signa, vel alias probabiles conjecturas tale judicium prudenter fiat. Nam si quid manet tunc periculi, non est morale, sed physicum, aut metaphysicum, nec inducit dubium practicum, sed speculativum, quod

non impedit honestatem actionis. Adde eumdem auctorem in eodem scripto sub num. 16 asserere interdum esse licitum absolvere eum, quem certo constat esse indispositum, ac proinde absolutionem ejus futuram esse invalidam. Si ergo hoc in casu licet, cur in extrema necessitate non licebit absolvere, non cum indispositione certa, sed dubia tantum et non practice, ut ille fingit, sed tantum speculative dubia? Quamquam illud dictum nobis non probetur, nisi cum hoc moderamine, quod illa certitudo non sit tanta, quin possit deponi et formari aliud judicium practicum; quod accidere possit, non obstante altera existimatione quod hic pœnitens sit bene dispositus et quod in tali foro et per notitiam in eo comparatam non satis constet contrarium, nam hoc satis est, ut licite detur absolutio : ut v. g., in casu ibidem posito, quando sacerdos scit pœnitentem commisisse peccatum, quod in confessione non aperit, vel etiam negat, licet ex hac scientia videatur fieri certum pœnitentem male confiteri; nihilominus suspendi potest judicium, quia fortasse pœnitens alteri prius occulte confessus est, vel ratione aliqua aut ignorantia probabili ducitur ad judicandum se nunc non teneri huic sacerdoti hoc crimen aperire, quia timet infamationem vel aliud simile nocumentum etc. Sed de hoc alias. Itaque ex illo principio de periculo vitando non potest colligi esse jure divino prohibitam absolutionem absentis pro omni casu : ergo ad summum potest ex illo principio colligi intercedere gravem causam, ut ecclesia potuerit illam prohibitionem facere. Et hoc sane magis indicavit auctor in II parte, num. 23, cum ad argumentum quoddam respondet, posse ecclesiam propter gravissimam causam aliquid prohibere, etiam in necessitate; sentiens ita fecisse in hoc negotio.

9 Ego vero post decretum Clementis certissimum existimo esse illicitum absolvere absentem in quocumque casu etiam extremæ necessitatis ex vi juris divini et non tantum ecclesiastici. Probatur breviter, quia jam omnes convenimus tamquam in re certa, quod hodie hoc sit ita illicitum. At non est illicitum ex vi alicujus juris antiquioris hoc decreto Clementis, quia nullum extat expressum, neque a doctoribus hanc materiam disputantibus allegatur. Et ideo ante decretum Clementis multi graves doctores asseruerunt id esse licitum, ut mox dicemus. Et quamvis ex cap. *Multiplex* de pœnitentia, dist. 1, cum similibus, satis colligatur illam opinionem fuisse falsam, non ideo est, quia ibi feratur nova prohibitio, sed quia supponitur antiqua, cujus initium ignoratur et ideo ad jus divinum merito refertur. Unde a fortiori probatur illam prohibitionem non incepisse a decreto Clementis; multo vero evidentius id constat ex verbis ipsius decreti, quia non continent constitutionem novi juris, sed declarationem antiqui. Proponitur enim in illo quæsito de qualitate hujus propositionis : *Licitum est confiteri sacerdoti absenti, et ab eodem absente absolutionem obtinere.* Ubi non quæritur de illa propositione, ut nunc proferri posset post pontificiam prohibitionem, sed ut circumferebatur et disputabatur ante illud decretum, ut est per se notum, deinde vero ante factam ullam prohibitionem, immediate respondetur : Pontifex hanc propositionem damnavit; quod verbum continet declarationem qualitatis vel falsitatis propositionis, ut per se etiam evidens est. Ergo ex ipsomet decreto constat ante illud propositionem illam fuisse falsam et damnabilem in eo gradu, in quo damnata est : ergo ante illud decretum tale factum erat illicitum ex vi alterius juris et non humani, ut ostensum est; ergo divini. Atque declaratio illa talis est ut statim in eodem decreto extendatur ad omnem casum, nullam exceptionem permittendo, etiamsi sit extremæ necessitatis, ut etiam auctor illius scripti ingenue agnoscit. Est ergo illud factum jure divino illicitum simpliciter, et in omni casu; seu quod idem est, est intrinsece malum, supposita institutione propria hujus sacramenti.

10 Dicere vero quis potest in illo decreto Clementis primam partem, in qua damnatur propositio simpliciter prolata, *licitum est* etc., esse declarativam veritatis vel falsitatis, quam propositio antea habebat, ac proinde continere etiam declarationem antiqui juris : in secunda vero parte statim addi prohibitionem novam, et propriam illius decreti et ad hanc tantum pertinere ostensionem illam, *neve umquam* etc., ac propterea non colligi ex illo decreto factum illud fuisse illicitum ex vi solius divini juris, vel ante illud decretum cum tanta extensione. Sed hoc sustineri non potest

nisi evertendo decretum, et aut falsum aut frivolum et ridiculum illud reddendo. Primo quia damnando simpliciter illam propositionem : *licitum est* vel damnatur pro quocumque casu, vel in rigore non est vera damnatio, vel non est ad rem de qua agebatur. Quod probatur, tum quia cum illa propositio sit affirmativa et indefinita, *licitum est*, ut fuerit vera ante illud decretum, satis fuisset, quod in uno, vel alio casu necessitatis id fuisset licitum : tum etiam quia juxta sensum eorum, qui id prius affirmabant, non asserebatur factum illud nude spectatum et sine causa rationabili sic factum esse licitum, sed solum esse posse licitum, si debitis circumstantiis vestiatur, ita ut sensus illius propositionis *licitum est* etc. sit quasi potentialis, id est licitum esse potest. Ergo in eodem sensu damnatur propositio : ac proinde subsequens prohibitio non additur, ut per illam reddatur actio illa illicita etiam in extrema necessitate, sed ut excludatur praxis contraria sub velamine probabilitatis sententiæ oppositæ. Unde est secunda et urgens ratio; nam si pontifex non supponeret declarationem priorem, non supponeret omnem casum etiam extremæ necessitatis, nec convenienti providentia, nec sufficienti fundamento usum illum etiam pro extrema necessitate prohibuisset, ut statim circa secundam partem deducemus. Accedit tertio quod verba decreti non patiuntur illum sensum, quia non continent extensionem novam, ratione cujus absolutio illa in pluribus casibus sit nunc illicita, quam ante decretum erat. Sed persistendo semper in eadem propositione damnata, de illamet prohibetur, ne dicatur probabilis, aut practicabilis (ut sic dicam) pro aliquo casu. Ergo supponit potius illa prohibitio per damnationem illam declarari absolutionem esse illicitam pro omni casu, solumque vetat de novo, ne sub specie probabilitatis aliud fiat, vel cum illo addito *probabile est* etc. defendatur. Igitur quam certum est (est autem certissimum) damnationem illam jure esse factam et continere declarationem antiqui juris, tam est certum ex vi ejusdem antiqui juris id esse ac fuisse semper illicitum (per se loquendo) pro omni casu. Quia vero illud jus non erat adeo clarum, quin circa illud esse potuerint opiniones theologorum, quamdiu res authentice declarata non fuit, ideo per accidens et propter ignorantiam fundatam in opinione antea fortasse probabili, potuit in praxi non esse illicitum, quod re vera erat contra jus divinum. Ideoque facta declaratione authentica talis juris, merito addidit Clemens prohibitionem illius excusationis, quia post declarationem jam non poterat habere locum. Unde virtute in damnatione ipsa continebatur talis prohibitio quoad hanc partem; sed ad majorem rigorem voluit pontifex illam exprimere, et simul etiam censuram addere. Et hæc de primo puncto.

Circa secundam partem.

11 In hac tractat auctor, an absolutio data absenti sit valida, esto illicite detur; et resolvit esse validam non solum ante, sed etiam post decretum Clementis. Et priorem partem prosequitur a num. 10 usque ad 15. Et quia si quæ ibi contra meam sententiam disputantur non multum repugnarent decreto Clementis, sed tractaretur quæstio in eo statu, in quo erat ante illud decretum, disputatio esset scholastica et unusquisque posset in suo sensu abundare : tamen post illud decretum non videntur mihi toleranda, ut statim in discursu demonstrabo. Quia vero ad legitimam defensionem decreti ejusque auctoritatem necessarium est aperire quantam vim habeant ea, quæ in illa parte adducuntur, id sincere ac brevissime faciam sine ullo spiritu contradictionis, sed solum ut veritas suum locum habeat.

ADDITIO I AD NUM. XI.

« Nihil est, quod addatur superioribus » numeris. De materia undecimi egit Soa- » rius tomo IV in III partem, disp. 19, edito » Lugduni, sect. 3 per totam; ubi a num. 7 » docet cum D. Thoma, Cajetano, Victoria, » Soto et aliis absolutionem sacramentalem » non posse dari absenti : quodsi ibi innuit » contrariam sententiam esse probabilem » propter auctoritatem doctorum, qui illam » docebant, id fecit, quia nondum Cle- » mens octavus declaraverat non posse » absolvi sacramentaliter absentem; post » decretum autem dicti Clementis illam » reprobavit in eodem tomo IV, edito Co- » nimbricæ, eadem disp. 19, sect. 3 a » num. 5. Cum Soario sentiunt Toletus, » Vasquez, Valentia, P. Ægidius, Fagundez

» et alii, quos refert et sequitur Lugo de » pœnitentia, disp. 13, sect. 6, num. 148; » sentit etiam Diana in parte, tract. 3 de » absolutione moribundi, resolutione 7, § » *Sed negativam* et multi, quos ibi allegat. » Tenet denique Bonacina disp. 3 de pœ- » nitentia, quæst. 4, puncto 3, num. 1, in » 1 editione cum Filliucio, Reginaldo, Pe- » tigiano et aliis : nec de hac sententia » potest dubitari post decretum Clementis, » quamvis contrariam tenuerint ante illud » Paludanus, Antoninus, Sylvester, Ar- » milla, Tabiena, uterque Lotus et alii, quo » refert Soarius de pœnitentia, citata disp. » 19, sect. 3, in num. 2 in ultima editione; » qui num. 16 addit prædictam absolutio- » nem non solum esse illicitam, sed etiam » invalidam, licet pœnitens illam reciperet » cum bona fide in absentia; idem docet » Bonacina allegatus cum multis aliis; » quibus adde Leandrum de sacramento » pœnitentiæ, disp. 2, quæst. 28, ubi alle- » gat et citat Coriolanum, Castro Palaum » Trullenx et alios. »

12 Auctores ergo, qui in num. 17 referuntur, ante hoc decretum scripserunt, et non solum affirmabant esse validam absolutionem in casu, in quo ipsi loquebantur, sed etiam licitum esse in eo casu absolvere absentem : ergo immerito nunc afferuntur ad probandum alterum horum esse verum : neque in hoc habent jam auctoritatem, obstante decreto. Deinde non video cur ibi citetur Covarruvius lib. II Variarum, c. 13, num. 6; cum ibi non de hoc puncto tractet, sed an confessio possit fieri per scripturam etiam in præsentia sacerdotis, quod longe diversum est. De Alensi etiam adverto, quod licet ego aliquando illum retulerim, postea legendo illum attentius, percepi eum non loqui de absolutione, sed de sola confessione, quam dicit interdum fieri posse inter absentes : de absolutione autem contrarium docet, ut in alio opere de hac re latius ostendi. Sotus etiam numquam revocavit sententiam, sed aliquando ostendit eo tempore fuisse rem dubiam, et ideo timeri potuisse ne contraria esset in re ipsa vera. Multoque minus mutavit Cajetanus, ut paulo post dicam. Nec dubitamus quin multi alii auctores et graves theologi eam partem censuerint probabilem. Qui autem simpliciter veram esse senserunt et affirmarunt, pauci profecto fuerunt comparatione eorum, qui contrariam tenuerunt : quia priores numerantur tamquam singulares, reliqui vero innumerabiles sunt, quia sunt fere omnes, sive obiter, sive ex professo punctum attingant. Quamquam practice loquendo multi ex his, qui sentiebant illam doctrinam non esse veram in re ipsa, judicabant in necessitate posse practice applicari ad usum propter probabilitatem oppositæ sententiæ, inter quos ita ego sentiebam ante decretum Clementis. Et eodem modo existimo accidisse in concilio Basiliensi factum illud, quod Antoninus refert.

13 In num. 8 novum et mirabile mihi visum est, quod tribuatur apostolo Paulo usus absolutionis sacramentalis circa personam absentem : numquam enim vel a Paulo insinuatur, neque ab aliquo alio assertum legitur. Nam in verbis illis : *Cui aliquid donastis et ego; nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos, in persona Christi, ut non circumveniamur a Sathana.* Hæc (inquam) verba nullum habent vestigium absolutionis sacramentalis. Nam ut omittam quod Paulus dicit : *Si quid donavi* etc., posse referri ad illas remissiones, quas concesserat alio tempore et aliis personis per intercessionem eorum, ut D. Thomas ibi et multi alii exponunt, et est satis consentaneum literæ. Unde fieri potuit ut illa remissio, quam Paulus commemorat, facta fuerit ab ipso, cum prius fuisset Corinthi. Ut hoc (inquam) omittam, quid necesse est donationem illam, seu remissionem de absolutione sacramentali interpretari, cum de remissione censuræ, quam in priori epistola posuerat, satis intelligatur et fere ab omnibus exponatur. Nec verba Ambrosii aliud indicant, quæ sunt hæc : *Si magister, petentibus discipulis, donavit cui voluerunt peccatum, quanto magis obaudire debent discipuli magistrum?* At quis dicat Paulum solitum fuisse remittere sacramentaliter peccata propter preces vel intercessionem aliorum? Aut quis neget communem modum loquendi esse alicui donari delictum, quando pœna illi debita liberaliter remittitur? Unde communi etiam usu ecclesiæ indulgentiarum concessiones solent dici remissiones peccatorum : imo indulgentia plenaria vocari solet remissio quoad culpam et pœnam, cum tamen conset per indulgentias solum reatum pœnæ remitti. Unde fortasse factum est, ut de usu indulgentiarum verba illa interpretentur, ut in IV tomo retuli, disp. 48, sect. 1, num. 7,

disp. 49, sect. 2, num. 3; de quo nunc non disputo, quia etiam illa remissio potest ad absentem fieri, et ob aliorum intercessionem convenientissime fit. Et fortasse de tali indulgentia loquuntur Cajetanus et alii.

14 Tandem interrogo si Paulus sacramentaliter absolvit absentem, an non solum valide, sed etiam licite id fecerit, nec ne : quis audeat dicere illicite fecisse? Si autem fecit licite, cur ex hoc facto Pauli non improbatur resolutio data in priori puncto? Nam ex illo facto non solum probabitur hoc esse licitum in extrema necessitate, sed etiam extra illam, quia Corinthius ille in nulla erat tunc necessitate, nec deerant Corinthi sacerdotes, a quibus superveniente necessitate posset absolvi. Prævidisse videtur objectionem auctor et tacite respondet num. 14, multa ab apostolis facta esse tempore nascentis ecclesiæ, quæ in exemplum trahi minime debent. At si hoc factum non debet trahi in exemplum, cur ab illo argumentatur, aut cur non dicit Paulum absolvisse absentem a culpa sine forma sacramentali per alium modum sibi peculiariter a Deo concessum? Eo vel maxime, quod talia facta extraordinaria contra, vel supra legem etiam in apostolis non sunt facile admittenda, sed ubi evidens auctoritas, vel necessitas coegerit, quæ hic non invenitur.

15 Sed urget in num. 9, contra morem ecclesiæ esse, ut peccata, quantumvis per contritionem deleta, clavibus ecclesiæ et absolutioni non subjiciantur : ergo licet Paulus sciret beneficio lacrymarum fuisse culpam illam a Deo jam remissam illi Corinthio, non propterea debuisse illum tantum a censura absolvere, vel remittere pœnam in foro, vel externo ecclesiæ, vel etiam interno Dei debitam. At quis neget indiguisse Corinthium illum absolutione sacramentali, etiam post quamcumque remissionem a Paulo absente factam? Quod ergo dicimus, est donasse Paulum quod potuit absenti, nam et indulgentiam concedere potuit contrito, nondum sacramentaliter absoluto, et absolutionem a censura dare debuit, (quia fuerat ab homine et ipse fuerat auctor ejus), ut posset sacramentaliter absolvi, quod pertinebat ad proximum et præsentem pastorem : et ideo illi reliquit munus suum. Neque oportet extraordinarium modum alium excogitare.

16 Postea vero num. 11 de me conqueritur, quod non admittam S. Thomam Cantuariensem fuisse in absentia absolutum a culpa a pontifice Romano, quia duo probati auctores Scotus et Sylvester id referunt, quibus credendum est, cum ad factum pertineat. Ego vero fateor hos auctores satis probatos esse in disputandis vel decidendis quæstionibus theologicis aut casibus moralibus, sed in referenda historia cujusdam facti, cui ipsi non interfuerunt, non sunt tam probati, ut sine alia probatione in re tam ardua illis credere debeamus : maxime cum in alia historia id non legatur, nec auctor illius scripti illam adjungat, imo nec Scotus, quem Sylvester sequutus est, loquitur clare et aperte de absolutione sacramentali, sed inquit : *Quia cum narrent pro peccato Romam misisse, eoque argumento sententiam istius absolutionis probari dicant, et hujusmodi peccatum non minus quam censuram reservatum esse probe sciret sanctus ille martyr, pro utroque conjunctim misisse satis assere.* Verumtamen hæc levis conjectura est, quia licet peccatum cum censura sit reservatum; tamen vulgare est apud theologos per absolutionem a sola censura simul auferri reservationem culpæ; unde consuetum est petere absolutionem a censura a pontifice et illa obtenta confiteri sacramentaliter sacerdoti proprio. Ita ergo contingere potuit in facto S. Thomæ. Neque ex illo colligi potest alia absolutio in absentia. Utrumque dic, quod de argumento supra insinuato circa factum Pauli : nam vel pontifex poterat licite absolvere sacramentaliter absentem, vel non : si non licebat, quis audeat dicere illud fecisse, etiamsi factum futurum esset validum? Si autem licebat, destruitur resolutio in priori parte data, non solum pro extrema necessitate, sed etiam sine ulla. Nam quæ erat tunc necessitas, ut pontifex tunc absolveret sacramentaliter Thomam absentem, cum, ablata censura, posset absolvi a quocumque sacerdote præsente, imo et absolutio a censura posset eidem committi? Quod si talis absolutio absentis est contra jus divinum, saltem extra casum necessitatis, ut etiam hic doctor admittit, non potuit pontifex secum dispensare, ut licite id faceret, ergo nec fecisse credendum est.

17 Præterea sub eodem num. 11 evertere conatur fundamentum præcipuum, ob quod ex vi institutionis absolutio data ab-

senti nulla est. Sed ante decretum Clementis fundamentum illud nobis probabilius visum est, quam omnia alia, quæ in utramque partem adducebantur. Nunc autem post decretum censeo habendum esse omnino efficax; quod licet fortasse non sit evidens, debet teneri ut certum ex vi decreti. Non possum tamen nunc in eo fundamento explicando et tuendo immorari, maxime cum in alio peculiari tractatu de hoc puncto nuper edito id fusius et efficacius præstiterimus, quam in IV tomo de pœnitentia. Solum ergo nunc (quod in præsenti necessarium videtur) adverto id, quod inferius num. 18 idem scriptor ad eumdem finem evertendi hoc fundamentum dixit, nempe sicut Christus instituendo sacramento matrimonii nihil de natura contractus naturalis mutavit, sed eum ad rationem sacramenti elevavit, ita eumdem instituendo sacramentum pœnitentiæ nihil mutasse de natura judicii, sed illud tantum ad rationem sacramenti elevasse; hoc (inquam) eo fine dictum esse ut inferatur ex vi institutionis absolutionem posse valide dari absenti; quia sententia judicii proferri potest in absentem. At profecto dictum illud sustineri non potest. Et in primis æquiparatio cum matrimonio non recte fit; nam ante institutionem sacramenti erat contractus matrimonii, secundum totam suam rationem specificam et secundum omnem potestatem et actionem necessariam ad celebrandum illud; at vero judicium nullo modo erat ante institutionem sacramenti, quia nec erat potestas ad tale judicium ferendum, neque actio ejus esse poterat in usu veri judicii. Quapropter verbum *mutandi* non proprie accommodatur huic judicio, sicut illi contractui, quia supponit subjectum quod mutetur. Quod si sit sensus (ut esse debet quia non potest alius cogitari) Christum instituendo hoc sacramentum per modum judicii nullam conditionem ut essentialem postulasse seu addidisse, quæ non sit de essentia judicii ut sic, seu cujuscumque alterius judicii; hic sensus sine dubio falsus est. Quia de essentia hujus judicii est, ut sententia proferatur verbo humano, ut colligitur ex concilio Tridentino, Florentino et traditione ecclesiæ; quod tamen non est de ratione judicii ut sic. Imo in judiciis humanis præsertim gravioribus requiri solet, ut sententia ex scripto proferatur : in hoc autem judicio, nec necessarium, nec conveniens est sententiam scribi. Item in hoc judicio necessarium est, ut idem sit accusator, et reus, et ut ejus testimonio standum sit. Item quod pœna voluntaaie sit ab illo acceptanda. Quæ omnia non sunt de essentia judicii, ut sic, imo in nullo alio judicio inveniuntur. Non ergo instituit Chrtstus hoc sacramentum elevando naturalem ritum alicujus judicii ad esse sacramenti, sicut instituit matrimonium elevando ritum alicujus contractus; sed instituit ipsummet ritum celebrandi tale judicium designando essentialem modum et conditiones necessarias, addendo multas, quæ ex sola rei natura non sunt necessariæ in aliquo judicio. Inter has ergo una esse potuit præsentia rei ad proferendam in illum sententiam.

18 Hanc ergo conditionem nos colligimus ex ipsamet sententia a Christo præscripta, tum qui de necessitate illius sententiæ est, ut proferatur verbo humano, quod sit locutio ad ipsummet reum, ac proinde taliter proferenda, ut ab ipso percipi possit, per se loquendo. Tum etiam quia hac ratione dirigitur ad ipsum ut præsentem, ut ostendit particula illa *te* in forma posita, quæ sine dubio essentialis est, vel formaliter vel æquivalenter, prout in meo libro asserui, non mei oblitus (ut objicit ille), sed cum communi sententia theologorum, quæ eodem modo loquitur de forma baptismi et in eodem sensu explicatur. Neque contra hoc aliquid in illo scripto invenio, cui satisfacere necesse sit. Nam quod dicitur interdum dirigi locutionem humanam ad personam absentem, etiam designando illam ut præsentem, si per procuratorem, aut legatum, seu alium ministrum præsens sit, est quidem verum per quemdam tropum et figuratam locutionem; sicut Angelus loquens in persona Dei solebat dicere : *Ego sum Deus;* at usurpare formas sacramentorum per hujusmodi tropum sine ecclesiæ auctoritate nimia videretur audacia. Standum est ergo proprietati locutionis, quamdiu ecclesia aliud non declarat. Alioqui posset quis ad præsentiam panis depicti consecrare panem realiter absentem, quia per illum tropum potest designari per pronomen *hoc* in sua imagine. Sicut ad præsentiam imaginis crucifixi dicimus : *Hic est Christus.* At consequens est omnino falsum. Unde idem auctor infra sub num. 17, § *Objicies* fatetur in forma

consecrationis particulam *Hoc* non posse designare nisi panem in se et realiter præsentem : idem ergo nos dicimus in nostra forma et parem rationem esse credimus. Est autem ratio, quia intentio sacramentalis formæ est, ut materia vel subjectum sensibiliter designetur in se ipso, quod non sit in metaphorica illa locutione, per quem quis designatur in alio, tamquam in imagine vel repræsentante : semper enim talis designatio est magis ad mentem quam ad sensum respectu proprii objecti, seu materiæ. Nec quoad hoc trahendum est in exemplum sacramentum matrimonii, quia illud non habet certum ritum quoad materiale signum, unde nec verba humana requirit, nedum certa ac definita. Unde quando per procuratorem fit, accidentarium est, quod fiat per illa verba : Accipio te in meam, vel in meum; nam posset fieri et clarius per hæc verba : Petrus v. g. accipit te in suam et ego accipio illum. Unde mirum non est, quod per priora verba, etiam cum illo tropo fieri possit, quia solum requiritur ut sufficienter significetur consensus quocumque modo. Unde etiam nihil incommodi est, quod sacerdos possit benedicere per illa verba : Ego vos conjungo, licet alter sit absens, quia illa cæremonia est mere accidentaria. Unde parum refert quod in ea tropus vel proprietas admisceatur.

19 Tandem sub num. 12, vers. *Quartum argumentum,* invehitur contra congruentiam hujus institutionis, quam nos adducimus, nimirum ut judex plene et quantum fieri possit examinet causam et personam rei, priusquam sententiam proferat. Quam nos non adducimus ut demonstrationem per se sufficientem ad ostendendam necessitatem simpliciter talis præsentiæ, sed solum ut sufficientem congruentiam institutionis, quam ex forma supponimus. Et contra hunc sensum nihil profecto obstant quæ ibi afferuntur. Est enim animadvertendum (quod in illo scripto contrarium supponi videatur) ad plenam causæ cognitionem non pertinere solum cognoscere species, numerum et circumstantias peccatorum, sed etiam cognoscere dispositionem pœnitentis quoad dolorem, et propositum emendæ et satisfactionis, atque etiam restitutionis, si facienda sit, imo quoad statum vitæ, scilicet quod adhuc vivat et sit viator : de quibus omnibus non potest ferri judicium satis certum circa personam absentem. Et licet in aliquo raro casu ferri possit, id non obstabit, quominus illa sit congruentia sufficiens institutionis infallibilis et sine tali exceptione, si aliunde de tali institutione sufficienter constet, ut in præsenti nos constare credimus ex forma, adjuncto præsertim decreto pontificis.

20 Atque huc etiam pertinet illa conjectura, quam nos assumimus ab incommodis, quam idem auctor impugnat infra num. 13. Nam potissimum incommodum a me illatum est, quia alias esset validum hoc sacramentum etiam passim et ex necessitate inter absentes factum. Quod est evidens per se loquendo. Nam quod ex mala conscientia pœnitentis et consequenter ex defectu doloris possit esse nullum sacramentum per accidens est. Satisque inconveniens reputamus, quod ignorantia pœnitentis interveniente possit tale sacramentum frequenter valide fieri : quia cum illa ignorantia potest esse sufficiens materia ex parte pœnitentis. Sed dicit hoc esse de numquam vel raro contingentibus, quia nullus est catholicus, qui ignoret hoc sacramentum debere fieri ad aurem sacerdotis, ut cum rubore et secreto fiat. At profecto non est ita per se notum omnibus illas conditiones esse necessarias ex parte pœnitentis sub culpa mortali. Nam secretum reputari potest a pœnitente favor suus, cui ipse potest licite cedere : fugere autem verecundiam vel pudorem non reputatur culpa et ideo frequens est quærere confessorem, qui pœnitentem non agnoscat, imo qui eum non videat, si inveniri possit. Præterea esto vulgo non credatur hoc non licere sine aliqua necessitate, tamen in gradu necessitatis potest esse maxima deceptio; et hæc est radix, ex qua possunt pullulare incommoda : nam alius putabit satis esse necessitatem gravem, etiamsi extrema non sit. Quod videtur admittere doctor ille num. 15 dicens, extra casum maximæ necessitatis non esse hac confessione utendum (loquitur ex natura rei et ante decretum); ubi non dixit extremæ, sed maximæ. Imo paulo inferius dicit : *Si absque ulla necessitate confiteatur pœnitens gravissime peccabit.* Quid ergo si non absque ulla, sed tamen absque extrema, vel etiam gravissima, sed morali et mediocri, qualis reputatur a multis non differre sacramentum

hoc per multos dies, vel si necessario communicandum sit, et habeatur conscientia peccati mortalis, et omnis confessor absit? Imo verecunda fœmina existimabit sufficientem necessitatem esse non mutare confessorem, mittendo potius confessionem suam consueto confessori absenti, quam novo confessori præsenti dicere peccata sua. Et quod caput est, posset malus sacerdos facile decipere simplicem pœnitentem, reddendo illum securum, quod licite possit ita secum confiteri in absentia sua et profuturam illi absolutionem in absentia datam : qui abusus introduci incipiebat (ut audio), quando ad obviandum illi Clemens Octavus decretum suum sancte edidit, declarando nimirum conditionem hujus judicii, quæ antiquior erat et quam ipse Christus, quantum in ipso fuit, ad prævenienda hæc incommoda regulam sine exceptione statuit, quamque nos ex forma colligimus.

21 Ex his fere principiis nos interpretati sumus decretum Clementis, quod ideo declarat absolutionem semper illicite dari absenti, quia semper est nulla, quia non potest aliter fundari illud illicitum, seu prohibitio illa in jure divino et in pura institutione; cum tamen a nobis ostensum sit decretum Clementis continere jus divinum et declarare illud. At vero contra hanc nostram expositionem multa objicit doctissimus ille vir a num. 23 usque ad 24. Ut autem argumentari possit, supponit fundamentum meum esse in hoc sacramento non posse separari hæc duo, illicitum et invalidum; et hoc posito, multa objicit, quæ in nostro fundamento supponunt puerilem ignorantiam. Quis enim ignorat in aliis sacramentis sæpe esse validum sacramentum celebratum cum peccato, sive ministri, sive recipientis? In hoc item sacramento, licet probabile sit numquam recipi cum peccato mortali ex parte recipientis, quin sit invalidum, quod ille etiam disputator antea fassus est; tamen ex parte sacerdotis per se posse esse validam absolutionem, etiamsi absolvendo peccet; et ita etiam in hoc judicio sententiam posse esse injustam, licet sit valida, et e converso?

22 Fundamentum ergo nostrum est, modum ministrandi hoc sacramentum, per se illicitum, et divino juri contrarium etiam in extrema necessitate, tantum esse illum, qui est contra valorem sacramenti : atque in hoc sensu illicitum per se et in omni casu sine exceptione numquam separari ab invalido in administratione hujus sacramenti. Unde cum in decreto Clementis declaretur illicitum esse ministrare hoc sacramentum absenti per se, et ratione solius absentiæ et in omni casu sine exceptione et declaratio illa contineat prohibitionem de jure divino, ut declaratum est, optima et necessaria consequutione infertur illud illicitum involvere invalidum et in illo fundari. Ratio autem illius fundamenti sic intellecti per se videtur evidens. Nam si talis absolutio posset esse valida in casu extremæ necessitatis, cur esset intrinsece mala ex vi juris divini? nulla profecto ratio reddi potest. Nam illa, quæ sumitur ex periculo indispositionis subjecti, per se non probat, ut ostensum est; maxime cum hoc sacramentum sit per se medium necessarium ad salutem, et necessitas, ut ajunt, careat lege, maxime quando tanti momenti est; unde mirum non est, quod conjectura, vel testimonium de dispositione subjecti, quæ extra necessitatem non sufficeret ad moralem certitudinem, vel ad expellendum morale periculum, in necessitate sufficeret, si aliud impedimentum non interveniret.

23 Necesse est ergo quod illa intrinseca malitia in alio impedimento fundetur : hoc autem esse non potest, nisi essentiale. Nam hoc sacramentum nullum accidentarium ritum postulat, præsertim ex præcepto divino, sed ea tantum, quæ essentialia sunt et illa quæ sunt generalia omnibus sacramentis, ut quod sancte et pro dignitate tractentur, quæ hic servari supponimus. Ergo si absolutio tali modo facta semper est illicita, non est ex defectu alicujus ritus accidentalis, neque ex indignitate ministrantis, nec ex indispositione pœnitentis, quia hæc supponitur morali certitudine cognita ab absolvente. Ergo necesse est ut fundetur in impedimento essentiali; non fundatur autem in defectu jurisdictionis, ut supponimus : ergo necesse est fundari in nullitate formæ, ob falsam significationem, quam involvit, ad absentem relata. Accedit quod, si quod esset dubium, posset nihilominus sub conditione dari absolutio saltem ob necessitatem, ut major pars graviorum theologorum sentit. Nam quæ circa hoc dicuntur in illo scripto

num. 3 et 5 et nova et singularia mihi videntur, nec probari posse. Nam forma sacramenti non solum potest sub conditione licite proferri, quando timor est de reiteratione sacramenti non iterabilis, aut de repetenda consecratione super materiam jam consecratam, sed in universum quotiescumque materia est dubia, et intercedit probabilis ratio, vel necessitas sufficiens ministrandi sacramentum cum illo dubio; tunc enim eadem est ratio honestandi actum et vitandi omne periculum sacrilegii. Unde illa doctrina etiam extenditur ad formam dubiam, et in hoc sacramento ad jurisdictionem dubiam, quando et impossibilitas aliter faciendi et sufficiens necessitas faciendi concurrunt. Neque est probabile, quod etiam de baptismo in dict. num. 5 dicitur, in adulto non esse sufficientem necessitatem, quia potest per contritionem salvari, quia in discrimine æternæ mortis illud ipsum est extrema necessitas, propter difficultatem contritionis et magnitudinem periculi, et nocumenti. Quocirca ideo nunc non licet sub conditione absolvere absentem in extrema necessitate, quia jam non est dubium, sed certum talem formam non esse sufficientem ad absolvendum absentem.

24 Hanc autem certitudinem nobis tribuit decretum Clementis; nam antea non habebatur, sed erat res suo modo dubia, vel utrimque probabilis; non dedit autem illud decretum certitudinem hanc, de novo prohibendo, sed declarando, ut probatum est. Ergo necesse est, ut tacite declaret invalidum, quod declarat illicitum; neque ad hoc fundamentum respondet auctor illius scripti, etiamsi in omnem partem versetur. Ex illo facile solvuntur conjecturæ, quas in contrarium adducit, sumptæ ex dogmatibus juris rigorem continentibus; illa enim habent locum, nisi circumstantiæ literam cogant rigorose interpretari, vel nisi aliter intellecta lex reddatur vana, inutilis, aut sine fundamento facta; quæ omnia in hoc negotio concurrunt, ut ostensum est. Quæ omnia mihi satis certo probant hunc sensum esse verum et omnino tenendum; non tamen ideo assero esse æque certum, quantum est illud, quod formaliter et expresse est definitum et declaratum, sed in gradu proximo, quantum scilicet solet esse id, quod ex definitis, vel declaratis evidenter deducitur. Per quod respondemus ad id, quod auctor tangit in num. 22 et hæc sint satis de illa secunda parte.

Circa III *partem.*

25 Hæc non erat necessaria, quia certum est pontificem posse irritare hoc sacramentum auferendo juridictionem, seu quod perinde est reservando peccata, quamquam aliqui dubitent an hoc facere possit in extrema necessitate. Existimo tamen posse; certo tamen scio id numquam facere, nec fecisse, ut a concilio Tridentino didici. Et longe certius mihi est Clementem in suo decreto non fuisse usum hac potestate ad faciendam declarationem, quam fecit; nullum enim vestigium illius rei est in illo decreto. Neque existimo id fuisse facturum Clementem contra ecclesiæ morem, si modum illum absolvendi absentem validum esse posse credidisset, saltem in extrema necessitate. Illud autem, quod num. 25 scribit auctor distinguendo duos modos irritandi hoc sacramentum, scilicet subtrahendo materiam, quod idem est ac tollendo jurisdictionem, et inhabilitando personam pœnitentis; hoc enim posterius impossibile est, nisi quatenus ex primo resultat : quod satis vidit auctor, quando illam inhabilitatem personæ explicuit per hæc verba, *nolendo scilicet personam, quæ in absentia confitetur esse sacerdotis absentis subditam :* hoc autem ipsum est auferre vel suspendere jurisdictionem pro illo tempore : non sunt ergo illi duo modi, sed unus possibilis quidem, sed ad præsentis difficultatis et decreti declarationem nihil conducens. Et hæc dicta sint sub censura ecclesiæ.

ADDITIO II AD NUM. XXV.

« Pro sententia tractata in hoc numero » potest allegari auctor, tomo IV in III par- » tem, disp. 26, sect. 4, num. 7. Illic docet » cum D. Thoma, Bonacina, Majore, Soto, » Ledesma, Medina et aliis, quos refert, » jurisdictionem, quam habet sacerdos ad » absolvendum in articulo mortis, dari » immediate non a Deo, sed ab ecclesia. » Eamdem sententiam tenet Lugo de pœ- » nitentia, disp. 18, sect. 2, num. 16, cum » Vasquio et aliis fundatis in Tridentino; » qua proinde jurisdictione potest valide » summus pontifex privare sacerdotem;

» non enim episcopus, ex eo quod velit » summus pontifex, quod quilibet sacerdos » in eo casu absolvat pœnitentem, et illi » delegat suam potestatem, si non sit pa- » rochus moribundi.

« Pro sententia asserente non posse » summum pontificem privare valide sa- » cerdotem potestate absolvendi moribun- » dum, qui discedit sine absolutione, » allegari possunt Durandus, Capreolus, » Paludanus, Cano, Ruardus et Armilla, » relati ab auctore ubi supra num. 6, qua- » tenus asserunt potestatem, quam habet » quilibet sacerdos ab absolvendum in ar- » ticulo mortis conferri immediate a Deo; » potest a fortiori allegari pro hoc sententia » Armacanus, lib. x de quæstionibus Ar- » menorum, a priori; ubi docet posse quem- » libet sacerdotem absolvere valide pœni- » tentem; potest, inquam, allegari, quia » hæc opinio supponit jurisdictionem dari » immediate a Deo independenter ad eccle- » sia; hæc tamen sententia est omnino falsa, » quamvis Durandus, dist. 19, quæst. 2, » illam judicet non improbabilem; sed, » inquam, est falsa, ut videre est apud Lugo » de pœnit. disp. 15, sect. 2, num. 15. »

CAPUT IV.

Brevis demonstratio quod S. Leo et concilium Arausicanum et Carthaginense cum præcipiunt dare ægroto, qui in præsentia sacerdotis conscientiam suam significare non valet, pœnitentiam et reconciliationem sacerdotis, loquantur de sacramento pœnitentiæ.

Existimant aliqui sanctum Leonem, concilium Arausicanum et Carthaginense loqui solum de reconciliatione cum ecclesia, et de absolutione a censuris, quando præcipiunt dari moribundo, qui non potest coram sacerdote dare signa contritionis, pœnitentiam et reconciliationem sacerdotis. Num. 1.

Ut probent suam sententiam supponunt illa decreta solum loqui de illis peccatoribus, qui juxta antiquum ecclesiæ morem solemnem pœnitentiam agebant. Num. 2.

Sed re vera certum est sanctum Leonem non loqui cum ea restrictione, ibi. Facta illa suppositione intendunt probare suum sententiam. Num. 3.

Sed revera decreta illa loquuntur de absolutione sacramentali. Num. 4 *et* 5.

Ostenditur de illa loqui Leonem papam in sua epistola et concilium Carthaginense a num. 6.

Citantur auctores pro hac sententia a num. 14.

Probatur ratione dandam esse absolutionem moribundo, qui petiit confessionem in absentia sacerdotis. Num. 17 *et* 18.

Solvitur quædam objectio. Num. 19.

1 Non est necesse, nec nostra refert, quod loquantur de solo sacramento pœnitentiæ; sed quod contendimus, est non loqui de sola reconciliatione cum ecclesia per manuum impositionem, aut similem aliam ceremoniam, aut orationem vel absolutionem a censura sine vera absolutione sacramentali. Hunc enim sensum aliqui intendunt ne cogantur admittere in illo casu approbare per hos canones confessionem aliquam factam in absentia sacerdotis et judicari sufficientem, ut super illam cadat absolutio sacramentalis data a sacerdote in præsentia pœnitentis carentis jam omni sensu et rationis usu.

2 Ad hoc autem suadendum supponunt in primis hæc decreta solum loqui de illis peccatoribus, qui juxta antiquum ecclesiæ morem solemnem pœnitentiam agebant et per antonomasiam vocabant pœnitentes, seu esse in statu aut ordine pœnitentium, qui propter enormia crimina erant ab aliis fidelibus segregati, indigebantque peculiari reconciliatione, ut ad communionem admitterentur. Quæ suppositio fortasse in aliis decretis vera est; in epistola autem 92 S. Leonis ad minimum est incerta; et sine dubio, licet admittamus Leonem fuisse interrogatum de his pœnitentibus, nihilominus ea occasione extendit sermonem ad omnes peccatores, differentes pœnitentiam usque ad mortem et in ea necessitate petentes illam, ut consideranti discursum totius epistolæ evidenter constabit; et ideo in titulo illius simpliciter positum est, ut his, qui in exitu sunt, pœnitentia et communio non negetur. Addimus vero illam suppositionem simpliciter, et absolute concessam nihil obstare nostræ intentioni. Nam si illi enormes peccatores, qui per ecclesiam separati erant, donec reconciliarentur, po-

Vide Bellarm. lib. II de pœnitentia, cap. 22.

terant nihilominus absolvi sacramentaliter in prædicto casu, et confessio, in absentia facta et per testimonium circumstantium notificata, illis sufficiebat, ut absolvi possent, multo magis sufficere poterit quibuscumque aliis fidelibus peccatoribus in simili necessitate constitutis et eodem modo pœnitentiam postulantibus.

3 At vero ex illa suppositione ulterius sumunt conjecturam canones quoad illum casum, de quo agimus, non loqui de sacramentali absolutione, sed de ceremoniali, et externa, quæ nomine reconciliationis solet in antiquis decretis significari. Unde videntur sic opinantes in summa hanc conficere rationem : Ex his decretis solum habetur ægrotum in eo casu esse reconciliandum; sed hoc sufficienter intelligitur de reconciliatione externa cum ecclesia, et extendere illam absolutionem ad sacramentalem non est juxta vim et usum illius vocis, et alioqui habet incommodum vel admittendi absolutionem sine confessione vera, vel admittendi pro vera sacramentali confessione eam, quæ non fit in præsentia sacerdotis; quod censetur habere multa incommoda, et specialiter repugnare decreto sanctissimi contra confessionem et absolutionem in absentia.

4 Nihilominus si decreta illa plane et sincere expendantur, dubitari non potest, quin de sacramentali pœnitentia et absolutione loquantur; quod breviter ostendo retorquendo rationem factam; quando decreta illa non solum præcipiunt in illo casu reconciliari ægrotum, sed etiam ut detur illi pœnitentia, a reconciliatione distincta: vel ergo nomine reconciliationis intelligimus veram reconciliationem cum Deo, vel reconciliationem cum ecclesia per manus impositionem vel aliam similem ceremoniam; utroque autem modo includitur intentum; quia si est reconciliatio cum Deo, illa non fit a sacerdote, nisi media absolutione sacramentali; si vero est reconciliatio cum ecclesia, non sola illa danda est, sed aliqua alia pœnitentia est a sacerdote præstanda, quæ similiter non potest esse nisi absolutio sacramentalis. Ergo quidquid de significatione sit vocis reconciliationis, concludimus Leonem velle, ut in eo casu detur absolutio sacramentalis. Ergo prior pars, nimirum, sumpta reconciliatione pro illa quæ cum Deo fit, recte ex illa inferri absolutionem sacramentalem, manifesta est; quia reconciliatio cum Deo est effectus hujus sacramenti, nec potest conferri a sacerdote nisi per sacramentalem absolutionem. Et sane illa vocis illius significatio non est aliena ab ejus proprietate, quia, ut ait D. Thomas in 4, dist. 15, quæst. 1, art. 3, quæst. 2, reconciliatio nihil aliud est, nisi amicitiæ reparatio, quæ in sacramento pœnitentiæ maxime intenditur, ut idem sanctus ait III parte, quæst. 90, art. 2. Nec est etiam aliena ab usu sacrorum canonum de sacramento pœnitentiæ loquentium, ut in cap. *Domino sancto*, dist. 50 et in cap. *Significavit* de pœnitentia et remiss. et cap. *sacerdos* 26, cap. 7 et cap. 2 et 3, de pœnitentia dist. 7, et maxime ex Tridentino, sess. 14, cap. 1, dicente : *Christum Jesum, Joan.* cap. 20, *dedisse apostolis et eorum successoribus potestatem remittendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos;* et cap. 3 et can. 1, docet hoc sacramentum esse institutum *ad reconciliandum homines cum Deo.* Et ideo Gratianus in §. *Ecce*, 26, quæst. 6, juxta usum canonum duplicem reconciliationem peccatorum distinxit : publicam, quæ per episcopum fieri solebat, et occultam, quæ fieri potest a sacerdote ex vi suæ ordinationis (ut ait Turrecremata), dummodo jurisdictionem habeat. Et ideo e circumstantiis canonum pensare oportet de qua reconciliatione loquantur. In præsenti autem puncto licet alia decreta loquantur de reconciliatione cum ecclesia; de sancto Leone satis verisimile est loqui principaliter de reconciliatione cum Deo; licet aliam non excludat; quia loquitur de reconciliatione necessaria ad salutem et de illa, quæ ex parte peccatoris est effectus perfectæ conversionis, ex parte vero sacerdotis est effectus potestatis a Christo datæ ad remittenda peccata. Si ergo de hac reconciliatione loquitur et hanc dicit esse dandam ægroto in illo casu, consequens necessario est de sacramento pœnitentiæ.

5 Probatur vero altera pars, nempe quod, licet illa decreta loquantur de reconciliatione externa, nihilominus præcipiant sacramentum pœnitentiæ dari ægroto in illo casu, non sub nomine reconciliationis, sed sub nomine pœnitentiæ, quam illi dari præcipiunt, tamquam remedium aliud a reconciliatione distinctum, quod non potest esse aliud, nisi absolutio sacerdotis. Hoc in primis demonstratur in epistola Leonis,

cujus verba in illo casu sunt : *Quodsi aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo antea poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul beneficium pœnitentiæ et reconciliationis consequantur.* Hæc autem duæ voces *pœnitentiæ et reconciliationis* correspondent illis, quæ paulo superius Leo posuerat dicens : *His autem, qui in tempore necessitatis præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorant.* Hoc igitur est quod ægrotus paulo ante poscebat, quodque illi propter testimonium circumstantium dari præcipitur, quando ipse jam in præsentia sacerdotis voluntatem suam significare non valet. Unde ex tenore utrorumque verborum fit evidens illa duo, videlicet beneficium seu præsidium pœnitentiæ et reconciliationis ex se distincta beneficia, tum ex proprietate illius capulæ *et,* quæ conjungit diversa, ut est etiam communis jurisperitorum regula, Glossæ, Bartholi et aliorum in Rubrica ff. de juris et facti ignorantia, tum ex illa particula *simul;* præcipit enim Leo illa duo simul conferri; ergo supponit esse distincta et solere separatim conferri. Tertio idem quod apertissime ostendit in prioribus verbis illa particula *et mox,* quia post præsidium pœnitentiæ, mox implorabant reconciliationem. Denique illa duo distincta esse supra ex Gratiano ostendimus in cap. *Agnovimus* 26, quæst. 6, ubi cum Cælestinus dixisset pœnitentiam dandam esse ægrotis periclitantibus, ipse subdit : *Cui autem pœnitentia non denegatur, nec reconciliatio deneganda est.* Quomodo autem illa duo distinguantur parum ad præsens refert sive reconciliatio illa supra pœnitentiam addat communionem sacram, seu admissionem illam ut intellexit archidiaconus ibi, et sumi potest ex cap. *Si vero,* dist. 50 et ex cap. *Qui recedunt,* in primo, 26, quæst. 6 et ex epistola 77 ejusdem Leonis, alias 17, ad Nicetam cap. 6 in fine, sive addat ceremoniam aliquam per manus impositionem, ut ex concilio Arausicano statim referemus. Ad præsens enim satis nobis est pœnitentiam, de qua loquitur Leo papa esse aliquid distinctum a reconciliatione, quod ante illam dari poterat et solebat.

6 Ex his ergo concludo beneficium illud pœnitentiæ apud Leonem papam necessario esse debere sacramentalem absolutionem. Primo quia non est reconciliatio externa, seu accidentaria, ut jam ostensum est; nec est aliqua actio pœnitentiæ ægroto imponenda, vel per eum exercenda, quando est sermo de ægroto carente sensu et ratione; qui non est capax talis actionis et impositionis; sed est pœnitentia, quam solus sacerdos dare et ægrotus mere passive recipere debeat; hæc autem nulla alia esse potest, nisi sacramentalis absolutio. Quid enim aliud fingi potest seclusa ceremoniali reconciliatione? Non deerit tamen fortasse qui dicat absolutionem ab excommunicatione posse dari tali ægroto, etiam si careat sensu et illam pose nomine pœnitentiæ intelligi in epistola Leonis et aliis decretis. Sed licet primum sit verum quando, ægrotus indiguerit illa absolutione, secundum tamen est incredibile. Primo quoniam sola absolutio a censura non solet in sacris canonibus nomine pœnitentiæ significari.

7 Præterea quia ibi non agitur de excommunicatis, sed vel in universum de omnibus peccatoribus postulantibus pœnitentiam in articulo mortis, vel ad summum de publicis pœnitentibus, quia arcebantur quidem ab ingressu ecclesiæ, vel a missæ sacrificio, aut communi oratione, aut sacra communione juxta varios illorum gradus; ab hoc autem vinculo seu prohibitione liberantur per reconciliationem, neque indigebant alia absolutione a censura, a reconciliatione distincta : imo quando accidebat aliquem ex his esse rigorose excommunicatum vel anathematizatum, unica solemni absolutione liberabatur ab excommunicatione et reconciliabatur ecclesiæ, et ad communionem admittebatur, ut intelligimus ex cap. *cum aliquis,* 11, quæst. 3, quod ex concilio Arausicano refertur latius in II tomo conciliorum post concilium Arausicanum. Ergo non potest vox pœnitentiæ in dictis decretis detorqueri ad significandam absolutionem a censura, a reconciliatione distinctam; solum ergo potest significare absolutionem sacramentalem.

8 Tandem ex epistola Leonis sumitur efficax argumentum. Nam loquens de hoc pœnitentiæ remedio, ita inquit : *Si quis, antequam ad instituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit.* Quæ verba non possunt ad absolutionem a censura accommodari. Unde ad majorem ve-

ritatis claritatem non omittam advertere magistrum, Soto qui caput *His qui* de absolutione a censura explicavit, utens contrario argumento, quod illa absolutio poterat post mortem dari, vel non legisse integram epistolam Leonis, sed solum ultimam clausulam, quæ habetur in cap. *His qui* 26, quæst. 6, vel illa verba Leonis satis non considerasse. Nam ex illis plane conficitur argumentum concludens hoc modo : Pœnitentia, de qua Leo loquitur, talis est absolutio ut homini post mortem dari non possit, sed absolutio a censura dari potest homini etiam post mortem cap. *A nobis est* 2, de sententia excommunicationis; ergo non potest intelligi, nec loquitur de absolutione a censura. Reliquum ergo est ut de sola absolutione sacramentali loqui possit, saltem in illo verbo, quod a reconciliatione externa distinguitur.

9 Secundo est simile argumentum : nam cum superius dixit ægrotum in illo periculo implorare præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis, evidens est per præsidium pœnitentiæ intelligere absolutionem sacerdotis, tum propter argumentum factum, quia est aliquando a reconciliatione distinctum et præstandum ab ipso sacerdote : tum etiam quia infirmus in illo casu hoc maxime desiderare et petere solet a sacerdote tamquam remedium sibi maxime necessarium, ut proficuum; at vero subjungit Leo, ut etiam in ultimo illo casu detur ægroto illud utrumque benificium, quod paulo antea poscebat; ergo non solum vult ut exterius reconcilietur, sed etiam ut sacramentaliter absolvatur.

10 Tertio idem constat ex discursu et contextu totius epistolæ, in qua a principio usque ad finem est sermo de pœnitentiæ medicina, quam Christus Dominus instituit ad reparandum lapsus fidelium post baptismum commissos, et quæ proinde efficaciam habet ad tollendos peccatorum reatus, et reparandam spem vitæ æternæ ex vi illius postestatis quam Christus sacerdotibus tribuit ad remittenda peccata, quæ proinde per se necessaria est ad salutem : Et de hac pœnitentia concludit dandam esse ægroto in illo casu postremo, quando jam omni sensu caret : quis ergo audeat dicere ibi mutare significationem vocis, et de alio genere pœnitentiæ loqui, etiamsi explicari posset quid illud sit, quod certe fieri non potest.

11 Quarto idem ostenditur ex consonantia aliorum jurium. Cum enim decreta loquuntur de sacramento pœnitentiæ propter vitandum animæ periculum et instantem mortis necessitatem, frequenter illud significant sub absoluto nomine *pœnitentiæ*. Est optimus textus in cap. *Quod inde*, de pœnitentia et remiss. ibi : *In illo per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam, quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi potest, ut nec ipsum decedentibus denegetur.* Ubi constat pœnitentiam significare sacramentum pœnitentiæ; similiter in cap. ultimo illius tituli datur licentia episcopis seu prælatis exemptis eligendi confessorem, *ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum.* Ubi *pœnitentia* sacramentum significat; ad illud enim necessarius est confessor; nam ad internam pœnitentiam non est necessarius et nihilominus in dilatione vel carentia illius pœnitentiæ sacramentalis censetur *imminuere periculum animarum,* etiamsi internam pœnitentiam concipere valeant. Quocirca de eodem sacramento Julius papa loquitur in cap. *Si presbyter* 26, cap. 6, cum dicit : *Si presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum.* Et Cælestinus papa in cap. seq. dicens : *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari, nec eorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subvenire; horremus fateor tantæ impietatis aliquem inveniri.* At Leo papa de eodem remedio loquitur sub nomine pœnitentiæ, quam postulabat ægrotus in illo discrimine; ergo loquitur de sacramento.

12 Et juxta hanc quidem considerationem manifeste veritatem eamdem confirmat concilium Carthaginense IV in cap. *Is qui* 26, quæst. 6, in quo similia verba sunt ponderanda : *Is qui in infirmitate pœnitentiam petit,* (id est) pœnitentiæ sacramentum, ut ex dictis constat, *si casu, dum ad eum acerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel si in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt et accipiat pœnitentiam,* illam nimirum, quam postulaverat seu (quod idem est) illam, quam canones maxime præcipiunt dari in pericula mortis, nempe sacramentum pœnitentiæ; unde adjungitur : *Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem et infunda-*

tur ori ejus eucharistia; ergo illa pœnitentia aliud est a reconciliatione; ergo (ut jam probavimus) nihil aliud esse potest nisi absolutio sacramentalis. Quæ statim dari præcipitur, quia maxime necessaria est, et quia esse debet ad communicandum. Subditur vero deinceps : *Quod si talis ægrotus supervixerit, subdatur pœnitentiæ legibus.* Et in eodem sensu concluditur, quod pœnitentes, qui in infirmitate viaticum eucharistiæ accipiunt : *Si supervixerit non se credant absolutos sine manus impositione;* absolutos nempe ab obligatione satisfaciendi ecclesiæ; nam a peccatis coram Deo absoluti jam erant. Nam illa absolutio ante viaticum præcedere debet, ut bene exposuit Bellarminus lib. 1 de pœnitentia cap. 15; et explicatur expresse in cap. *Qui recedunt* et aliis ejusdem causæ et quæstionis.

13 Tandem ex ponderatione, facta illius vocis *pœnitentia danda morientibus* juxta usum jurium, constat magnam etiam vim habere ad eamdem veritatem confirmandam dictum cap. *Qui recedunt* (dicens) : *Subito obmutescens, prout statutum est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut pœnitentis in suo nutu.* Nam ibi pœnitentia sacramentum etiam significat 1° ex usitata significatione illius vocis in tali materia; 2° ex eo quod in principio illius capitis illa pœnitentia distinguitur a reconciliatoria manus impositione; 3° etiam quia per illam particulam, *prout statutum est,* vel concilium Carthaginense, quod multo antea præcesserat, vel epistola Leonis, sub quo Leone illud concilium congregatum est, refertur; et ita de eadem re loquuntur; 4° ex conjunctione illa baptismi cum pœnitentia.

14 Sed inveni aliquos, qui cum vim illius vocis *pœnitentiam* negare non audeant, ne a concepta semel opinione recedant, aliud diverticulum quærant, dicentes verba sequentia : *Si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet aut præsentis in suo nutu,* non esse quoad utramque partem de utroque sacramento intelligenda, sed dividenda et singula singulis accommodata, (id est) *si testimonium aliorum habent* pro baptismo, vel *nutus præsentis* pro pœnitentia; sed hoc dicitur sine fundamento et auctoritate : nam est evidens utramque partem illius disjunctivæ habere locum in baptismo. Si enim baptizandus in præsentia sacerdotis possit voluntatem suam nutibus explicare, non debet sacerdos testimonio circumstantium esse contentus; sed suam solum, quando ægrotus mentem suam explicare non potest. Atque ita in vero et legitimo sensu utrumque illud membrum refertur ad baptismum; ergo eodem modo refertur ad pœnitentiam, cum eodem tenore de utroque sacramento concilium loquatur : sed inde quia alias valde confusa perplexa esset illa decisio et unusquisque pro suo arbitrio posset membra illa accommodare. Denique ita intelligitur a doctoribus ibi : nam Turrecremata tam pro baptismo, quam pro pœnitentia solum conset necessarium, quod de præterita constet voluntate. Archidiaconus vero expresse de pœnitentia exponit illam particulam : *vel aliorum verbis habet;* nec aliam intelligentiam patitur simplex et planus loquendi et sentiendi modus. Unde potius ex illa disjunctiva : vel voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis hebet, vel præsentis in suo nutu, efficax sumitur argumentum hæc duo æquiparari in ordine ad pœnitentiam. At signa in præsentia exhibita ad sacramentales absolutiones sufficiunt, ut per se constat; ergo eadem ponderatio casus habet cum epistola Leonis in fine § *Verus* et § *Quodsi.* His canonibus concordant theologi doctores; quorum princeps D. Thomas, opusc. 65 de officio sacerdotis, cap. de extrema Unctione, dixit in illo casu dandum esse baptismum, *et absolutionem a peccatis* et extremam Unctionem; ubi et ex verbis satis expressis *absolutionem a peccatis,* et ex constitutione cum aliis duobus sacramentis constat loqui de pœnitentiæ sacramento et tacite ita exponere sacros canones; et divus Augustinus, lib. 1 de adulterinis conjugiis, cap. ult. ubi de eodem casu loquens, dicit in eo ministrandum esse baptismum et eamdem esse reconciliationis causam; sed plane loquitur de reconciliatione cum Deo, per quam peccata remittuntur.

15 Docuerunt eamdem sententiam expresse, ita intelligendo canones, Hostiensis in Summa, lib. v, tit. de pœnitentia et remissione § *Quando confitendum,* verb. *confitendum est tempore sanitatis* Alens. in Summa, lib. 1, tit. 16 circa finem, Antoninus III part., tit. 10, cap. 2. Cardinalis

Toletus in institutione sacerdotum lib. III, cap. 8, casu 2°, qui dicit esse expressam sententiam canonum et refert Sacerdotale Romanum, quod id habet in cap. 20 de pœnitentia, cap. 9, et lib. II de sacramentis in genere, cap. 8. Driedo de captivitate et redemptione generis humani, tr. 4, cap. 2, part. VIII, m. 1 in fine; et vocat hanc antiquam ecclesiæ consuetudinem. Ruardus in art. 3 contra Luth. paulo post. initium et latius infra in §. *Complectitur* Corduba late lib. V de indulgentiis, quæst. 39, opinione 3; et allegat Manuale Burgense et consuetudinem sacerdotum curatorum absolventium hujusmodi ægrotos. Item Gregorius de Valentia in IV tomo suæ Summæ disp. 1, quæst. 11, m. 1, § *Primus casus* et § *Jam vero de conditione secreti*. Gabriel Vasquez idem obiter sensit in 12, disp. 62, cap. 7, num. 4. Item Guido in Manipulo Curatorum anni 1480, tit. I, part. IV, cap. 9 ad finem. Refertur etiam Fabius in Scrutinio sacerdotali II parte tractatus. Favent Medina codic. de confessione, tr. 2, quæst. 39 de absolutione ab oblitis, § ultimo et Sylvester verb. *Confessor*. 3, quæst. 13 in fine; clarius Angelus verb. *Confessor*. 4. num. 8 et aperte Turrecremata in dict. cap. *Is qui* et cap. *His qui* 26, quæst. 6 et in cap. *Multiplex* de pœnitentia disp. 1, denique Gratianus afferens epistolam Leonis dict. cap. *Multiplex*, ut necessitatem sacramentalis confessionis probet, hanc sententiam satis insinuavit. Et in eodem sensu textum illum intellexit Glossa verb. *Proprio* et verb. *Supplicationibus*. Et similiter illustrissimus Baronius, epistolam illam attingens tom. VI Annalium, anno 452 in fine, plane sentit Leonem loqui de vera et sacramentali pœnitentia non neganda quibuslibet in exitu vitæ illam petentibus.

16 His adjungi potest Cano, qui in relectione de pœnitentia part. V in primis fatetur D. Augustinum meæ fuisse sententiæ, creditque semet ipsum fuisse sacramentaliter absoluturum ægrotum in illo casu, si ad manus ejus pervenisset. Deinde negare non audet hos canones loqui de absolutione sacramentali. Ait tamen illam fuisse dandam propter confessionem, quæ præcesserat in capite Quadragesimæ non propter eam, quæ tunc fit coram circumstantibus per signa; sed hoc postremum subsistere non potest, tum quia Leo papa loquitur manifeste de omnibus peccatoribus, qui confessionem usque ad mortem differunt, ut aperte ostendunt illa verba : Nec illius temporis angustias eligant, quo vix inveniant locum vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis. Tum etiam quia sine sufficienti fundamento dicit illos omnes, qui solemnem pœnitentiam agebant solitos fuisse integre et sacramentaliter confiteri in principio Quadragesimæ; nam hoc in antiquis decretis non legitur, sed solum quod feria quarta ante primam Dominicam Quadragesimæ indicebatur eis pœnitentia publica cap. *In capite* dist. 50. Unde verisimile non est, illo die, vel ante illum omnes fuisse sacramentaliter confessos, sed potius, quia illa pœnitentia imponebatur propter publica crimina, notitiam publicam, vel interdum voluntariam confessionem eorumdem criminum sufficere ad inducendam talem pœnitentiam, eo vel maxime quod multi agebant illam pœnitentiam per plures annos et solum singulis annis ad eucharistiæ communionem feria V in Cœna Domini admittebantur. Unde fit verisimillimum saltem illos, qui non agebant pœnitentiam publicam propter peccata in proxime superiori anno commissa, non fuisse coactos ad sacramentalem confessionem faciendam in capite Quadragesimæ; satis enim illis fuisse confiteri prope tempus communionis. Denique licet talis confessio præcessisset per mensem V. G. non satisfecisset ad absolutionem præstandam nisi de intermedio tempore et de præsenti dispositione pœnitentis per novam confessionem constitisset.

17 Ultimo loco possumus rationem adjungere, quæ tota pendet ex Christi institutione, quod enim Christus Dominus potuerit ita instituere sacramentum pœnitentiæ manifestum est. Quod autem ita instituerit, declaravit nobis pontifex Leo et ecclesiæ usus, doctorum auctoritate comprobatus. Habetque congruentissimam rationem, nimirum ut misericordia Dei propter Christi meritum copiosius necessitatibus hominum subveniret, potestque fundari in verbis institutionis : *Quorum remiseritis peccata* etc. Nam licet in eis fundetur tam absolutio sacerdotis, quam confessio pœnitentis, tamen absolutio insinuatur tamquam definita ad certa et determinata esssentialia verba. Accusatio vero pœnitentis non limitatur ad præscriptum modum, sed generatim requiritur,

ut integre et perfecte fiat, quantum moraliter possit. Cum ergo in præsenti casu ita fiat, merito censuit Leo papa id sufficere ut sacerdos erga pœnitentem sua potestate remittendi peccata utatur.

18 Neque in tali modo administrandi sacramentum pœnitentiæ aliquod inconveniens excogitari potest, nam ibi non datur absolutio sine confessione, sed fit confessio aliqua eo modo, quo fieri potest, et integra formaliter reputatur, quia clarior et plenior fieri non potest; quod autem fiat in absentia sacerdotis non est afferendum ut inconveniens ob repugnantiam cum decreto vestræ sanctitatis; nam hoc est quod contendimus sanctitatem vestram non damnasse sententiam hanc, nec hunc Leonis sensum, quia in omni proprietate et rigore suorum verborum non damnat confessionem in absentia conjungendam cum absolutione in præsentia, sed conjungendam cum absolutione etiam in absentia. Ut in responsione formali ad censuram latius ostendo. Alia autem incommoda, quæ in hac sententia et sensu Leonis sequi possint, non video; nullum enim est periculum, quod homines uti velint confessione in absentia extra periculum necessitatis extremæ, cum certo sciant non posse absolvi nisi in præsentia sacerdotis et per se necessarium esse ut in eadem præsentia confiteantur si possint; aliunde vero periculum imminet animarum, si in illa necessitate hoc remedio privantur, quo ad minimum cum maxima probabilitate et spe salutis æternæ frui possunt. Cum ergo in dubiis tutior pars eligenda sit et hic non solum sit res dubia, sed etiam hæc pars longe probabilior sit, omnino videtur præferenda et ad praxim applicanda.

19 Potest tamen quis objicere ultima fere verba, quæ habentur in epistola Leonis 52 : Servata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas, quæ in Deum a fide discedendo peccarunt; nam in eis videtur docere sanctus Leo hæreticis pœnitentibus in illo articulo non esse conferendum illud beneficium pœnitentiæ, nisi servata regula canonum, videl. ut prius cum juramento et in scripto hæresim abjurent, ut ubi Glossa et doctores notant ex cap. *Sicut* de hæreticis et ex cap. *Quoties* cum aliis 1, quæst. 7; ergo signum est illud beneficium pœnitentiæ non esse sacramentum, alias neque hæreticis esset denegandum, quia per sacramenta omnibus æque subveniendum est in fine vitæ, et sumitur ex 26, quæst. 6 fere per totam. Respondetur Leonem in illis verbis non dicere ut beneficium pœnitentiæ in eo casu negetur his, qui a fide discedendo peccarunt, sed solum ut cum eis regula canonum servetur; quomodo autem servanda sit, non exponit et a doctoribus varie declaratur. Archidiaconus in cap. *Qui recedunt* 26, quæst. 6 significat cum his servandum esse ut non reconcilientur nec in foro ecclesiæ et externa reconciliatione, etiamsi cum Deo reconciliari possint et sacramentaliter absolvi, si de eorum pœnitentia satis constiterit. Turrecremata vero cum Hugone existimant hæc verba Leonis non esse referenda ad ultimum casum in quo ægrotus loqui aut signa dare non possit. Hinc autem addo posse aliquo modo circa hæreticos servari etiam in illo eventu, nam si timent sensum amittere antequam sacerdos veniat, debent hæresim abjurare coram testibus, si publica sit; et illud erit unum ex signis pœnitentiæ necessariis, ut sacerdos adveniens possit eis pœnitentiam dare. Unde si hæc diligentia omissa fuerit, merito sacerdos negabit pœnitentiam et absolutionem sacramentalem tali homini, non quia hæreticus fuerit, id enim non obstaret, si conversionis suæ et pœnitentiæ sufficientia signa dedisset, sed quia dum hæresim non abjuravit saltem coram circumstantibus non censetur sufficientia signa pœnitentiæ dedisse. Id autem intelligendum est, quando voluntarie abjurationem omisit; nam si tanta esset angustia temporis et morbi præoccupatio, ut neque id facere permitteret, signa pœnitentiæ possent censeri sufficientia, dummodo satis ostenderent conversionem tam ab hæresi ad fidem, quam a peccato ad Deum. Itaque doctrina data de beneficio pœnitentiæ (id est) absolutionis sacramentalis in eo casu præstandæ omnibus peccatoribus, nullo excepto, locum habet; signa vero pœnitentiæ possunt majora, vel minora requiri pro conditione pœnitentis, ut veram ejus et integram conversionem satis ostendant.

ADDITIO FINALIS.

« Restabat citare auctorem in locis, in » quibus ad m partem interpretatur modo

» supraposito D. Leonem, et concilia Arau-
» sicanum et Carthaginense. Sed id jam
» feci. In locis vero ubi docet dandam esse
» absolutionem moribundo, qui petiit con-
» fessionem in absentia sacerdotis, inter-
» pretatur prædicto modo dicta decreta.
» Restabat etiam citare auctores, qui docent
» decreta Leonis, concilii Arausicani et
» Carthaginensis non loqui de absolutione
» sacramentali; sed cum sint iidem quos
» supra retulimus pro sententia asserente
» non dandam esse absolutionem mori-
» bundo, qui petiit confessionem in absen-
» tia sacerdotis, non est cur immoremur
» in illis referendis : videantur locis supra
» allegatis. »

CAPUT V.

Auctores asserentes in casu extremæ necessitatis absolvendum sacramentaliter esse a peccatis ægrotum, qui petiit confessionem cum signis pœnitentiæ, licet in præsentia sacerdotis aliquid significare non potuerit.

Dividuntur in tres classes auctores, de quibus in titulo fit mentio. Num. 1.

Referuntur auctores, qui clare et expresse docent dandam esse absolutionem moribundo, qui petiit confessionem in absentia sacerdotis; a num. 2 *usque ad* 12 *inclusive.*

Referuntur auctores, quorum verba possunt aliquando detorqueri; a num. 13 *usque ad* 18 *inclusive.*

Referuntur auctores, qui subobscure et generalius loquuntur de hac sententia, illi tamen multum favent; a num. 19 *usque ad ultimum.*

1 In tres classes possumus hos auctores distinguere. Quidam enim tam expresse et clare loquuntur, ut nullam tergiversationem admittant. Alii, quamvis seclusa controversia et contentione satis eamdem sententiam declaraverint, eludi tamen possunt ab his, qui verba detorquere aut eludere voluerint. Alii favent quidam multum, obscurius tamen et generalius loquuntur.

Prima Classis. Marianus Victor.

2 Referam in primis eos, qui non solum id affirmant, sed etiam de antiqua consuetudine testantur. Et ideo primo loco pono Marianum Victorem, auctorem non admodum antiquum, sed gravem, et in antiquis pœnitentiis explicandis diligentem. Is ergo in libro, quem de historia antiquarum pœnitentiarum scripsit fol. ejus ult. ita loquitur : Absolvebatur autem pœnitens post impletam pœnitentiam, nisi mors homini immineret, tunc enim omni tempore, omnique in loco et a quocumque sacerdote absolvi pœnitentem consuetum fuisse sæpius diximus. Quod ipsum morientibus præstabatur, etiam si loquendi potestatem jam perdidissent et respondere *non possent, si tamen illos pœnitentiam et absolutionem petiisse constaret.* Et hic refert in margine epistolam Leonis et canonis concilii Carthaginensis. De qua autem absolutione loquatur declarat inferius dicens : *Absolutionem autem ipsam post preces et orationes, quibus verbis sacerdotes præstarent, supra cum de confessionis forma scripsimus explicavimus.* Superiori autem libro de confessionis sacramento, cap. 13, formam ecclesiæ posuerat : *Ego te absolvo* etc.; loquitur ergo evidenter in verbis hic relatis de sacramentali absolutione, et hanc eamdem dandam esse ait ex sententia Leonis morientibus in prædicto casu, ut evidenter declaravit per illud relativum : *Quod ipsum* etc.

Driedo lib. de captivitate et redemptione generis humani, tractatu IV, *cap.* 2, *part.* VIII, *memb.* 1 *in fine.*

3 Hic auctor, ut contra hæreticos probet ad sacramenti usum, et fructum non esse necessarium actualem motum suscipientis, argumentum sumit ex antiqua ecclesiæ consuetudine. *Hoc est* (inquit) *antiqua ecclesiæ consuetudo, secundum quam baptismi seu reconciliationis beneficia etiam eis dantur, qui in articulo mortis sunt usu vocis et rationis privati, si adstantium testimoniis constiterit, eos propositum habuisse et paulo ante postulasse. Habes hanc consuetudinem in cap. Majores de baptismo. Ut autem neque novam neque recenter inventam, sed ex patribus arbitreris esse consuetudinem ipsam, scies Cyprianum in epistola ad Ma-*

gnum et Leonem papam in epistola 64, *ante mille annos tali fuisse usos consuetudine.* Ex quibus cum allegatione Leonis constat auctorem hunc *sub pœnitentiæ et reconciliationis beneficio* sacramentum pœnitentiæ intellexisse; alias propositum suum non confirmaret. Et ideo consequenter subdit: *Si nihil prodessent baptismi et pœnitentiæ seu reconciliationis sacramenta adultis absque motu fidei aut interioris pœnitentiæ in ipso justificationis momento, frustra ecclesia hæc ministraret illis sic extra rationis usum constitutis. Ex his consequens est non solum originale, sed etiam criminale peccatum propria voluntate commissum, adimi et remitti eo tempore, quo nullus adest ei, qui justificatur, fidei aut interioris pœnitentiæ motus.* Hæc autem justificatio fieri non potest, nisi ex opere operato.

Ruardus Taper in art. 3 *contra Lutherum paulo post initium.*

4 Hic auctor necessitatem confessionis et absolutionis sacramentalis probat ex epistola Leonis papæ, pro comperto supponens ita esse intelligendam : illique conjungit testimonium Augustini. Et inferius in § *Complectitur* refert aliquorum sententiam dicentium aliquando posse dari absolutionem sacramentalem sine prævia confessione, quando morbus præoccupat et confessionem ad votum pœnitentis excludit, qui voluntatem confitendi nutu aliquo ostendit, vel alii de illo id ipsum testantur. Et subdit : *Hoc sentire videtur Leo papa in epistola ad Theodorum* etc. Et infra : *Horum sententiæ favere, et usus ecclesiæ, et canones superius allegati ex Gratiano* 26, *quæst.* 6, *et Augustinus lib.* 1 *ad Pollentium, cap. ult.* Ex quo auctore solum id sumendum est, quod pertinet ad absolutionem sacramentalem, seu administrationem sacramenti pœnitentiæ in eo casu : nam quod dicit juxta illam opinionem sine confessione posse perfici sacramentum pœnitentiæ absolute verum non est, sed est pie explicandum et limitandum.

Corduba lib. v *de indulgentiis, quæst.* 39, *opin.* 3, *in principio.*

5 Principio sic inquit : *Materia hujus sacramenti est pœnitens subditus, confitens quomodo potest, scilicet specialiter per verba si potest, vel per signum, aut nutus, aut per scriptum quomodocumque potest, saltem generaliter, si aliter non potest.* In quibus verbis ante omnia est in hoc auctore notandum, postulare aliquam confessionem tamquam necessariam et essentialem, ut dari possit absolutio sacramentalis. Unde quando indicat in illo casu non dari confessionem, intelligit de confessione explicita et in particulari, quam pœnitens optabat et petebat, ut dixit etiam Ruardus. Pergit ergo hic auctor dicens paulo inferius : *In articulo mortis qui jam perdidit loquelam usumque rationis, in quo tamen apparent, vel præcesserunt signa contritionis, potest et debet sacramentaliter absolvi, quia necessitas caret lege. Quod etiam significatur in cap. Qui recedunt, cap. Is qui* 23, *quæst.* 6, *ubi dicitur, quod subito obmutescens, vel in phrenesim conversus baptizari et pœnitentiam accipere (idest absolutionem secundum Glossam) et reconciliationem, et eucharistiam recipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Ubi (quod animadversione dignum est), non solum textum, sed etiam Glossam putat non esse limitandam ad absolutionem a censura; sed intelligendam de absolutione simpliciter, quæ sacramentum in primis et consequenter absolutionem etiam a censura includat, si infirmus illa indiguerit. Et ita nihil huic expositioni obstabit, quod Glossa illa referat formam absolutionis, quæ habetur in cap. *Auctore nobis.* Potuit enim id facere, non quia putaverit sola illa esse utendum, sed quia interdum potest esse necessaria. Ait igitur Corduba : *Unde patet quod non solum de reconciliatione et absolutione ab excommunicatione, sed etiam de sacramentali a peccatis, quæ præcedere debet dignam eucharistiæ sumptionem, si fieri potest, simul agitur ibidem.* Et inferius pro hac sententia adducit Manuale Burgense et consuetudinem sacerdotum curatorum absolventium hujusmodi.

Sacerdotale Romanum antiquum cap. 20 *de pœnitentia imponenda.*

6 Testimonium hoc multum valet ad ostendendam antiquam praxim et consuetudinem præter auctoritatem eorum, a quibus liber ille compositus fuit; et ideo verba ejus hoc loco ponimus : *Si malus*

(inquit) *et obstinatus diu permanens in peccatis est, et diu non confessus, si petiit sacerdotem ut confiteretur, et ostendit se velle facere omnia, quæ debet, et interim factus est mutus vel phreneticus, et periculum est in mora, debet præsupponi contritus, et faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, sacerdos faciat absolutionem ab omni censura et peccato.*

Ferdinandus Mendoza lib. III *in concilium Elibertinum cap.* 19 *in fine.*

7 Hic auctor licet modernus sit, est tamen eruditus et in exquirendis atque explicandis antiquis canonibus diligens. Cum ergo in citato loco canonem quemdam illius concilii explicasset, qui de baptismo in simili articulo necessitatis præstando loquitur, subdit de pœnitentiæ sacramento verba sequentia : *Quod autem patres hic in baptismo, hoc idem in baptismo et pœnitentia seu absolutione pœnitentis edixerunt concilii Arausicani episcopi : Subito obmutescens, prout statutum est (forsan hujus concilii decretum intellexerunt, nam aliud tunc fuisse mihi non occurrit) baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu. De pœnitentia seu absolutione et eucharistia obmutescenti danda concilii Carthaginensis IV est constitutio. Is qui pœnitentiam (ait) in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt et accipiat pœnitentiam; et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus eucharistia. Si supervixerit, admoneatur a supradictis testibus petitioni suæ satisfactum et subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit. Hoc ipsum docuit Pollentium sanctus Augustinus; postquam enim catechumenos obmutescentes morbi gravitate baptizari posse et debere scripserat, addit : Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos tamen ex hac vita sine arrha suæ pacis exire debet velle mater ecclesia. Quodsi lenitatis et pietatis christianæ officia hæc concilia et patres pœnitentibus publicis ob graviora delicta a Christi et ecclesiæ communione repulsis et gravi ægritudine obmutescentibus impertiunt, utramque illis in extremo vitæ spiritu restituentes, cur reliquis peccatoribus privatis, eadem morbo et linguæ gravitate loqui impeditis, si aliqua vel signis, vel nutu, vel verbis paulo ante pœnitentiæ indicia præcesserunt, illa denegabitur? Retinendam enim firmiter censeo, quam paulo superius ex Augustino sententiam citavimus, etiam cum ægrotantis voluntas incerta est, multo satius esse nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit sic non apparet, et tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potius dicturum esse sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non sic oportere de corpore exire.*

Guido in Manipulo curatorum, titulo I, *parte* IV, *cap.* 9 *ad finem.*

8 Loquens in terminis de eodem casu, sic inquit : *Dico quodsi intelligit aliquid, monendus est; et si non potest loqui, ut per aliqua signa ostendat contritionem et sic petere absolutionem a peccatis etc. Si autem nihil intelligit, sed constat et probari potest quod signa pœnitentiæ et contritionis præcesserint, debet absolvi et communicari.* Ubi manifestum est absolutionem a peccatis, quam ægrotus tunc postulat, esse sacramentalem, et eamdem ait hic auctor dandam esse in illo casu.

Cardinalis Bellarminus lib. III *de pœnitentia, cap.* 9 *et lib.* II, *de effectu sacramentorum in genere cap.* 7, *ratione* 1.

9 In priori loco probat ex epistola Leonis confessionem sacramentalem esse jure divino necessariam. Refert itaque verba Leonis et postea subjungit : *Hoc loco S. Leo apertissime docet confessionem esse necessariam jure divino; nam ab ipso Deo ordinatum esse scribit, ut indulgentia Dei sine sacerdotum ministerio nequeat obtineri. Et deinde addit ministerium sacerdotum ex Christi instituto in eo consistere, ut pœnitentiam confitentibus injungant, et eosdem ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admittant.* Sed quia responderi potest hoc intelligi de principio et medio epistolæ non de ultima clausula, adjunximus alterum locum, in quo probat Bellarminus contra hæreticos sacramenta

justificare adultos, non tantum excitando fidem, sed ex opere operato, quia interdum justificat adultum amentem, vel omni sensu carentem. Quod prius de baptismo affirmat; deinde de pœnitentia et absolutione subjungit: *Adde quod concilium Carthaginense IV, can.* 76, *Arausicanum I, can.* 12, *Augustinus lib. de Adulterinis Conjugiis, cap.* 26 *et* 27 *et Leo epistola* 91 *ad Theodorum, docent sacramenta baptismi et absolutionis posse conferri etiam iis, qui in periculo vitæ sunt, licet ipsi vi morbi oppressi non habeant usum rationis vel sensuum, modo constet eos antea desiderasse ejusmodi sacramenta.* Quæ omnia solum in illo ultimo casu Leonis locum habent, et non potuerunt clarioribus verbis proferri.

Cardinalis Toletus in Institutione sacerdotum, lib. III, *cap.* 9.

10 Enumerans casus, in quibus confessio non integra ad absolvendum sufficit, in secundo casu sic ait: *Est autem hic notandum circa mortis articulum, quod ut pœnitens talis absolvatur sufficit motus vel signum aliquod, quo peccatum aliquo modo manifestetur, vel se velle peccatorum absolutionem. Non solum hoc, sed etiamsi ante adventum confessarii petiit confessionem, illo autem adveniente jam perdidit sensum, tunc si adstantes confirment illum petiisse confessionem, potest absolvi.* Et infra ait: *Hoc expresse docent canones, quidquid velit Sotus.* Quæ ultima verba magnæ considerationis sunt propter illam particulam *expresse*, quam vir tanti judicii et prudentiæ sine magno fundamento non addidisset.

Gregorius de Valentia tomo IV Summæ theologicæ, disputatione 7, *quæst.* 11, *punct.* 1, *circa finem.*

11 Hic auctor clarius et formalius quam cæteri sententiam hanc explicavit. Ubi cum probasset non posse confici hoc sacramentum inter absentes subjungit: *Quæ quidem ratio proprie evincit non posse absolutionem dari pœnitenti; quod in primis Cajetanus et Victoria recte urgent. Nam quod ipsa certe confessio possit fieri per nuncium, aut litteras sacerdoti absenti, modo ipse sacerdos non nisi præsentem postea absolvat, omnino est probabile, neque rejici ex ea quidem parte debet opinio Palludani. Et v. g. si æger aliquis absentem sacerdotem per litteras aut per nuncium accersat et timens futurum ut morbo postea oppressus confiteri illi in præsentia non possit, per easdem litteras vel nuncium ipsi confiteatur, ut adveniens demum sacerdos et quantumvis modo impeditum absolvat; hoc assero recte fieri posse et ita prorsus concedendum est, non modo secundum sententiam illam Paludani, sed etiam secundum opinionem, quam supra dixi in praxi jam haberi probabiliorem, nempe posse sacerdotem advenientem impendere absolutionem morienti, quem constat absolutionem expetivisse. Confessio enim illa in genere facta per id desiderium, quæ tunc reputatur, ut supra dixi, sufficiens, absenti sacerdoti facta est, ut patet.* Locus autem quem citat habetur in eodem puncto § *Primus casus.*

Gabriel Vasquez 1ª 2æ, *disp.* 62, *cap.* 7, *num.* 40.

12 Verba hujus auctoris valde etiam notanda sunt, tum quia non solum dicit licere, sed etiam debere ita fieri: tum etiam quia se indicat propensum ad dicendum esse rem sacris canonibus definitam. Sic ergo inquit: *Ex dictis colligo quemlibet confessarium et ex commissione debere absolvere contra propriam opinionem pœnitentem, qui constitutus in articulo mortis sola signa contritionis exhibet, quando nullum peccatum speciatim explicare potest. Ratio vero est manifesta, quia cum in hoc casu licitum sit contra propriam opinionem ipsum absolvere, eo quod contraria opinio admodum probabilis est, ne dicam sacris canonibus definita, et pœnitens indigeat remedio illo sacramenti, nullus sacerdos, etiam non proprius, recte poterit beneficium absolutionis ipsi denegare.* Audio non deesse, qui horum quatuor doctorum auctoritatem non alio nomine rejiciant, nisi quia de Societate nostra fuerint. Quasi vero illi in meam defensionem scripserint, aut ipsi tales sint, ut, licet pro me scriberent, affectu potius personæ quam veritatis in re tanti momenti duci potuissent. Hoc ergo nihil minuit de horum auctoritate, quæ ubique et maxime Romæ adeo nota est, ut eam commendare vel exaggerare non sit necesse.

SECUNDA CLASSIS.

Medina Codice de pœnitentia, tractatu 2, *de confessione quæst.* 39, *de absolutione ab oblitis,* § *ultimo.*

13 Auctorem hunc pro hac sententia refert Corduba loco supracitato, nec immerito. Sic enim scribit : Quamvis secundum communem legem nemo sit sacramentaliter absolvendus a peccatis, nisi confessione prævia in particulari : ab hac tamen communi lege casus necessitatis *exceptus esse videtur*. Dixit autem hoc propter canones qui leguntur c. 26, quæst. 6, quos in eis verbis de absolutione sacramentali interpretatur; addit vero : *Per pœnitentiam ibi secundum Glossam intelligitur absolutio ab excommunicatione et ideo nihil contra dicta.* Quod non existimo addidisse, ut illam interpretationem probaret, sed solum, ut ostenderet, omnibus modis satisfieri difficultati, quam ibi tractabat. Unde priorem sensum videtur afferre ex propria sententia, posteriorem solum ex Glossa recitare.

Hostiensis in Summa, lib. v, *titulo de pœnitentia et remiss.* § Quando confitendum *vers.* confitendum est tempore sanitatis.

Docet hic auctor infirmo, cui non potest injungi pœnitentia condigna, non esse absolutionem denegandam, cujus formam ita describit : *Nos auctoritate JESU Christi Domini nostri et beatorum apostolorum Petri et Pauli et sanctæ ecclesiæ et officii nobis commissi et nostra absolvimus te ab his peccatis et aliis de quibus non recordaris.* Et subdit inferius : *Idem fieri debet, si, dum missum fuit pro presbytero, obmutuit, vel amens factus est, antequam presbyter veniret, dum tamen habeat de signis testimonium, et multo fortius, si nutum faciebat cum presbyter advenisset : talibus enim et extrema Unctio et eucharistia ministrandæ sunt et quidquid humanitatis potest fieri exhibendum. Et si evaserint, pœnitentiam faciant ad arbitrium sacerdotis* 26, *quæst.* 6 *et sequentibus; Qui recedunt et sequentibus.*

Astensis in Summa, II *part., lib.* v, *titulo* 16, *circa finem.*

14 Interrogat hic auctor : *Quid si æger petat presbyterum et interim dum venit obmutescat, vel fiat amens, vel phreneticus? Respondeo : Presbyter veniens, vel ad nutum infirmi, vel ad testimonium eorum, qui audierunt ipsum petere pœnitentiam vel presbyterum, debet ei quidquid potest humanitatis impendere, absolvendo, reconciliando et, si fieri potest sine periculo, eucharistiam infundendo.*

Angelus verbo Confessio 4, *num.* 7.

15 *Quid* (inquit) *si æger petat presbyterum et antequam adjungat perdit loquelam, vel efficitur furiosus? Respondetur quod vel ad nutum infirmi, vel ad testimonium eorum, qui ipsum audierunt petere pœnitentiam, debet ei quidquid potest humanitatis impendere, absolvendo, vel reconciliando et, si potest sine periculo, ori ejus eucharistiam imponendo.*

Antoninus III *parte theologali, num.* 10, *cap.* 2.

16 *Et nota* (ait) *quod si infirmo petenti sacerdotem, interim dum veniret obmutuit, vel effectus phreneticus vel amens, sacerdos adveniens sive ad nutum infirmi sive ad testimonium illorum, qui audierunt eum pœnitentiam petentem, vel sacerdotem, debet ei impendere quidquid potest humanitatis absolvendo, reconciliando et, si sine periculo fieri potest, ei eucharistiam præbendo. Et si supervixerit admoneatur a prædictis testibus suæ petitioni satisfactum et subdatur statutis pœnitentiæ legibus.* Scio Navarrum in Summa cap. 27, num. 269, locum hunc Antonini de alia nescio qua absolutione non sacramentali explicuisse; unde virtute ita exponit alios tres auctores proxime citatos. Sed profecto Hostiensis non potuit clarius explicare absolutionem sacramentalem, quæ danda est infirmo confitenti, etiamsi non habeat vires ad satisfaciendum; et tamen subdit idem fieri debere in nostro casu. Quid ergo amplius desideratur? At vero Antoninus manifeste imitatus est Hostiensem, quem statim allegat, ejusque verba fere imitatur, quod in Astensi etiam et Angelo notari potest.

D. Thomas opusculo 65, *cap. de extrema Unctione.*

17 Ponimus hoc loco D. Thomam, qui ante omnes esset numerandus, quia non

desunt quibus testimonium non videatur infragabile. Verba autem ejus sunt : *Si autem infirmus, qui petit unctionem, amisit notitiam vel loquelam, ante quam sacerdos veniret ad eum, nihil? Ungat eum sacerdos; quia in tali casu debet baptizari et a peccatis absolvi.* Sed ajunt opusculum illud non habere firmam auctoritatem; interim tamen dum hoc probant, nobis satis est tam esse certum hanc sententiam D. Thomæ, quam est probabile illud esse opus ejus. Navarrus vero supra *absolutionem a peccatis* etiam detorquet ad absolutionem deprecatoriam, vel concessionem indulgentiarum sine ullo fundamento in textu et contra vim talium vocum et communem usum earum, præsertim inter scholasticos, qui verbis in rigorosa significatione uti solent. Adde numerationem ipsam absolutionis a peccatis cum sacramentis baptismi et extremæ unctionis satis indicare sermonem esse de absolutione sacramentali.

Augustinus lib. 1 *de adulterinis conjugiis cap. ultimo in fine.*

18 Eadem ratione hoc loco constituimus Augustinum, qui agens de catechumeno peccatore petente baptismum in extremis, sic inquit : Si desperatus et intra se pœnitens jacuerit, nec per se respondere potuerit, baptizandum puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quæ autem baptismi, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupavit.

TERTIA CLASSIS.

Sylvester verbo Confessor 3, quæst. 13.

19 Hic auctor eadem verba habet, quæ Astensis et Angelus. Cum autem dicit, ut in eo casu sacerdos absolvat infirmum addit adverbium hoc *generaliter*, quod destituit sententiam, aut valde obscuram reddit. Unde aliqui censent illum solum loqui de absolutione deprecativa per illa verba : *Misereatur tui*, vel illa *indulgentiam absolutionem* etc. vel similia. Vix autem credibile est hoc intendisse Sylvestrum; nam ad has deprecationes nulla signa ex parte infirmi necessaria sunt, nec testimonium alicujus, qui ea viderit : possumus enim precari super quemcumque hominem, imo super corpus hominis jam defuncti. Quapropter multo incredibilius est sacros canones de hac sola precatione fuisse loquutos. Fortasse ergo Sylvester per illam particulam *generaliter* solum admonet sacerdotes, ut absolvant sub generali intentione, *quantum possum et debeo;* quæ est intentio virtualiter sub conditione et prudenter in hujusmodi casibus adhibetur. Et hoc etiam indicare videntur alii auctores, cum monent, ut presbyter impendat quidquid humanitatis potest.

Gratianus in decreto de pœnitentia dist. 1.

20 Favet hic auctor, quatenus epistolam Leonis de confessione et absolutione sacramentali intellexisse videtur. Nam in illa dist. quæstionem in principio proponit utrum sine confessione et sacerdotali judicio possit quis veniam criminum promereri. Et usque ad cap. 36 argumentatur contra necessitatem sacramentalis confessionis; a cap. vero 37 probat veritatem catholicam de ejusdem confessionis et absolutionis necessite, et in cap. 49 inducit testimonium Leonis. Intelligit ergo illud de vero pœnitentiæ sacramento; quod adeo in eo casu præstandum est, quia necessarium est ad salutem in re susceptum per se loquendo. Et licet interdum possit sufficere illius votum in contritione inclusum, tamen humanum et morale est in casu illo repentino pœnitentem non concipere perfectam contritionem ac proinde esse illi necessariam absolutionem re ipsa præstitam, ut ex attrito fiat contritus.

Glossæ in cap. Multiplex *de pœnitentia dist.* 1.

21 Obscure quidem loquuntur hæ Glossæ; tamen pensatis omnibus huic sensui favent; nam in distinct. cap. *Multiplex*, verbo *proprio* et verbō *supplicationibus* Glossa intelligit sermonem esse de necessitate confessionis et absolutionis sacramentalis; et in verbo *eorum* indicat Leonem loqui de remedio pœnitentiæ omnibus peccatoribus communi ac necessario. Et licet circa ultimum casum nullam expositionem addat, nec declaret quod sit beneficium pœnitentiæ de quo ibi sermo est, eo ipso indicat non habere ibi novam significationem, ideoque non fuisse necessariam specialem declarationem.

Cardinalis Baronius tomo VI Annalium anno 452 in fine.

22 Ad eumdem huic sententiæ favet hic vir gravissimus. Nam illius epistolæ mentionem faciens, in primis ait Theodorum consuluisse Leonem *de pœnitentia his, qui in extremo laborant, impertienda,* Leonemque respondisse *non esse negandam quibuslibet in exitu vitæ illam petentibus.* Sentiens sermonem Leonis esse de pœnitentia vera et sacramentali, quæ in illo articulo maxime necessaria est et ideo maxime desideratur ac petitur. Itemque de omnibus peccatoribus, cujuscumque ordinis sint, qui usque ad mortem illam differunt.

Turrecremata in cap. Is qui 26, *q.* 6 *etc.*, *cap.* Multiplex *de pœnitentia disp.* 1.

23 Non clare loquitur, tamen in cap. *Is qui* per *pœnitentiam absolutionem* exponit: Qualis autem sit illa absolutio non declarat, nec allegat Glossam, nec textum, quem ipsa citat. Unde videtur in sensu saniori loqui de absolutione simpliciter dicta, quæ sacramentalis est. Et in cap. *His qui* sentit *præsidium pœnitentiæ* esse illud, quo remittuntur peccata: quia inde cum Leone probat non esse negandum in illo articulo: *Quia apud Deum nullas patitur moras vera conversio,* et ita totum cap. *Multiplex* de sacramento exponit. Cum vero attingit ultimum casum, obscure loquitur: nam *beneficium pœnitentiæ et reconciliationis* exponit, idest *fructus pœnitentiæ, vel beneficium communionis corporis Christi, ad quam admittuntur et ad sepulturam* etc. Quis autem sit ille pœnitentiæ fructus non declarat: recte autem intelligitur esse peccatorum remissio, quæ per absolutionem sacramentalem confertur.

De auctoribus, qui pro contraria sententia referuntur.

24 Solent contra hanc sententiam et expositionem adduci Glossa, Archidiaconus, Navarrus, Abulensis, Cano, Soto et Ledesma. Verumtamen licet omnes isti auctores contrarium aperte sentirent, nec numero, nec auctoritate cum auctoribus prioris sententiæ conferri possent. Sed re vera non omnes contradicunt, et in singulis aliqua notari possunt, quæ ad causam multum conducant.

Glossa in cap. Is qui 26, *quæst.* 6.

25 Ubi in illo textu dicitur *pœnitentiam accipiant.* Glossa recte exposuit, *idest absolutionem.* Addit vero pro forma absolutionis allegationem cap. *Anobis est sæpe* 28, de sententia excommunicationis, ubi forma absolutionis ab excommunicatione traditur. Et ita videtur de absolutione ab excommunicatione illam pœnitentiam interpretari. Jam vero supra cum Corduba insinuavi nonnullam responsionem, quæ ad hanc Glossam dari possit. Ingenue tamen fateor, vel non bene exposuisse textum illum, vel alium male allegasse. Et præterea ad Leonem papam nullam talem expositionem Glossa adhibuit.

Archidiaconus in dict. cap. Is qui *et in cap.* Multiplex.

26 Hic auctor in hoc videtur contrarius, quod *beneficium reconciliationis* exponit, idest *corpus Christi et alia, quæ fieri solent cum pœnitentibus in morte, scilicet officium sepulturæ* etc. At in hoc non est contrarius, quia non facimus vim in *beneficio reconciliationis;* fatemur enim posse exponi de admissione ad eucharistiam, juxta cap. *Qui recedunt* 26, quæst. 6, et de reconciliatoria manus impositione ex dict. cap. *Is qui;* sed vim facimus in beneficio pœnitentiæ distincto ab altero. Quod aliud non est nec esse potest, nisi absolutio sacramentalis, de quo Archidiaconus nihil dixit. Et potius in verbo *ordinatis,* et verbo *indulgentiarum* sentit Leonem loqui de remissione peccatorum, quæ datur per ministros ecclesiæ et ejus sacramenta.

Navarrus in Summa cap. 26, *num.* 27, *cap.* 27, *num.* 269.

27 Quamvis hic auctor doceat signa generalia pœnitentiæ non esse sufficientem confessionem, in quam absolutio sacramentalis cadere possit, etiamsi ægrotus confessionem petierit: nihilominus in præsenti causa non est contrarius, sed potius favet. Duæ enim quæstiones in hoc negotio distinguendæ sunt. Una pertinet ad materiam remotam confessionis, an necessario esse

debeat aliquod peccatum in specie, vel interdum sufficiat genus divinæ offensionis, quando aliud explicari non potest. Alia est de necessitate præsentiæ sacerdotis eo tempore, quo ægrotus dat signum talis culpæ, quæ alias sit sufficienter materia confessionis. Ad præsentem ergo causam sola hæc quæstio spectat, quidquid sit de priori. Et in illa expresse docet Navarrus posteriori loco allegato posse sufficere confessionem missam ad sacerdotem absentem, in qua peccata in particulari exprimantur. Verum est ipsum loqui etiam in ordine ad absolutionem in absentia, quod jam damnatum est. Verum enim est non recte exponere vocem *pœnitentiam* pro absolutione a censura, vel concessione indulgentiæ; sed loquitur de solo canone concilii Carthaginensis; epistolæ autem Leonis (quod mirum est) nullam mentionem facit.

Abulensis in cap. 16 *Matthæi, quæst.* 79.

28 Solum dicit signa contritionis non sufficere, ut sacramentaliter absolvatur ægrotus, qui illa dedit, sive in absentia, sive in præsentia sacerdotis. Unde constat illum non loqui de quæstione nostra. Et præterea nullum canonem refert, nec declarat. Possetque non incommode exponi de signis contritionis nullo modo relatis ad claves.

Cano Relectione de pœnitentia, parte v, *ad* 5, *principale.*

29 Hic etiam auctor in primis disputat de confessione in genere tantum facta ob impotentiam, an possit aliquando esse materia sacramentalis absolutionis. In qua quæstione negantem quidem partem eligit, ut tutiorem; non tamen valde repugnat (ut ait) ei, qui contrariam sequi, eaque in praxi uti velit. Quod vero ad canones attinet, prius quidem eos explicat de absolutione a censura; præsentiens autem illam interpretationem non posse recte accommodari, fatetur eos loqui de absolutione sacramentali, in quo sententiæ nostræ favet. Addit vero, illam solitam fuisse cadere in confessionem factam principio Quadragesimæ. Quæ responsio repugnat aperte textui Leonis, et multa supponit voluntarie dicta et contra historiam antiquam, ut ex Mariano Victore in citato loco intelligi potest, et in alio peculiari scripto de hoc puncto edito, latius ostendimus.

Soto in 4, *dist.* 17, *quæst.* 2, *art.* 5, *prope initium.*

30 Ex professo etiam tractat ibi Soto de generali confessione, an sufficiat in aliquo casu, ut sacramentalis sit et in eam cadat sacramentalis absolutio, et negantem partem tuetur, obiterque attingit conditionem absentiæ, et ex eo etiam capite censet talem confessionem esse nullam. Nulla tamen firma ratione id probat. Solum enim ait confessionem debere esse actionem personalem. Quod sane verissimum est. Verumtamen licet sacerdoti solum per testes innotescat, personalis erit, sicut confessio, quæ fit per interpretem, actio personalis est, licet per interpretem innotescat sacerdoti : perinde enim est, quod applicetur per testem, vel per interpretem. Quo exemplo etiam constat falsum esse, quod ibi ait de ratione confessionis esse, ut immediate fiat sacerdoti; potest enim fieri interventu tertiæ personæ, ut de interprete constat. Quod autem sacerdos sit præsens quando pœnitens loquitur interpreti, non vero quando loquitur testi, valde materiale et accidentarium discrimen est, quandoquidem in casu interpretis sacerdos non magis intelligit verba pœnitentis, quam si illa non audiret et ita tota ejus notitia reducitur ad fidem interpretantis.

31 Denique hac occasione interpretatur Soto canones de absolutione ab excommunicatione, vel de extrema reconciliatione cum ecclesia; sed non affert aliam probationem, nisi quia testimonium circumstantium non potest satis esse ad sacramentalem absolutionem; quod ipse non probat, et oppositum probat apertissimis verbis Leo papa, cujus contextum, totiusque epistolæ intentionem et connexionem, ac verborum consequutionem ille non expendit. Et (quod manifestum argumentum est) Soto confirmat suam sententiam ex eo, quod illud absolutionis genus dari poterat homini etiam post mortem, quod est proprium absolutionis a censura cap. *A nobis est sæpe* 28, de sententia excommunicationis. At Leo papa in sua epistola expresse dicit beneficium illud pœnitentiæ, de quo ipse loquitur, dandum esse homini ante mortem, nam post illam obtineri non potest : ergo interpretatio illa nullo modo potest ad textum Leonis accommodari.

Martinus Ledesma in 4, II *part., quæst.* 9, *art.* 3, *dub.* 2.

32 Eamdem quæstionem ibi disputat quam duo auctores proxime præcedentes, scilicet de confessione generali, an interdum sufficiat, necne; de conditione autem absentiæ nullam prorsus mentionem, et incidenter facit. Et in illa priori quæstione, licet tandem in negantem partem inclinet, cum majori tunc formidine et moderatione quam Soto loquitur, illis verbis utens : *Ego in hac quæstione non satis explicatum habeo, quid dicendum sit.* Additque D. Thomam numquam negasse illam confessionem posse esse sacramentalem, imo aliquando expresse dixisse posse esse sacramentalem, partialem scilicet in 4, dist. 21, quæst. 2, art. 1 et 2. Unde magnum argumentum sumit in casu necessitatis posse esse etiam materiam integram seu totalem. Quod vero ad Leonem et alios canones attinet, eisdem fere verbis quibus Cano loquitur. Ac tandem quod ad rem præsentem spectat, patenter loquitnr de absolutione sacramentali; recurrit vero ad divinationem aliam de confessione, quæ in principio Quadragesimæ præcesserat; de qua jam satis pro loci opportunitate dictum est.

ADDITIO.

« Non est cur immoremur in allegandis auctoribus recentioribus, qui cum superiori varietate locuti fuerunt de sententia, asserente dandam absolutionem prædicto moribundo. Videatur tamen Diana III parte tract. 3, de absolutione moribundi, præsertim resol. 4. Ubi pro hac sententia, quam et ipse sequitur, citat ultra 30 auctores; quibus adde Amadeum supra citatum propositione 19; Leandrum de sacramento pœnitentiæ disp. 5, quæst. 45, ubi etiam plures citat; qui ibidem, quæst. 44, cum cardinali de Lugo probabilius judicat posse absolvi moribundum, quando ii, qui testificantur de petitione confessionis, non audierunt ab ipso infirmo, sed ab aliis mediatis, qui ab infirmo audierunt. Imo quæst. 45 probabile judicat posse absolvi moribundum sensibus destitutum, licet testes non coram ipso infirmo testimonium confessario ferant de petitione confessionis. Qua resolutione citat Bonacinam, Filliucium, Mouram, Zambranum, Lugonem, Trullensem et alios. Et quod magis est cum multis sentit, quæst. 46 et 47, posse, et debere absolvi sub conditione moribundum sensibus orbatum, quamvis nec confessionem petierit, nec signa doloris in periculo dederit, dummodo prius christiane viveret, sacramenta frequentaret, bonus et fidelis æstimaretur : et hac sententia citat ultra 12 auctores, quibus adde Tamburinum in Methodo expeditæ confessionis, lib. II, cap. 10, § 1, num. 11 et alios apud Amadeum Guimenium in opusculo de pœnitentia, propositione 20, pag. mihi 294. »

THEOPHILI RAYNAUDI

EX SOCIETATE JESU

DISSERTATIO PRO FRANCISCO SUARESIO

DE GRATIA ÆGRO OPPRESSO COLLATA PER ABSOLUTIONEM, A SACERDOTE PRÆSENTE IMPENSAM, PRÆVIA PECCATORUM EXPOSITIONE EPISTOLARI.

EXCEPTIO CONTRA EXCEPTIONEM.

INDEX CAPITUM.

CAUSA SCRIBENDI.

CAP. I. *Quid et quotuplex sit confessio epistolaris.*

II. *Quod confessio, sumpta pro integro pœnitentiæ sacramento, epistolaris esse non possit, certa sententia.*

III. *Pœnitentiæ sacramentum, ne ex parte quidem expressionis peccatorum, posse esse epistolare, qui censuerint.*

IV. *Expressionem sacramentalem peccatorum in summa necessitate posse esse epistolarem, Suaresii sententia variis doctoribus probata.*

V. *Concilia et pontifices pro sententia proposita.*

VI. *Rituale Romanum pro eadem sententia.*

VII. *Ratio congrua in ejusdem sententiæ confirmationem.*

VIII. *Ad argumenta in contrarium posita.*

IX. *Sigillatim ad argumentum ex decreto Clementis octavi contra confessionem per literas vel internuncium.*

X. *De aliis modis subministrandi partem materialem sacramenti pœnitentiæ per internuncium aut literas.*

OCCASIO SCRIPTIONIS.

1 Quis, et quantus vir fuerit FRANCISCUS SUAREZ nihil attinet exponere in tanta luce nominis ejus apud universi orbis doctores, ipsosque ecclesiæ apices. Illum Paulus V *doctorem eximium, et divina gratia plurimum in ecclesia eminentem*, indigitavit. Inferiores vero antistites, eximiæ sapientiæ viri, illum habuere pro oraculo; ita ut fuerint ex eo ordine nonnulli, qui Suaresium *communem ætatis suæ magistrum et alterum Augustinum* perhonorifica appellatione donarent. Hujus tanti viri eximia decora, præsertimque exquisitum judicium in soliditate doctrinæ et sententiarum delectu, omnes æque celebrant. Et quia metrum doctrinæ probabilis juxta ipsummet Aristotelem est, quod doctrina ratione idonea minime destituta, a gravi quopiam auctore tradatur; receptum passim video inter recentiores theologos, sententias a Suaresio traditas, eo ipso quod illum habent auctorem, videri posse probabiles : quia auctoris sunt valde accurati, nec præcipitis, sed maturi ac solidi. Nec desideratur umquam idon ratio, q ua sententiam, cui inhæserit, commode stabiliat, atque communiat.

2 Fuit tamen juvenis quidam scriptor, senes, qui ipsius subtilitates arista acutiores non probant, naso suspendens adunco, eosque hebetudinis et crassitiei mentis incusans; qui cum in cæteris omnibus Suaresii sententiis id verum esse lubens agnosceret, unam dumtaxat ejus assertionem de confessione epistolari excipiendam censuerit : quasi huic uni doctrinæ, a Suaresio traditæ, nec quantacumque auctoris gravitas, nec rationes quibus eam stabilit, conciliare quiverint probabilitatem. Quanto jure hæc scripta sint, placet excutere, ne per hujusmodi judicium juvenile, tanti viri existimatio apud imperitos deteratur, et nomen in scholis omnibus venerandum vel ex hoc uno capite obsolescat. Debeo hoc singulari Societatis JESU ornamento; debeo meritis tanti viri erga ecclesiam, pontificio præconio non uno eximie celebratis; debeo

fluentis doctrinæ, quibus scholas theologicas et philosophicas copiose irrigavit; debeo (ut de me ipso nominatim agam) fructui quem ex pervolutatione scriptorum tanti viri, per annos omnino multos a me perceptum, diffiteri non possum; debeo moribus candidissimis, ac demissioni cum sapientia certanti : de quo pene dixerim, (si extimo verborum cortici quis inhæreat), visum iri aberrasse qui dixit : *Scientia inflat.* Hic enim e contrario, in tanta scientiæ redundantia, virtutum omnium, sed humilitatis maxime, vivum ac spirans delubrum fuit; quod rarum sane scientiæ ornamentum, quale manus addunt ebori decus, aut ubi fulvo argentum Pariusve lapis circumdatur auro, notatum in eo, et ab omnibus celebratum recolo, ante annos quinque supra 40, cum Roma reveniens, in Lusitaniam regrederetur. His aliisque de causis justissimum mihi est, ne obsolescat tanti viri gloria, omni studio conniti, et pro virili satagere.

3 Quid quod innoxio, et tamen calumniis gravato, qui se tutari ac indemnem præstare nequeat, auxiliarem manum porrigere, si facultas suppetat, adstringimur omnes, obligatione caritatis : juxta illud parentis optimæ ad dilectum Samuelem : *Aperi os tuum muto, et causis omnium filiorum qui pertranseunt.* Mutum posuit, pro eo qui pro se loqui non potest : *pertranseuntes* autem nominat, advenas qui fere imbelles sunt, et facilius patent injuriæ : ut hæc sint veluti symbola innoxiorum simul ac non valentium sibi ipsis prospicere, et causam suam agere, quos tutari pro facultate, proque eis loqui, nexu caritatis obstringamur. At de Suaresio, occasione confessionis epistolaris, post ejus obitum, cum jam pro se stare non posset, ea gratis sparsa sunt falsa, et calumniosa, quæ nisi abstergerentur, famam tanti doctoris haud tenuiter inquinarent. Et quamvis illitæ ab Alvare, Nugno, Candido, Cocquetio, Avila aliisque sordes, videri possent non priva scopula detersæ : tamen recens exceptio adversus probabilitatem doctrinæ, a Suaresio hac in parte traditæ, omnes illas maculas manifeste regerit. Adversus hanc ergo exceptionem excipere, eamque non modo absque jure ullo, sed etiam absurde et inconsiderate adhibitam demonstrando, certare consilium est, quantum arbitror, minime improbandum.

4 Nec quod senex ad concertationem cum juvene accingor, desperandus est eventus secundus. Narrat quod Cæsar augustæ in Hispania accidit Ludovicus Richeomus in Valedictione animæ, dissertatione 12, sub annum Christi 1562. Erat viro nobili caballus alias generosus et optimus, sed tunc præ senio emeritus, et vacationem laborum nactus cum pabuli gratuiti beneficio. Advecti sunt ex Africa ad illum nobilem leones aliquot. Fuerunt qui urgerent, committi cum uno e leonibus, qui admodum generosus videbatur, equum annosum, ægre hujusmodi postulatis annuente viro nobili : quod tametsi nihil ultra operis ab equo exspectabat, antiquam tamen ejus generositatem non dedidicisset : et certo equi exitio congressum ejus cum impare postulari arbitraretur. Dedit tamen denique voluntati et auctoritati poscentium quod volebant, importunitate victus. Dies dicitur, et numerosus magnatum cœtus advocatur. Prior in arenam productus est equus, moxque in idem septum, quatuor muris conclusum, immissus est leo; quem conspicatus equus, inhorruit, de instante sibi fine non dubius. Concedens vero in angulum, ut adventantem magno fastu leonem imminere suis cervicibus vidit, obversis in hostem calcibus, soleam ferream adeo valide fronti ejus inlisit atque infixit, ut non ita multo post inter immanes rugitus efflarit animam. Apodosis est obvia. Verissimum est seni non eamdem esse ætatem, non mentem, et prudenter ante occupandam esse quietem, sive ex Flacci monito mature solvendum esse equum senescentem, ne ilia ducat; idque ipsum in re litteraria valere, adnotabat Gregorius Nyssenus initio orationis de infantibus; cum jam devexa ætate, ab Jerio ad litterariam exercitationem revocaretur. Tamen possunt etiam, qui jam præ senio laborum immunes fuerint, nonnihil de pristina alacritate resumere, nec ludibrium debere juvenibus, si quando præfidenter exsultent ac improvide efferantur, ut leo ille docuit.

5 Ne tamen bestialis fastus dejectio ad invidiam trahatur, certamen paris imparis inter homines subjicio legi. Regnante in Gallia Henrico IV, cum insania duellandi nobilitatem Gallicanam fœde occuparet, nobilem Arvernum, multis monomachiis in ætate vegeta clarum, cum a juvene præfidente provocatus esset ad equestrem duel-

lationem, jam annosum et podagra nervos depasta præpeditum, ita defectum viribus ut ne equum quidem subire nisi inferentibus famulis posset, admisisse duellum narrant : et cum filii, quos habebat strenuos bellatores, ad certamen pro patre se offerrent, respuisse succedaneos illos accensos; causatum, nolle se gloriam in robustiore ætate partam, detrectata in eo annorum sedimento duellatione, profligare. In campum itaque prodiit, miserantibus omnibus et juvenis truculentiam detestantibus, quod eum non puduisset pridem emeritum senem, annis et morbis attritum, ad certam cædem provocare. Sed falsi sunt expectatione; cum, inita pugna, frigidus ante in senilibus præcordiis sanguis recaluit : et juvene tremula senis manu confosso, ferociens vehementia repressa est, altique spiritus prostrati. Rex Henricus IV, a sene victore, ultro se sistente, interpellatus de venia, elogium adjecit. Cujusmodi hæc senis gloria fuerit et quam rite captata, nunc non inquiro; qui meminerim ejus evaniditatem ab Hieronymo Osorio, expolitissimi ingenii scriptore, diffuse demonstratam : et breviter, sed valide ab Augustino libro III de Civitate cap. 14, cujus illa verba sunt : « Nemo mihi dicat, magnus ille atque ille, quia cum illo et illo pugnavit, et vicit : pugnant etiam gladiatores, vincunt et ipsi, habet præmia laudis et illa crudelitas. Sed puto esse satius, cujuslibet inertiæ pœnas luere, quam talem gloriam quærere. » Factum itaque senis non approbo : sed illud in hanc causam advoco ut juvenes, quibus S. Hieronymus, epist. 91 et 92, non persuaserit erga senes modestiam; et qui Daretem ac Entellum dedidicerint; ex infelici stolide turbidi juvenis prostratione, discant non despuere canitudinem, quasi effœtam, et rubris crinibus Ibero poeta notatis ludibrium dependentem; quod quantam prodat cordis inopiam, alibi prosequor.

CAPUT I.

Quid et quotuplex sit confessio epistolaris.

1 Ut huic quæsito satisfiat, duo termini sunt enucleandi, prior est *Confessio*, posterior *Epistolaris*. Iis enim vocibus rite intellectis, perspicuum erit, de quo agitetur controversia.

2 *Confessionis* ergo vox, quæ hoc loco arctatur ad usum sacramentalem, dimissis aliis extraneis ejus notionibus, de quibus Pamelius ad epistolam 9 S. Cypriani, et Baronius in notis ad Martyrologium 2 Januarii *littera H*, aliquando sonat integrum sacramentum pœnitentiæ, aliquando autem solam ejus partem materialem externam, pœnitenti cum primis gravem, qua cor circumciditur; id est, quod in eo turpe est ac pudendum, retegitur homini Dei vice judicanti, ut propterea Lactantius libro IV Instit. cap. 17 circumcisionem symbolum fuisse sacramentalis christianæ pœnitentiæ observet. Synecdochice itaque nomen *Confessionis* totum sacramentum pœnitentiæ designat : nec aliquid est catholicis frequentius quam dicere, se accedere ad confessionem, vel obire velle sacramentum confessionis. Estque id adeo receptum in ecclesia jam olim, ut S. Augustinus, serm. 48 de tempore, adactus fuerit dedocere Afros suos, ne existimarent, quoties scriptura meminit confessionis et ad eam hortatur, agi de sacramento pœnitentiæ, ut rudes illi arbitrabantur; qui cum S. Pater inter concionandum protulisset *confitendi* aut *confessionis* vocabulum, illico tutuderant pectora, rati sermonem esse de sacramento pœnitentiæ. Propria sane hujus sacramenti appellatio est *sacramentum confessionis* eamque appellationem præfert Durandus in 4, dist. 14, quæst. 1, num. 5, nolens dici *sacramentum pœnitentiæ*, sed *sacramentum confessionis;* quod tamen non probavit Andreas a Vega libro III de Concilio cap. 14, qui mavult hoc sacramentum vocari *sacramentum pœnitentiæ*, quia nomen *pœnitentiæ* funditur ad omnia ex parte pœnitentis intervenientia ad hoc sacramentum, non item confessio. Sed ad rem præsentem sufficit, quod ab hoc uno pœnitentis actu, plerumque totum sacramentum denominetur *confessio*, vel *confessionis sacramentum*.

Confessionis vox quid significet.

3 Quod autem aliquando, vox *Confessionis* arctetur ad solam sacramentalem expressionem peccatorum, est extra dubium. Imo hic est maxime proprius vocis usus, qui per synecdochem laxatur, cum ea vox ad totius sacramenti significationem extenditur. Nec dissimiliter apud Græcos nomen *Exomologeseos*, quod aliquando pro

Confessionis vox arctatur aliquando ad Sacramenti expressionem peccatorum.

integro sacramento usurpatur, solam quandoque peccatorum retectionem sacerdoti factam designat; et quidem maxime proprie, ut apud Suidam videre est V° ὁμολογία. Quod autem vox *Exomologeseos* universum pœnitentiæ sacramentalis ministerium sæpe complectatur, manifestum est ex Tertulliano, libro de pœnitentia, cap. 9. At quod alias nomen illud cadat tantum in externam peccatorum expositionem apud sacerdotem, liquet ex illis verbis Tertulliani, libro de orat. cap. 6. « Exomologesis est petitio veniæ, qua qui petit veniam delictum confitetur. » Sanctus item Cyprianus, qui Tertullianum solet exprimere, libro de lapsis, num. 98, eodem modo usurpat exomologesim, cum ait : « Apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt. » Idem habetur ex Diadocho libro de perfectione, cap. 100. Liquet de duplici notione vocis Confessio, quam priore loco enucleandam susceperam.

Exmologesis quid.

4 Vox posterior, nempe *Epistolaris*, duplici item notione fœta est. Nam inhærendo extimo cortici vocabuli, sonat expositionem factam absenti, interventu literarum, sive *epistolæ*, qua homines, qui semper sibi adesse non possunt, artificio plane mirabili, loquuntur manibus, ut ait Gregorius Nyssenus in de homilia opif. cap. 8. Exaratam enim manu chartam transmittentes, sensa animi sui aperiunt procul dissitis : quod S. Basilius epist. 55, quæ est ad S. Ambrosium, præclare suspicit et ipse S. Ambrosius scribens ad Sabinum epist. 41 et 45, ac S. Hieronymus epist. 42, quæ est ad Niceam Aquileiensem, nec non Julianus apostata, scribens ad Eugenium philosophum. Quod ergo charta, sensis mentalibus scribentis gravida, ad alium transmittatur; inde ejusmodi charta, a verbo Græco ἐπιστελλω, quod *mittere* significat, dicitur *epistola*, id est, *Missa*, ut interpretatur S. Isidorus libro VI Origenum, cap. 8, vel *Missiva*, ut loquitur Cassiodorus. Et ita cum Errico Puteano observavit Hermannus Hugo in libro de prima scribendi orig. cap. 13. Unde γραμματόφοροι, ut Græci appellabant, (hoc est qui ex officio literas gerebant), dicti *Missi*, aut ut est apud Festum, *Gerones*, vel *Mittendarii*, ut loquitur Theodoricus apud Cassiodorum lib. IV. Quamquam postea vox *Missi* extensa est ad quemcumque a principe ablegatum, etiamsi non esset merus gero literarum; ut sæpe habetur in Capitularibus et Pithæus inibi in Onomastico annotavit. Idem est de voce *Missatici*, quæ sæpe occurrit in Flodoardo, nominatimque lib. II histor. Rem. eccl. cap. 18 et 19, et lib. III, cap. 26 ac 28. Sicut etiam vox *Mittendarii* ad milites Palatinos est aptata : ut videre est lege 3, 7 et 8 Cod. de palat. sacr. largit. notatque Comnanus lege 4, cap. 13, num. 4. Juxta hanc ergo *Epistolæ* notionem, *confessio epistolaris* ea dicetur, quæ est transmissa ad sacerdotem absentem, datis ad eum literis, continentibus exarata pœnitentis peccata.

Duplex notio hujus vocis *Epistolaris*.

5 Verum quia epistola chartacea, aut cuicunque alteri inanimæ materiæ commissa, patet curiositati eorum, in quorum manus potest incidere, et resignari ac perlegi : variæ excogitatæ sunt rationes, occultæ aut etiam invisibilis scriptionis : sive ratione materiæ occultæ cui includuntur, vel inscribuntur epistolæ, sive occultatione tabellariorum aut itineris qua transmittuntur, sive ratione materiæ qua efformantur characteres, sive artificiosa transpositione literarum, sive adhibitione notarum, atque zifrarum pro literis; de quibus omnibus occultandæ scripturæ modis, ad avertendos curiosos oculos excogitatis, luculenter Hermannus Hugo laudati operis de scribendi origine cap. 15, 16, 17, 18. Neque tamen adeo sufficienter his viis prospectum est securitati occultationis arcanorum, quorum conscii faciendi sint absentes, quin curiosi sæpe pervadant ad latebras tam affabre occultatæ transmissionis. Nam sagacitas humana non raro per omnia illa rudibus inaccessa se infert, et quævis materiæ aut rationis scribendi adyta penetrat. Itaque in rebus gravissimis, quas plane impervias esse et inexploratas oporteat, adhibentur literæ vivæ. Sic voco internuncium fidum, non cujus corpori inscribantur characteres, ut factum est inscripto mancipii capite sub capillis primum rasis ab Histiæo, apud Polyænum lib. I, et Gellium lib. VII, cap. 9. Et faciendum etiam auctor erat Naso, cum diceret :

Variæ rationes occultæ invisibilis scriptionis.

Hoc caveat custos; pro charta conscia tergum
Præbeat, inque suo corpore verba ferat.

6 Non igitur hæ sunt, quas voco *literas*

vivas, usquequaque curiosis inexploratas; sed quibus arcanum oretenus committitur fido internuncio ac secreti tenaci, quem nulla ars, vel vis humana ad secretum pandendum possit adigere. Quis enim, fidelis hominis, cui arcanum tuum credideris, pectus aperiat, si is reserare renuat? Nulla humana curiositas, quibusvis instructa clavibus, aut armata minis, vel securibus, eo penetrat. Testis Attica meretrix, quæ, (juxta Tertull. cap. 50 Apol.), carnifice jam fatigato, postremo linguam suam comestam, in faciem tyranni sævientis expuit, ut expueret et vocem, ne conjuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset. Quod item a Zenone Eleate factum, ne fides arcani commissi inter tormenta vacillaret, scribit Laertius. Itaque quantum libertas humana est insuperabilis cuicumque creatæ virtuti, (ut propterea libertatem Antoninus, lib. VIII devita sua, num. 41, *arcem munitissimam* nominet, *cujus* ut libro XI, num. 30, ex Epicteto ait, *nemo esse latro potest,*) tantum securitatis est in arcano literis hisce vivis commisso, si internuncius ipse non se resignet atque recludat.

7 Hinc habetur, præter secundi generis confessionem epistolarem veluti emortuam, quæ fit per apices chartis commissos, dari aliam viva epistola comprehensam, quæ scilicet fit per internuncium, cui viva voce relaturo pœnitentis peccata, et voluntatem consequendi de eis suo tempore absolutionem, committatur absque scripto, ministerium prædictum. Hæc tamen confessio per epistolam vivam, non nisi materialiter differt a confessione sive expressione peccatorum, epistolæ animæ commissa : et plane eodem modo de utraque hac epistolari confessione est pronunciandum, quoad validitatem, aut honestatem.

CAPUT II.

Quod confessio, sumpta pro integro pœnitentiæ sacramento, epistolaris esse non possit, certa sententia.

Referuntur Auctores qui integre pœnitentiæ Sacramentum confici posse per Epistolam censuerunt.

1 Ferendum est judicium de duplici confessione epistolari superius proposita. Nempe et de ea qua integrum sacramentum fieret per literas; et de ea qua expressio sola peccatorum literis fieret; quamvis absolutio, et consummatio sacramenti, non fieret per literas, sed viva voce obiretur inter sacerdotem et pœnitentem præsentes. Priorem confessionem nunc expediam.

2 Integrum ergo pœnitentiæ sacramentum confici posse inter absentes, per epistolam vivam aut mortuam, doctorum veterum fuit sententia. Ita enim visum esse referunt Alexandro Alensi part. IV, quæst. 77, membro 4, art. 5, § 9, sed ibi invenio. Idem sensit Richardus in 4, dist. 17, art. 2, quæst. 5; quamvis enim talem confessionem neget esse necessariam, supponit tamen esse utilem. Subscripsit Adrianus in 4 tract. de confessione §. *Sed igitur*, et alii apud Scorciam, in constitutiones pontificum, theoremate 404. Sed et plerisque theologis in concilio Basiliensi non displicuisse eam doctrinam testatur S. Antoni nus, III part., tit. V, cap. 12 et 21, ac Sylvester V. *Confessor* 5 et alii.

3 Prætermissis autem multis obscuris nominibus, quæ pro hac sententia adduci possent; fuere in ea plerique magni nominis Thomistæ, ut Paludanus in 4, dist. 17, quæst. 2, art. 1; Petrus de Tarentasia (postea Innocentius Quintus) in Summa de confessione, quem adducit et sequitur Raynerius in Pantheologia, parte prima, tractatu de confessione, capite 9; Sanctus Antoninus III part. tit. XIV, cap. 19, § 9, et titulo decimo septimo, cap. 12 et 21; auctor Margaritæ confessorum, cum agit de modo quo debet fieri confessio; Turrecremata in cap. *quem pœnitet*, de pœnitentia, dist. 7, art. 2; Sylvester V. *Confessio* 1, quæst. 15, et V. eodem 5, et V. *Confessor* 4, § 6; Fumus V. *Confessio* num. 23; Tabiena, eodem verbo, num. 54; Petrus Soto libro XI, de confessione; M. Penna apud Henriquem lib. II, cap. 2, § 7, in eventu absolutionis collatæ præsenti, absque jurisdictione, postea comparata cum jam procul abest pœnitens, qui putetur bene dispositus. Omnes hi auctores fuerunt ex S. Dominici familia : in qua hanc sententiam primum ortam esse, et ibidem adolevisse, ac denique in ejusdem familiæ sinu extinctam atque sepultam esse, dixit Fagundez lib. II, in 2 eccles. præcept. cap. 10, num. 4; quibus verbis bilem concivit Petro Fay ordin. prædicat. in addit. ad III part., disput. 3, et ex multo lenioribus quæ leguntur apud Ægidium Coninck, III part., disp. 4, dub. 10; efferbuit quoque Hyacin

thus Coquetius dissert. de hoc argumento cap. 5, contendens vix ullum e Thomistis in hac sententia fuisse : id quod etiam sollicite præstant Franciscus Avila, dissert. de absolutione per literas cap. 19, 20 et 21, et Didacus Alvarez 1, 2, disp. 80, in difficultate appendice (sic enim grammaticatur), num. 47 et 48 ac 51 et 52; sed quantumcumque nitantur auctores adductos, (dempto Petro Soto, pro quo alii dant manus, solus Davila cap. 2, 3, abrogato ei opere, salvum fecit,) alio flectere, et contrariæ sententiæ adjungere, frustra laborant : quia codices omnes non sunt aboliti, et inspectis locis quæ ex eis allegavimus, perspicue habetur eos sensisse quod diximus. Damnantur vero magnæ exoculationis omnino multi, etiam e Thomistis, qui eos aliquando allegarunt pro sententia, de qua agimus.

Ex Schola D. Thomæ qui in eadem fuerint sententia.

4 Extra Scholam D. Thomæ fuerunt in eadem sententia Navarrus in Manuali cap. 21, num. 26 et cap. 26, num. 14, (quamquam postea cap. *Fratres* de pœnit. dist. 5, num. 94, id rectractavit;) Michael de Palacio in 4, dist. 17, disput. ultima *sub finem;* Vivaldus in Candelabro aureo, tract. de confess. num. 6; Manuel Sa in editionibus integris, anterioribus Romana anni 1600, V° *absolutio* num. 6 et V° *Confessio* num. 14. Præivit his omnibus scriptor gravissimus, Hincmarus Remensis, Opusc. 40, absolvens Hildeboldum Suessionensem episcopum, qui ei per literas confessus fuerat et per alias literas est absolutus. Et probabilem quoque eam sententiam sunt arbitrati Joannes Medina de confessione, tractat. 2, quæst. 15, *Dicto quarto;* Rutilius Benzonius lib. 1 Speculi episc. disp. 1, conclus. 3. Ante Clementem item octavum, eam doctrinam probabilem potuisse videri Suarez notavit t. IV, III part., disp. 19, sect. 3. Erant enim pro ea doctrina multi theologi, nec deerant rationis præsidia, quæ mox attingam. Quidni igitur tunc dici potuerit probabilis, quantumcumque reclamet Nugnus, III part., quæst. 9, art. 3, diff. 2?

5 Ratio non incongrua videtur eidem sententiæ suffragari. Nam sacramentum pœnitentiæ est essentialiter judicium, in quo peccator reus, contra quam in judiciis humanis accidit, accusans seipsum, benigne a Deo offenso habetur; et per suos vicarios, quos in hoc tribunali judices constituit, nempe per sacerdotes, absolvitur a peccatis admissis, dolore perfusis ac rite expositis. At judicium potest exerceri inter absentes : videmus enim in foro humano plerumque ferri sententiam in absentem et damnationem juridicam intorqueri; sive quia post noxæ confessionem aufugit; sive quia legitime convictus est. Quidni ergo similiter in foro conscientiæ peccator, quantumvis absens, poterit confessus esse suum peccatum et juridice de eo absolvi? Nec tantum in foro humano profano, sed etiam in ecclesiastico, locum habet judicium de absente. Nam sententia excommunicationis est vera sententia judicialis : quæ tamen intorquetur plerumque in absentem. Et quod præsenti negotio admodum commodat, plerumque hæc sententia relaxatur absenti, ita ut reus per legitimum judicem, exhibita debita satisfactione, absolvatur, etiamsi procul dissitus. Multo igitur magis congruum videtur cogitare, judicium sacramentale de peccatis, cujus defectu homo plerumque extremo exitio involveretur, ita a Christo institutum esse salva essentiali forma judicii, ut possit absentibus ab invicem, peccatore reo et sacerdote judice, exerceri. Et vero hoc judicium, si exerceatur per epistolam, videri posse factum inter præsentes, monstrant illa sancti Hieronymi ex epistola 42 verba : « Turpilius comicus, tractans de vicissitudine literarum, sola (inquit) res est, quæ homines absentes præsentes facit. Nec falsam dedit quamquam in re non vera (*hoc est comedia*) sententiam. Quid enim est, ut ita dicam, tam præsens inter absentes, quam per epistolas et alloqui et audire quos diligas? » Etiam Cascos ante chartarum usum adinventum se sic sibi præsentes fecisse, et mutua alloquia miscuisse ait, adhibitis in ligno dedolatis codicillis, aut corticibus arborum : unde *tabellarii* dicti, qui tabellas illas gerebant, et *librarii* qui scribebant in libris sive corticibus arborum.

Hæc sententia exploditur.

6 Quamvis autem hæc sententia olim fuerit probabilis, tamen post Clementem octavum, neque probabilis est, neque tolcranda. Explosit enim illam Clemens in decreto, quod emisit anno 1602, Junii 19, de quo inferius. Aliqui volunt, idem esse constitutum cap. *Quem pœnitet,* de pœnit. dist. 1, quod caput depromptum est ex credito Augustino, libro de vera et falsa pœnitentia, cap. 10. Ibi enim dicitur, con-

fessionem debere fieri ore et voce. Idque ex doctoribus ac conciliis multipliciter firmat Comitolus libro 1 respons. q. 16. Hæc tamen probatio non est revera efficax. Posset enim confessio fieri ore ac voce, pœnitente per seipsum exponente sua peccata confessario præsenti: dilata tamen absolutione ad tempus implendæ per pœnitentem cujuspiam conditionis; qua posita, confessarius per literas absolutionem esset missurus. Ex eo igitur quod confessio debeat fieri ore, non sequitur formam quoque sacramenti debere voce ac ore peragi : atque adeo non sequitur sacramentum integrum excludere literas et secundum omnem sui partem ore ac voce esse obeundum. Non est efficacior alia probatio ab auctoritate, quam adhibet Scortia in epitome selectarum constitutionum, Theorem. 404, Constit. 165. Profert hic auctor testimonium concilii Tridentini, sessione decima quarta, capite secundo docentis, unumquemque lapsum teneri se sistere coram tribunali sacramenti pœnitentiæ. Hoc tamen nego urgere; quia facile dici posset, omnem qui sacramentum pœnitentiæ suscepit, sistere se coram tribunali hujus sacramenti, quamvis non præsens, sed absens illud suscipiat. Sicut, qui in absentia per literas expetiit exsolvi ab excommunicatione et reipsa exsolvitur per literas, dici potest stitisse se coram sacro tribunali, ut absolveretur nexibus excommunicationis; esto in rigorosa vocis notione, Ulpianus libro secundo digesti, *si quis caution.*, dicat absentem non se sistere. Itaque si auctoritate agendum est adversus confessionem epistolarem, de qua agimus, sat est urgere auctoritatem decreti Clementis octavi, quod non est dubium quin confessionem epistolarem, qualem hic excutimus, profligarit.

7 Jam si adversus eam confessionem ratione agendum sit, seponendæ sunt variæ rationes imbecillæ, quales addensat Comitolus libro 1 respons. quæst. 16, quas ibi legendas dimitto, ne absque fructu chartas impleam. Unica sed potentissima ratio ducenda est ex Christi institutione quæ fert, ut sacramentum pœnitentiæ inter solos præsentes consummetur. Ita enim colligitur ex veritate formæ hujus sacramenti comprehensa verbis illis : *Ego te absolvo*. Hæc quippe verba non possunt humano modo dirigi ad absentem. Quis enim compellat absentem, adhibito pronomine illo *Te?* Itaque ut hujus sacramenti forma subsistat, exigitur sacerdotis et pœnitentis præsentia, atque utriusque propinquitas, sufficiens ad humanam collocutionem sacerdotis cum pœnitente et hujus designationem sensibilem, quæ inter absentes locum non habet. Roborat optime hanc rationem usus ecclesiæ perpetuus, numquam absolvendi sacramentaliter, nisi præsentem. Nam alias quidem absolutiones conferri plerumque solitas absenti multis demonstrat Joannes Bagotius dissert. 2 de pœnit. cap. 11, sect. 1. At sacramentalis soli præsenti semper est collata antiquis temporibus. Intellexit enim ecclesia absolutionem, aliter impensam, non posse cum veritate formæ cohærere : neque illud *Te absolvo* habere posse locum inter absentes. Quod enim aliquando in literis, ad absentem directis, dicatur : *Te saluto*, vel *te salutat talis amicus;* idcirco fit, quod fictione quadam, scribendo alteri, censeamur cum præsenti agere, quamvis reipsa non agamus cum præsente, ut fit quoties adhibendo vocem alloquimur alterum. Et ita recte Præpositus tertia parte, quæst. 6, dub. 3, num. 16. Itaque absolutio, prolata voce per *Te*, soli præsenti addicitur.

Usus Ecclesiæ perpetuus numquam absolvendi Sacramentaliter nisi præsentem.

Scribendo alteri censemur cum præsente agere, sed fictione quadam.

8 Hallucinantur autem qui pro praxi antiqua absolvendi sacramentaliter absentem, allegant factum S. Thomæ Cantuariensis, quem Scotus in 4, dist. 17, *ad finem*, et S. Antoninus II parte Summæ histor. tit. XVII, cap. 3, § 1, referunt misisse Romam, ut exoraret absolutionem. Id accipiendum est de absolutione a censura, quæ absolutio potest in absentem cadere : vel certe accipiendum est de petita facultate absolutionis a peccato reservato, conferendæ per sacerdotem delegatum pœnitenti præsenti. Æque alienum est a præsenti negotio, quod aliqui adducunt ex cap. *Qualis* 30, quæst. 3, ubi dicitur recipiendam esse cujusdam adulteræ pœnitentiam per scripturam. Hoc dico perperam in hanc causam adduci. Non enim sensus illius capitis est, talem adulteram mundandam esse a labe peccati per absolutionem scripto transmissam : sed ut habent codices correcti, mandatur tradendam esse illi adulteræ scripto comprehensam mulctam judicialem, ad quam ob scelus illud erat adigenda. De absolutione autem sacramentali a peccatis nihil eo loco habetur. Itaque non est le-

gendum *pœnitentia illius scripto recipienda :* sed pœnitentia *illa per scripturam recipienda*, ut habent capitularia lib. VII, cap. 127. Recte igitur affirmabam antiquum ecclesiæ usum numquam tulisse, ut absolutio per literas conferretur a sacerdote absente, quia (ut dicebam) ecclesia probe perspexit directionem illam formæ ad pœnitentem, sensibiliter designatum pronomine *te*, essentialiter contento in forma sacramenti, non posse cohærere cum absentia pœnitentis.

n formaSacra-
nenti pœniten-
iæ involvitur
ssentialiter
pronomen *Te.*

9 Ajo in forma hujus sacramenti involvi essentialiter pronomen *Te*, notans præsentem. Perperam enim Henriq. lib. IV, cap. 11, num. 1 et 3, ac si qui alii, jure rejecti a Bonacina, disp. 3 de sacramentis, quæst. 4, part. II, num. 10 et a Filliucio tract. 6, num. 66, arbitrati sunt pronomen *Te* posse expungi e forma absolutionis, sicut expungi potest pronomen *Ego*, salva formæ substantia et validitate. Hoc perperam asseri dico. Est enim latum discrimen inter illa duo pronomina. Nam pronomen *Ego* satis involvitur, imo exprimitur per verbum primæ personæ *absolvo;* quod non potest dici de pronomine *Te*. Atque adeo essentialiter ad veritatem et validitatem formæ exigitur expressio particulæ *Te :* præsertim si omittantur illa consequentia verba, *a peccatis tuis*, quæ non esse de substantia formæ asserunt Cajetanus V° *absolutio*, Sylvester V° *absolutio* 6, quæst. 4, Navarrus cap. 26 Manualis, num. 2, Valentia disp. de sacram. pœnit. quæst. 1, punct. 3, Suarez tom. IV, III part., disp. 19, sect. 1, num. 21; sed sive illud *Te* omnino sit adhibendum, sive sufficiant verba illa *a peccatis tuis*, quæ reciso illo *Te* dicantur essentialia formæ; semper verum manet, quod directio formæ sacramenti pœnitentiæ fieri essentialiter debeat ad præsentem, qualis designatur pronomine *Te* in forma passim recepta. Nec licet tricari de forma græcanica, his verbis concepta : *Absolvitur servus Christi :* certum enim est hæc verba non facere sensum deprecativum, qui formam irritam redderet, ut recte statuit S. Thomas Opusc. 22, cap. 1 et 2, subscribentibus Petro Soto libro 4, de confessione, Valentia disp. de pœnitentia, quæst. 1, part. III, Suarez tom. IV, III part., disp. 19, sect. 1, num. 25 et ex Græcis ipsis Petro Arcudio lib. IV de sacramentis cap. 3, passimque theologis; qui norunt de fide esse formam hujus sacramenti esse judicialem, ut definitum est in Tridentino, sess. 14, can. 9. Unde quia unius sacramenti est unica forma, et illam vulgo receptam tam diuturno ecclesiæ usu probatam, certum est non esse falsam; necessario fatendum est, non discrepare sensu ab ea, sive formam illam græcanicam, sive illas quas validas esse posse admittit Suarez sup. num. 24, *Absolvo Petrum a peccatis :* et *Absolvitur Petrus a peccatis*. Atque ita semper excluditur directio formæ ad absentem.

10 Verum est, exeunte superiore sæculo, paucos aliquos, ex tam multorum scholasticorum et moralium theologorum sensu, pressos gravissima persecutione, quæ sacerdotes a pœnitentibus elongabat, adductos esse, ut doctrinam illam huc usque speculative dumtaxat probabilem, revocarent ad praxim : ita ut confessionis sacramentum, etiam collata absolutione, consummarent per literas; quod illustris inter Christi confessores Gulielmus Critonus factitatum a catholicis carcere conclusis in Anglia et Scotia, me audiente, referebat. Hoc admitto factum esse eo tempore; et factum esse absque peccato, quia fiebat bona fide, ex sensu gravium doctorum, et aliqua rationum verisimilitudine. Factum tamen est invalide, quia fiebat contra Christi institutionum, adversus quam non potuit præscribere necessitas injecta ab hostium fidei persecutione, intercludente pœnitentium et sacerdotum præsentiam. Esto, si dumtaxat lex canonica aut pontificia eo usu interdixisset, fas fuisset, ratione urgentis necessitatis, aliter facere, et quidem valide. At contra Christi institutionem, perpetua ecclesiæ praxi vel insinuatam, vel compertam, nihil tale allegari potest.

Qui consentiant in Epistolari confessione rejicienda.

11 Consentiunt in hac epistolari confessione rejicienda Scotus, Gabriel, Bassolis, et alii omnino multi in 4, dist. 17, Cajetanus V° *Confessio*, conditione XI, Victoria in Summa, num. 171, auctores catechismi Romani cap. *de confessione*, Toletus lib. III Summæ, cap. 6, Valentia III part., disp. 7, quæst. 11, part. I, Fagundez in 2 eccles. præcept. lib. II, cap. 10, Ægid. Coninck, disp. 4, de pœnit. dub. 10, Henriquez lib. V, cap. 2, num. 7, Comitolus lib. I respons. quæst. 16, Vasquez III part., quæst. 91, art. 3, dub. 2, Scortia adducens plerosque alios in constit. pontificum, theorem. 404.

Suarez tom. IV, III part., quæst. 19, sect. 3, num. 7. Ex quo liquet, quod isti recens impingitur circa doctrinam de confessione epistolari ab eo improbabiliter traditam, non pertinere ad hanc confessionem, quam ipse tam diserte ac explicate refellit.

Respondetur argumentis pro confessione epistolari propositis.

12 Argumentis pro hac confessione epistolari supra propositis, non est difficile respondere. Et in primis, perperam æquiparatur judicium humanum sæculare cum judicio de peccatis, in foro conscientiæ inter pœnitentem reum et sacerdotem judicem obeundo. Christus enim institutor hujus judicii, et summus in hoc foro præses, potuit velle ut hoc judicium non nisi inter præsentes consummaretur; cum alias ob causas; tum ut judex hujus fori, qui partem quoque et medicum debet agere, commodius has partes obiret; vel audito coram pœnitente, vel saltem non prius absoluto, quam se humiliter sisteret judicandus. Id quod ex parte hominis rei, ad salubrem pudorem, quo suffusus pœnitens facilius resipiscat, conferre non parum potest. Multo enim verecundius est reo per seipsum coram judice aperire peccata sua, quam de iis ex scripto, vel internuncium agere. Has igitur, aliasque similes ob causas, voluisse Christum, ut hoc sacramentum inter absentes non consummaretur, ut fert constans traditio et usus ecclesiæ, colligimus manifeste ex verbis formæ sacramenti hujus; quæ non sonant moralem dumtaxat præsentiam pœnitentis et sacerdotis, sed etiam physicam, qualis est inter duos colloquentes, quamvis judicium humanum sæculare, quod non ordinatur ad bonum pœnitentis sed ad ejus castigationem, aliter se habeat. Alia item ratio est judicii ecclesiastici in foro contentioso, cujusmodi est judicium per irrogationem censuræ et exsolutionem ab ea : quia cum hoc judicium præcipue spectet vindictam in reum et aliorum terrorem; non est mirum, quod aliam habeat formam, quam judicium sacramentale pœnitentiæ. Unde censura sicut potest in reum compertum, tametsi absentem, vibrari, ita et relaxari potest eidem quantumvis dissito, ac etiam (quod plus est) invito, vel etiam defuncto. Quæ omnia monstrant, latum esse discrimen inter hoc judicium et sacramentale de quo agimus. Quod denique dicitur, per epistolam fieri quis præsens, translatitium est : nec S. Hieronymus aliud habet, quam hanc esse *præsentiam inter absentes* : quod additum, infringit argumentum in hanc rem ex eo loco petitum.

CAPUT III.

Pœnitentiæ sacramentum, ne ex parte quidem expressionis peccatorum, posse esse epistolare, qui censuerint.

1 Quod totum et integrum sacramentum pœnitentiæ quoad utramque ejus partem essentialem, non possit per epistolam confici, monstratum est. Et ex dictis de toto ac integro sacramento, patet quid statuendum sit de sacramento pœnitentiæ, sumpto quoad ejus partem primariam; hoc est, quoad formam. Nam eo ipso quod forma actu adhibetur, manet saltem moraliter materia proxima, ex qua compingendum est sacramentum; nempe actus pœnitentis circa peccata, de quibus fertur absolutio. Atque ita per applicationem hujus formæ, sacramentum consummatur; estque plane perfectum et integrum, quale jam diximus non posse per epistolam fieri.

Confessioni Epistolari adversantur recentiores Thomistæ;

2 Conclamant in hujusmodi epistolarem confessionem recentiores Thomistæ, præsertim Alvar. 1, 2, quæst. 19, num. 6, disp. 80 : *in difficultate addititia;* Nugnus III part., quæst. 9, art. 3, difficult. 2; Petr. Fay in addit. ad III part., quæst. 9, art. 3, disp. 3; Vincent. Candidus in disquisitionibus mor. disp. 3, art. 13, dub. 1; Francisc. Hyacinth. Cocquetius dissertatione de confessione facta absenti a cap. 5; Francisc. Davila tract. de Confessione per literas vel per internuncium, cap. 2; qui alios plerosque similiter opinatos adducunt. Extra scholam D. Th. idem tradunt Angelus V° *Confessio* 1, § 32; Angles in 4, quæst. de confessione difficul. 8; Carthus. in 4, dist. 17, quæst. 4; Gabriel. quæst. 1; Scotus quæst. unica; Navarr. cap. *Fratres*, de pœnit. dist. 3, num. 94; Alphonsus de Leone tract. de potest. et officio confessarii recollect. 6, num. 123. Citantur etiam ad id Fagundez libro 2, in 2 eccles. præcept. cap. 10, num. 3; Turrianus quæst. 9, de pœnit. art. 2, disp. 32, dub. 4 et Toletus libro 3, cap. 6. Sed quod Thomistæ prædicti in hujus doctrinæ insectatione præ

cæteris efferbuerint, relegam eorum vestigia; et quæ contra expressionem peccatorum, absenti in quacumque necessitate factam, protulerunt, cum fide referam.

nisi saltem aliquatenus renovetur in præsentia sacerdotis.

3 Expositionem ergo peccatorum sacerdoti absenti factam, nisi saltem aliquatenus renovetur in præsentia sacerdotis, non esse sacramentalem, nec ex ea posse compingi validum sacramentum contendunt Thomistæ prædicti. Dixi *nisi saltem aliquatenus renovetur in præsentia sacerdotis*, quia Nugnus diserte monet validam fore sacramenti confectionem, si pœnitens qui per epistolam exposuerit peccata sua confessario, postea in ejus præsentia constitutus, dicat : *Accuso me apud te de peccatis in epistola ad te transmissa exaratis :* quæ est renovatio expressionis peccatorum factæ per literas, qualem facit qui sacerdoti alia via antecedenter conscio peccatorum quæ distincte exprimenda essent, dicit : *Confiteor apud te de illis et illis gestis meis, quibus interfuisti.* Hujusmodi itaque expressionem peccati, factam per literas, sed postea renovatam in præsentia, posse ad validum sacramentum sufficere, agnoscit Nugnus. Id vero pernegat de expositione peccatorum, facta sacerdoti absenti, neque renovata in præsentia. Et assertionem, qua quis talem expositionem peccatorum, formari posse per absolutionem affirmaret, ait esse *temerariam, scandalosam, et errori proximam.* Quod si quis diceret, talem peccatorum expressionem, non solum esse validam, sed etiam communiter et regulariter esse convenientem, eum Nugnus contendit insimulandum erroris, et per se secundo violaturum fidem.

Adversariorum argumenta.

4 Argumentatur in hanc rem Nugnus primo ex conciliis. Nam concil. Florent. in tract. de confessione, (appendo fideliter Nugni verba,) et concil. Trid. sess. 14, cap. 3, docent, formam sacramenti pœnitentiæ contineri verbis ministri; id quod de fide esse affirmat Soto in 4, dist. 4, quæst., unica, art. 4. Et idem de omnibus sacramentis esse asserendum, excepto matrimonio, docent concilia, aperte firmantia legem, per eam exceptionem. Quod si forma continetur verbis ministri, necesse est ut materia externa sive confessio, verbis quoque contineantur prolatis a pœnitente, ut forma et materia servent proportionem. Sicut ergo sacerdos non potest absolvere scripto; alioqui sacerdos mutus posset excipere confessiones contra perpetuum usum ecclesiæ, qui fert adhiberi verba a sacerdote conferente formam hujus sacramenti : ita necesse est, ut pœnitens qui materia sacramenti subministrat, verba adhibeat. Confirmatur, quia materia et forma sacramenti pœnitentiæ, debent habere propinquitatem et conjunctionem, quæ in omnibus æque sacramentis, (dempto matrimonio,) est adhibenda; alioqui liceret hodie abluere puerum, et cras proferre formam, quod vel cogitare, ridiculum foret : atqui si expressio sacramentalis peccatorum posset fieri antecedenter per literas, vel internuncium, forma et materia hujus sacramenti essent inconjunctæ. Concludit itaque Nugnus, propinquitatem physicam confitentis et absolventis, tamquam exhibentium formam et materiam sacramenti, esse essentialiter necessariam; nec posse fieri sacramentum validum, quin sacerdos et pœnitens simul sint : quod non contingit, cum expressio peccatorum fit per literas; aut si adhibeatur internuncius, relaturus pœnitentis voluntatem. Totum (ait Nugnus) traditur in decreto Clementis octavi edito anno 1602, 19 Julii (imo 20,) et postea per eumdem pontificem viva voce explicato, *ut scit universalis ecclesia,* inquit Nugnus. Sed de hoc decreto postea.

Aliud argumentum.

5 Argumentum aliud, in quo magnam vim faciunt adversarii, præsertim Nugnus et Alvarez, ducitur ex perpetuo et per omnia Christiana sæcula semper retento usu ecclasiæ, confitendi ore proprio peccata sua, præsenti sacerdoti, seclusis intermediis personis. Hoc argumentum, si quod assumitur veritate nitatur, debet censeri omnino efficax. Nam ecclesia est dives illud depositorium, in quod apostolorum principes totam doctrinam cum sanguine suo profuderunt, ut est apud Tertull. libro de præscript. cap. 36. Et reipsa idem habet S. Irenæus libro 3, cap. item 3, agnoscens in ecclesia conditas esse a Christo gazas scientiæ mysteriorum, ut omnes fideles secure inde petant intelligentiam omnium, de quibus circa sacra emergere posset dubitatio. Et quia in practicis, cujusmodi est confectio sacramentorum, scientia proditur per operationem, (nec enim alium quis usum habere potest, quam quem sentit esse adhibendum, ut operatio recte fiat;) idcirco in rem præsentem, ex usu atque adeo ex sensu perpetuo ecclesiæ

Ecclesia est dives depositorium.

magistræ infallibilis, argumentatur Alvarus; quia S. Thomas 2, 2, quæst 10, art. 12, et 1 Cor. 2, cap. 3 pronunciat, plurimum deferendum esse usui ecclesiæ; quod præsertim valere debet de usu antiquo et constanti, hoc est semper retento in alicujus sacramenti confectione; in qua maximi faciendum esse ecclesiæ usum ac sensum optime notavit S. Fulgentius, libro de baptismo Æthiop. cap. 10 : antiquus autem et constans semper revera fuit usus confitendi soli sacerdoti, et quidem secreto; quæ desiderantur in confectione per nuncium aut per literas. Nam non modo nuncius potest expressionem peccatorum ipsi commissam detegere sacrilege; sed etiam literæ sunt aliquid ex se vulgabile, cum possint resignari, et ad curiosorum notitiam sacrilege devenire. Igitur intercludendæ viæ ad ea sacrilegia, visum est Christo, institutori hujus sacramenti, solam confessionem sive expressionem peccatorum, sacerdoti præsenti a præsente pœnitente factam, pro materia assignare. Et hanc esse traditionem apostolicam, imo legem divinam, eruit Nugnus non modo ex perpetuo ecclesiæ usu, de quo hactenus, sed etiam ex eo quod rex Castellæ Ildephonsus Sapiens 1 part., tit. 4, lege 30 edixit, ne quis confiteatur per nuncium vel scripturam. Cum enim rex laicus non possit ferre legem de sacramentis, sed tantum possit imponere pœnam non servantibus legem divinam de eis latam; sequitur sapientissimum illum regem agnovisse mandatum, interdicens expressione sacramentali peccatorum per nuncium aut literas, esse mandatum divinum, institutioni Christi attextum. Idem probat Alvarus ex Tridentino, sess. 14, can. 9 decernente, confessionem sacramentalem esse de jure divino. Ea autem expressio peccatorum sola est sacramentalis, quæ fit ore, enarrando distincte confessario præsenti, aliquod saltem peccatum. Nulla quippe alia peccatorum expositio est idonea, ut feratur judicium de conscientia peccatoris, discernendo inter lepram et lepram; quod tamen est de ratione expositionis sacramentalis peccatorum. Adhæc concil. Trid. illa sess. 14, cap. 2 definit, pœnitentem debere se sistere confessario. At qui abest, non se sistit : cum sisti sit præsentem adesse, ex lege 2, ff. *si cautio*. Debet ergo pœnitens, ipsimet confessario præsenti, distincte, exprimere ore suo, peccata quæ fecit : alioqui expositio peccatorum non poterit substerni absolutioni, ut sacramentalis; juxta Christi institutionem, ab Augustino libro de vera et falsa pœn. cap. 10 deductam ex illis Christi verbis ad leprosos, pœnitentium Christianorum typos : *Ostendite vos sacerdotibus*. « Docens (ait auctor ille) corporali præsentia confitenda esse peccata, non per nuncium, non per scriptum manifestanda. Dixit enim ore monstrate. Non alium statuatis nuncium, qui pro vobis offerat munus a Moyse statutum : sed qui per vos peccastis, per vos erubescite. »

Debet pœnitens confessario præsenti distincte exprimere ore suo peccata, ut qui per se peccavit per se quoque erubescat.

6 Hoc est argumentum adversus expositionem sacramentalem peccatorum factam per alium, quod supra jam ex eodem Alvaro et Nugno est insinuatum; cum dicerent confessionem et expositionem sacramentalem peccatorum a solo pœnitente soli sacerdoti esse faciendam. Quod clarius expressere Davila III part., tract. 3, resol. 7, et alii apud Alvarum supra num. 33, dicentes confessionem esse actum personalem, æque ac absolutionem : quam certum est non posse conferri, nisi pœnitens sit sacerdoti præsens. Non potest autem opponi sacramentum matrimonii, quod potest ab absente perfici per tertium; cui tamquam procuratori, committantur vices partis ineuntis conjugium. Hoc perperam esse opponendum, ait Alvarez num. 33, quia juxta sententiam, cui ipse inhæret, matrimonium sic contractum non est verum sacramentum, sed est merus contractus civilis, tunc tantum sustollendus in sacramentum, cum partes præsentes mutuo sibi exhibuerint suos consensus, ratum habentes quod a procuratore in ipsorum absentia gestum fuerat. Pro qua doctrina, adducit Alvarez Joannes Gropperum concilii Coloniensis auctorem; itemque Durandum, Victoriam, Cajet., Viguerium, Ledesmam, et Gulielmum Parisiensem, juniorem ord. prædic. et nervose de more aliis demorsis, id tradentem Canum 8, de locis cap. 3.

7 Ex tot igitur argumentis, quæ apud Nugnum et Alvarum cum fastidio inculcantur ac regeruntur, perspicue effici volunt : expositionem sacramentalem peccatorum, quæ est pars materialis sacramenti pœnitentiæ, faciendam necessario esse ab ipsomet pœnitente, ipsimet sacerdoti præsenti; ita ut nulla alia expositio peccatorum, sacerdoti absenti facta, possit esse idonea

ad compactionem sacramenti pœnitentiæ accessu absolutionis. Et hanc esse S. Th. certam sententiam, ab omnibus Thomistis traditam, Alvarez et Nugnus affirmant. Id vero iidem Thomistæ nuperi evictum diserte putant ex decreto Clementis VIII lato 20 Junii 1602, quo confessionem per literas aut internuncium plane proscribit, intentata ejus assertoribus excommunicatione latæ sententiæ, ipso facto incurrenda, et extra mortis articulum pontifici reservata, aliisque pœnis pro arbitrio infligendis. Quod decretum multipliciter postea roboratum esse, suis et ejus ferendi et roborandi auctoribus, iidem Alvarez, Nugnus, Cocquetius et Davila gloriantur.

CAPUT IV.

Expressionem sacramentalem peccatorum in summa necessitate posse esse epistolarem Suaresii sententia variis doctoribus probata.

1 Non est quod quis fragoribus, qui de Alvari ac Nugni et asseclarum nube detonuerunt, absterreatur, quominus in oppositam ipsis sententiam, a Suaresio traditam, eat. Est enim secura, et plane nitens, ac exquisite probabilis.

Suaresii sententia de confessione epistolari in summa necessitate.

2 De Suaresii ergo sententia, in extrema necessitate expositio sacramentalis peccatorum, formalis aut virtualis, potest fieri sacerdoti absenti, interventu literarum aut internuncii. Voco *formalem expositionem peccatorum* eam, quæ obitur enumerando sigillatim ac distincte peccata admissa. *Virtualem* vero *expositionem* appello eam, quæ fit editis signis externis doloris peccatorum, addita advocatione confessarii, ut præsens absolutionem impendat. Illa enim exhibitio signorum doloris de peccatis admissis, juncta significatione voluntatis præsentis et absolutæ confitendi illa peccata et addita insuper expetitione confessarii, quem pœnitens ad finem conficiendi sacramentum advocari curat; est expositio peccatorum, qualem facere potest pœnitens, prorsus impeditus ad confessarium accedere. Et quamvis nullum peccatum distincte et explicite sit expressum, est tamen aliquid apud Deum æquivalens formali expositioni peccatorum : quod sufficit ut pœnitens absolvi possit a sacerdote, adducto ad pœnitentem jam sui impotem; vel ob idoneam causam non obligatum, cum sacerdos advenerit, exponere aliquid distincte et sigillatim, ne ejus confessio evadat publica aut graviter damnosa : in quo eventu ratum est apud doctores omitti posse confessionem distinctam peccatorum. Hic igitur est status controversiæ inter Suaresium et nuperos Thomistas. Alio autem pertinet et ab hac controversia extraneum est, quod præterea quæri posset de eo, qui absente sacerdote elicuit quidem externa signa doloris, quæ per relationem fidelium testium comperta fiant advenienti sacerdoti, omisit tamen explicitam signorum illorum directionem ad claves : quia ita doluit exterius de peccatis, ut tamen non expetierit confessarium, nec jusserit eum advocari; imo neque dixerit cupere se de peccatis sacramentaliter confiteri. Hoc dubium ajo esse isti controversiæ extraneum, ac proinde seorsim esse excutiendum; quia non est de hac contentio inter Suaresium et nuperos Thomistas. Quinimo Suarez negat talem pœnitentem absolvi posse a sacerdote cum advenerit : in quo Thomistæ non reclamant. An vero reclamari possit, seorsim attingam.

Suaresii sententia non modo secura, sed perperam ab inimico damnata.

3 Sistendo itaque in negotio circa quod Suarez et nuperi Thomistæ dissentiunt, sive in expressione peccatorum facta sacerdoti absenti, cum summa necessitas obstat aditioni sacerdotis et præsentiæ ejus cum pœnitente; contendo sententiam Suaresii non modo securam esse, contra Thomistas prædictos; sed etiam perperam ab inimico et ultore damnatam esse improbabilitatis. Restringenda tamen est assertio ad expositionem peccatorum : nec est huic loco admiscenda confessio sumpta pro sacramento integro, formato per absolutionem sacerdotis. In quo Nugnus et Alvarez parum fideliter egisse videntur, vel certe magna confusione laborasse. Confessio enim pro sola expressione sacramentali peccatorum et confessio sumpta pro integro sacramento pœnitentiæ, comprehensa sub confessionis nomine absolutione sacerdotis, toto cælo differunt. Unde miscere argumenta quibus impetitur absolutio collata ab absente et argumenta quibus impugnatur sacramentalis expositio peccatorum facta absenti, est susdeque confundere omnia.

Nugnus autem et Alvarez illa duo miscuerunt : et quasi unum et idem essent, argumentantur eodem tenore, nunc contra unum, et nunc continenter contra aliud : tum regrediuntur ad primum, continuata disputatione quasi non sejungerentur. Sic Nugnus orsus ab impugnatione absolutionis peccatorum, scripto transmissæ, non interciso disputationis filo, perinde ac si pergeret in eadem impugnatione, argumentatur contra expositionem peccatorum factam absenti. Tum eodem ductu disputationis, impugnat absolutionem absenti impensam : et omnis reliqua ejus disputatio eadem confusione laborat. At par fuerat, tantum magistrum non cæcutire in re tam perspicua. Duo namque illa : *Absolvi ab absente et edoceri de peccatis absentis* admodum abjuncta sunt, nec ullus est inter utrumque nexus. Quod si affirmandum Nugno videbatur, quemadmodum reprobum est atque damnatum absolvi a sacerdote absente; ita eamdem esse rationem expositionis peccatorum factæ absenti : hoc ipsum erat quod probare seorsim oportebat, non autem permistim duo illa exagitare atque involvere, perinde ac si non discreparent.

4 Hærendo igitur in sola sacramentali expressione peccatorum, spectata seorsim ab sacramentali absolutione, ut constet num possit esse idonea ad compactionem sacramenti, distinctio adhibenda est. Extra gravissimam namque et urgentissimam necessitatem, talis expressio peccatorum, per literas vel internuncium sacerdoti absenti facta, non modo est illicita, sed etiam invalida. Continet enim gravem in re sacramentaria mutationem, et elongationem a praxi ecclesiæ et usu receptissimo fidelium : atque adeo sordet gravi peccato, cum quo non potest cohærere validitas sacramenti ex parte pœnitentis. Quod usus, inter fideles hac in parte receptissimus, ferat expressionem sive confessionem peccatorum fieri verbo, nullum est dubium.

In eventu magnæ verecundiæ quid nonnulli senserint de confessione epistolari.

In eventu quidem admodum infrequenti magnæ verecundiæ, præsertim in sexu infirmiore, fuerunt qui admitterent indulgeri posse, ut persona præ verecundia prope insuperabili non valens a se impetrare ut aliquid probrosum ore enunciet, illud scripto comprehensum exhibeat sacerdoti præsenti; dicens hæc esse sua peccata de quibus doleat et absolvi petat. Ita Canus relect. de pœnit. parte v; Valentia disp. de pœnit. quæst. 11, part. 1, in fine et Suarez tom. IV, III part., disp. 21, sect. 6, num. 6; idque S. Joannem eleemosynarium auctorem fuissi insigni peccatrici ut faceret, scribit in sancti viri actis Leontius. Sane nisi expressio culparum posset aliquando absque verbis proprie dictis peragi, male ageretur cum mutis : quia fraudarentur absolutione peccatorum quæ scripto exhibent sacerdoti præsenti, aut nutibus digitorum exponunt adhibita (ut Cassiodorus libro 1, epist. 20 et libro 4, epist. 51 loquitur) oratione muta qua plura et plerumque melius exprimunt, quam alii quibus est lingua expedita. Inde ergo manifestum est, expositionem peccatorum non esse essentialiter verbis presse dictis faciendam; quamvis absolutio necessario et substantialiter deposcat veras voces : propterea que mutus nequeat sacramentaliter a peccatis absolvere. Invaluit tamen consuetudo, a qua extra gravem causam non est recedendum, ut peccatorum expositio voce proprie peragatur.

5 At multo magis invaluit usus, ut extra causam omnino gravem, nemo exponat sacramentaliter sua peccata, nisi præsens præsenti sacerdoti : cui usui, quamvis nihil contineat substantiale sacramentali expressioni culparum, standum est cum per necessitatem summam licet : quamvis cum ea necessitas urget, fas sit aliter facere, v. g. cum æger destitutus copia sacerdotis, timet ne is, quantumvis sollicite evocatus, serius adveniat, et jam mentis impotem deprehendat; aut cum pœnitens, arcto carcere conclusus, non sperat longam sacerdotis ad se venturi collocutionem, sed prævidet fore, ut raptim dumtaxat et prope ad momentum cum sacerdote possit agere : tunc enim expressio peccatorum, præmissa scripto, aut nuncio submisso ad sacerdotem, rogatum ut adveniat et expositionem illam peccatorum dolore debito perfusam, absolutione data præsens formet; fuit vera expressio sacramentalis peccatorum; etiamsi cum sacerdos advenerit, pœnitens ob circumstantes, forte fidei hostes quos par sit non advertere quod peragitur, nullum novum externum signum præbeat suæ voluntatis non retractatæ. Et idem esset, si expressio peccatorum non posset fieri, quin esset publica : eo quod non possent summoveri adstantes. Ad publicam enim peccatorum expressionem nemo tenetur,

Quid de pœnitente incarcerato nec sperante longam Sacerdotis collocutionem.

dummodo possit sibi prospicere per contritionem, qua de re alio loco. Necessitas porro declarata ex parte pœnitentis, quomodolibet præpediti, æque declarari potest ex parte sacerdotis. Si is conclusus carcere inter hostes fidei, non nisi raptim et valde obiter agere posset cum pœnitente, alterius confessarii copiam non habente, et tamen gravato culpis, quarum exoneratione per sacerdotis absolutionem indigeat.

Quidam eventus summæ necessitatis pro ejusmodi peccatorum Confessione.

6 Quamvis autem eventus summæ necessitatis, in quibus expositio sacramentalis peccatorum potest fieri sacerdoti absenti antecedenter ad absolutionem ab eodem præsente impendendam, possint proferri multiplices, ut montrabo cap. ult.; tamen hoc loco insistam ei expositioni peccatorum factæ absenti, quæ potest omnium difficillima et impeditissima videri : nempe qua pœnitens, priusquam sui impos fieret, exposuit peccata sua admodum confuse, per expressionom voluntatis confitendi; quamvis fortassis nec ullum externum signum dederit doloris de peccatis, nec ullum peccatum distincte ac sigillatim expresserit. Qui enim concesserit valere absolutionem sic in absentia confitenti a præsente sacerdote datam; multo magis admittet valituram in summa necessitate distinctam et explicatam culparum expressionem præviam aut præsentem, exhibitam per indicia generalia; ut tunsionem pectoris, brachii astrictionem, absolutione vocali a præsente sacerdote formandam. De hoc eventu lepide Cocquetius, cap. 6 dissertationis, num. 20, fingit litem esse plane novam, et a nullo antiquo tactam; cum ante tempora Clementis octavi disputatum dumtaxat esset, an moribundus absolvi posset, qui coram præsente sacerdote per seipsum exhibuisset signa doloris de peccatis; etiamsi ob oppressionem nullum peccatum in specie expressisset. Fingit sibi hæc somnia Cocquetius. Nam ante Clementem, quotquot decreta S. Leonis, et concilii Arausicani ac duorum Carthaginensium discusserunt, (quod fecere omnino multi,) eventum quem iste primum sub Clemente agitatum esse comminiscitur, expenderunt, et an esset in eo danda vel neganda absolutio, examinarunt.

De hoc eventu quid fingat Cocquetius.

Expositio peccatorum per literas quando sit legitima absolutionis materia.

7 Eam ergo expositionem peccatorum, ab homine adhuc sui compote factam, et sacerdoti absenti renunciatam per literas vel internuncium pœnitentis; aut eidem sacerdoti per testes idoneos qui affuerunt cum pœnitens suam voluntatem confitendi exprimeret, manifestatam; et multo magis si voluntati confitendi, exterius patefactæ, adjunxerit externa signa doloris, esse validam expositionem sacramentalem peccatorum et legitimæ absolutionis materiam; affirmat Suarez tit. IV, III part., disp. 21, sect. 4 *editionis Lugdunensis*, et disp. 23, sect. 1, num. 3, allegans Paludanum, Antoninum, Sylvestrum, Joannem Medinam, Angelum, Cordubam, Ruardum; quibus alii omnino multi possunt addi, ut Toletus lib. III instruct. sacerd. cap. 8, (dicens *hanc esse apertam sententiam canonum :*) Valent. III part., disp. 7, quæst. 11, part. I, assertione 2, de confessione secreta; Ægidius Coninck III part., disp. 7, dub. 10 et tract. contra Cocquetium de absolutione moribundi; Joannes Angelus Bossius part. I, variorum tractat. moral. tit. I, § 23, a num. 363; Bellarmin. lib. I, de Matrim. cap. 8, § *ad ea quæ;* Cordub. quæst. 30, de indulg.; Layman de pœn. cap. 3, num. 9, *in fine;* Villalobos tom. I, tract. 9, difficultate 37, Fernandus de Moure in Exa. cap. 7, § 6, num. 36, M. disput. 3, de sacram. quæst. 7, part. 3, § 3, num. 10, et tom. III, disp. 2, quæst. 3, part. XXXIII, num. 4; Filliuc. tract. 7, cap. 1, num. 18 et cap. 3, num. 122; card. de Lugo disp. 17, de pœn. sect. 4, num. 43; Zambranus cap. 4, dub. 2, sect. 3; Sylvius ad quæst. 9, supplem. art. 2, quæst. 4; Alex. Pesantius ibid. quæst. 10, disp. 11 et alii plerique a Diana part. III, tract. 3, resol. 4, addensati. Nam ad duos supra triginta auctores pro hac doctrina appendit. Verum est Alvarum 1, 2, disp. 80, in difficul. addititia num. 31, versare se in omnem partem, ut auctores, quos dixi a Suaresio allegatos, huic sententiæ eripiat : cui inhæserunt, toto conatu eamdem agitantes molam, Cocquetius et Davila; sed tam infeliciter id præstant, ut nihil sit opus cum eis altercari : quando quidem codices non interciderunt, et vel perfunctoria auctorum illorum lectione liquido patebit, eos a doctrina proposita stare.

8 Unicum in præsentia Alvaro ejusque partiariis auctorem nulla tergiversatione declinabilem obtrudo, S. Thomam; si ipse, (ut fert multorum Thomistarum sententia), est auctor opusculi 63, quod est de officio sacerdotis. Sic enim in eo opusculo legitur de extrema unctione : « Si infirmus

qui petit unctionem, amisit notitiam vel loquelam, antequam sacerdos veniret ad eum; nihilominus unget eum sacerdos : quia in tali casu, debet etiam baptizari et a peccatis absolvi, ut cap. *majores ecclesiæ*, de baptismo et ejus effectu. » En diserte admittit hominem, nondum baptismo initiatum, si prius baptismum petierit, adveniente autem ministro factus fuerit sui impos, debere baptismo lustrari. Et similiter concedit, alium jam baptismi participem, si ad statum illum impotentiæ mentis deveniat post expetitam absolutionem peccatorum, debere a peccatis absolvi. Aperte ergo hic auctor adscribitur sententiæ pro qua satagimus. Fateor ambigi merito posse, an auctor illius opusculi sit D. Thomas, ut præfert inscriptio. In Romana certe editione, jussu Pii V concinnata, illud opusculum inter gerras collocatum est et a legitimis S. Doctoris fœtibus sepositum. A Thomistis tamen, vel eo dumtaxat nomine quod S. Thomæ titulum jam diu prætulit, non censebitur contemnendum. Et cujuscumque demum auctoris sit, explicatissime tradit doctrinam, cui firmandæ operam damus : cui item innumeri et antiqui et recentiores adstipulantur. Non esse tamen doctrinam illam extendendam ad eum qui ante oppressionem dixisset : *Vellem confiteri si sacerdos adesset*, et subito obmutesceret, admonet Ægidius Coninck libro de absolut. morib. num. 14, rationem reddens, quia talis nec habet nec exprimit hic et nunc absolutam voluntatem confitendi, sed tantum exprimit voluntatem sub conditione futuram : si sacerdos adesset : cujusmodi voluntas præcise conditionata non sufficit ad validam sacramenti confectionem. Hoc quamquam verum est, agendo præcise de voluntate mere conditionata, tamen an possit præsumi adesse simul voluntatem absolutam, ex qua sacramentum confici possit, attingam infra.

CAPUT V.

Concilia et pontifices pro sententia proposita.

1 Auctoritas tot doctorum, quos sententiæ, pro qua satagimus, adstipulatos diximus, non potest exigua videri. Prior tamen, ac fortior censeri merito debebit, auctoritas variorum conciliorum atque pontificum, quam productum venio.

2 Concilium Arausicanum 1, cap. 12, (et refertur cap. *Qui recedunt* 26, quæst. 6), sic statuit : » Subito obmutescens, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest; si voluntatis præteritæ testimonium ex aliorum verbis habet, aut præsentis in suorum. » En, sicut voluntas et dispositio præsens, per nutum ægri non prorsus oppressi prodita, sufficit ex mente concilii ad impendendam tali ægro absolutionem : ita cum æger plane oppressus nullum edit signum suæ præsentis voluntatis, ex quo innotescat sacerdoti actualis dispositio ægri, sufficit testimonium idoneum, ex quo sacerdoti constet de dispositione præterita : quæ si nihil in contrarium urgeat, præsumetur perseverans et non retractata : et ratione ejus impendetur absolutio pœnitenti ægro, nullum externum signum præsentis suæ voluntatis dare valenti. Concilium Arausicanum.

3 Concilium Carthaginense 3, cap. 4, (et refertur cap. *Ægrotantes*, de consecr. dist. 4, sic habet : «Ægrotantes si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur : similiter et de pœnitentibus agendum est. » Ita hunc canonem refert contextus concilii Carthaginensis ac concilii Africani; et Ivonis citantis Isidorum, ut notant emendatores editionis Gratiani : apud quem pro verbis illis : *Cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint*, corrupto habebatur : *cum voluntas eorum, testimonium sui dixerit*. Sed omnes vetusti codices Gratiani legunt eo modo quo retuli prius. Et esse legitimam lectionem, patet ex Græco contextu canonis hujus Carthaginensis, qui sic habet : ὁτε τῇ αὐτῶν προαιρέσει, τὴν περὶ αὐτῶν μαρτυρίαν κινδύνῳ ἰδίῳ εἴπωσιν. Eodem recidit lectio quæ habetur in aliis codicibus canonum Africanorum et apud Burchardum : « Cum voluntatis eorum testimonium, hi qui suis periculo proprio affuere dixerint. » Concilium Carthagin.

4 Concilium Carthaginense 4, cap. 67, (et refertur cap. *Is qui*, causa illa 26, quæst. 6) sic mandat : « Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit : dent testimonium qui eum audierunt et accipiat pœnitentiam. Et si con-

tinuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem et infundatur ori ejus eucharistia. Si supervixerit, admoneatur a supradictis testibus, petitioni suæ satisfactum et subdatur statutis pœnitentiæ legibus. » Quid clarius in rem propositam.

Synodus Visensis.

5 Synodus Visensis in Lusitania, anno 1617 celebrata sub Joanne Emmanuele, libro 1, tit. v, const. 2, num. 10 præcipit, ut is ad quem jam plane sopitum sacerdos pervenit, absolvatur; si, qui affuerunt cum is sui compos esset, testentur, quod petierit confessionem.

6 Venio ad scita pontificum, quos inter Burchardus libro 18, cap. 11 et Ivo parte xv pannomiæ, cap. 55, adducunt Eusebium primum. Sed is alium eventum spectavit, ut dicam cap. ult. Explicate ergo in rem nostram agit S. Leo epist. 89 alias 91, quæ est ad Theodorum, verbis illis : « Si aliqui ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant; testimonia eis fidelium et circumstantium prodesse debebunt; ut simul et pœnitentiam et reconciliationis beneficium consequantur : servata tamen regula canonum paternorum circa eorum pœnitentiam, qui in Deum a fide discedendo peccarunt. » Hos S. Leo non vult abjici : sed juxta superius dicta ex cap. *Is qui*, mandat absolvi, cum eo tamen onere, ut si convalescant, subeant mulctam quæ fuisset illis imposita, si sanitatis tempore ad pœnitentiam venissent. Id quod etiam habet concilium Toletanum 12, cap. 2.

Laborant adversarii in eludendis Pontificum decretis.

7 Hæc decreta, sed præsertim quod proxime ex S. Leone adductum est, torquent admodum adversarios : ideoque in eis eludendis varie laborarunt. Aliqui ergo dixerunt in his decretis non agi de absolutione a peccatis, sed de sola absolutione a censura, quam certum est posse conferri ab absente. Et favere videtur quod S. Cyprianus epist. 13 testatur se commisisse diacono absolutionem ægroti, quæ non poterat esse absolutio a peccatis; cum hæc sit actus soli sacerdoti proprius. Erat ergo absolutio a censura, quæ et committi diacono poterat et impendi absenti : et tamen simpliciter ea vocatur *absolutio ægroti*. Idem ergo intendunt decreta illa quæ mandant ægrotum oppressum absolvi. Adhibet hanc glossam S. Leoni et omnibus prædictis canonibus Dominicus Soto in 4, d. 18, quæst. 2, art. 3; qui id colligit ex eo quod in decretis illis nulla fiat mentio signorum contritionis, quæ infirmus elicere debet in præsentia sacerdotis; unde ne umbra quidem sacramentalis confessionis in decretis illis occurrit; cum infirmus, de quo agunt, neque in genere, neque in specie, neque nutibus, sacerdoti confessus insinuetur; sed tantum referatur ante oppressionem edidisse signa voluntatis confitendi, eaque confessario venienti pandantur ab aliis : cum tamen confessio sacramentalis debeat esse actio ipsiusmet pœnitentis propria et personalis : alioqui concedendum esset, quod qui in carcere occlusus nullatenus potest præsentia sacerdotis potiri, confiteri sacramentaliter posset, narrando servo sua peccata, quæ is in aurem sacerdoti ingereret; quod nemo sanæ fidei dicere audebit, inquit Soto. Itaque concludit omnia decreta adducta pertinere ad absolutionem eorum qui publice agebant pœnitentiam, ut possent communicare cum fidelibus in exsequiis, si morerentur; et ad eam absolutionem ac reconciliationem ecclesiasticam consequendam ait posse ægro prodesse testimonium eorum qui affuerunt, priusquam æger de statu mentis decederet : nihil tamen prodesse posse ad sacramentalem absolutionem in tali statu consequendam. Quis enim dicere audeat, inquit Sotus, testimonium testium valere pro confessione infirmi, nihil potentis significare, ut sacramentaliter absolvatur. « Meridie ergo fulgentius et canones istos, neque superficie tenus, de confessione aut absolutione sacramentali loqui. Quare neque ullo ficto colore adduci possunt ad probandum generalia signa contritionis pro confessione valere, ut possit infirmo sacramentalis absolutio exhiberi; opinione ergo quæ ex canonibus negligenter inspectis gigni posset exclusa. » Ita Sotus.

Eorum responsio laborat manifesta petitione principii.

8 Verum universa ejus responsio laborat manifesta petitione principii : nec leviter sordet acerbitate in contrariam assertionem; quam vult profectam ex negligenti inspectione canonum : cum tamen hæc labes in ipsum potius Sotum cadat. Et vero, num ausit Sotus asserere S. Thomam negligenter canones inspexisse? At S. D. III part., quæst. 84, art. 3 ad 2 cognoscit S. Leonem in decreto proposito agere de absolutione a peccatis. Et ita omnino fatendum est non modo de reseri-

pto S. Leonis, sed etiam de aliis decretis allegatis Nam in illis decretis, agitur universe et absque restrictione de quovis obmutescente post data signa doloris de peccatis, saltemque post expositam absolutionis consequendæ voluntatem. At quam multi sunt e subito obmutescentibus fidelibus, qui nulla sunt irretiti censura : et tamen juxta decreta prædicta absolvendi sunt?

9 Deinde S. Leo negat quod æger subito obmutescens, si absque absolutione obierit, possit absolutionem illam adipisci post mortem. Hoc autem non recte diceretur de absolutione a censura; quam constat obtineri posse post mortem, ut traditur cap. *A nobis*, et cap. *Sacris*, de sent. excomm. et constat ex variis alibi prolatis in eam rem sanctorum praxibus. Quid quod in decretis propositis agitur de absolutione ad salutem necessaria, et a solo sacerdote impendenda vi potestatis a Christo collatæ, utique Joanne 20? Quæ omnia cadunt in solam absolutionem a peccatis. Quinimo concilium Arausicanum cap. 3 expresse secernit absolutionem sacramentalem ab alia non sacramentali. Itaque periculum est, ne Sotus insimuletur negligentiæ in canonum inspectione; et ne in caput ejus regeratur acerbitas quam in contra sentientes exprompsit. Quod autem in tota ratiocinatione quam adhibuit petat principium, manifeste liquet. Probat enim in decretis propositis non agi de absolutione sacramentali, quia alioqui conclusus in carcere posset exprimere confessario absenti sua peccata per literas, recepturus ab eo cum advenerit absolutionem : at hoc ipsum est quod contendimus; nec a Soto impugnatur, sed gratis assumitur ut absurdum. Item assumit Soto expressionem peccatorum per literas, non fore actum pœnitentis, sed fore confessionem tabellarii vel internuncii. At hoc probandum erat, non gratis assumendum, cum de hoc ipso sit controversia. Perperam autem esse a Soto affirmatum patet; quia nuncius et tabellarius agit ut instrumentum alterius, et ejus nomine : at delegati operatio non tribuitur delegato, sed deleganti, cujus nomine operatur. Itaque Soti evasio undecumque rimas agit.

Præcluditur aliorum perfugium.

10 Nec tutius perfugium captarunt alii, qui dixerunt decreta proposita non agere de confessione sacramentali, et subjuncta ei absolutione; sed agere de absolutione ceremoniali, qua pœnitens reconciliatus admittebatur ad statum pœnitentium. Ita late Alvarez 1, 2, disp. 80, in diffic. addititia, num. 26, 27 et 28, argumentans in primis ex regula jurisperitorum, quæ fert decretum principis, si sit ambiguum, esse interpretendum per summam capitis; id est, per caput decreti, quo princeps exponit quid intendat statuere, et quo collimet. At S. Leo in capite decreti statuit agere de pœnitentium statu. Igitur quod postea ait ægris, si obmutuerint post petitionem confessarii, testimonia adstantium prodesse debere; ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequantur; intelligi debet de admissione ad statum pœnitentium; de qua propositum erat dubium, super quo pontifex consulebatur. Fiebat autem ea admissio per ceremonialem et publicam peccatoris publici absolutionem in facie ecclesiæ; constituendo illum in ordine et statu pœnitentium; ac eum subjiciendo quibusdam pœnitentiæ legibus, de quibus mentio est in concilio Toletano 12, cap. 2; quod attingens eventum illum, a S. Leone propositum, mulctat eos qui fidem datam in ægritudine infringunt, ubi convaluerunt : nec vult ut ea admissio fiat nisi præsente sacerdote. Multo itaque minus annueret aliter conferri sacramentalem absolutionem. Quid quod (juxta Alvarum) S. Leo agit de pœnitentia quæ antecedere debet reconciliationem cum ecclesia et absolutionem a censuris? At sacramentalis absolutio non debet antecedere reconciliationem cum ecclesia vel absolutionem a censuris; sed e contrario utramque subsequitur. Igitur S. Leo non agit de absolutione sacramentali. Et vero addit ibidem S. Pontifex, ex potestate a Christo collata, præpositos ecclesiæ confitentibus actionem pœnitentiæ dare et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliatiois admittere. Ubi evidenter præmittitur collatio pœnitentiæ, (utique per admissionem ad statum pœnitentium,) tum subditur participatione sacramentorum : nimirum confessionis, absolutione sacramentali formatæ, participationis et communionis cum fidelibus in rebus sacris. Quod si reconciliatio, de qua S. Leo agit, esset absolutio sacramentalis, ridicule fatendum esset, eam esse januam ad seipsam; quippe constituentem unum sacramentum. Vetat denique S. Leo,

Quomodo fiebat admissio ad statum pœnitentium

ne hæretici, etiam in eventu illo extremæ necessitatis, ad pœnitentiam admittantur, nisi prius ejuraverint publice hæresim : cum tamen hæreticus in articulo mortis, absque publica infidelitatis ejuratione, possit sacramentaliter absolvi, si vere eum pœniteat. Igitur pœnitentia, de qua agit in suo decreto S. Leo, non est absolutio sacramentalis, sed ceremonialis per admissionem ad statum publicorum pœnitentium.

11 Perstrinxi compendio, quæ Alvarez verbosius diffundit, omnem movens lapidem, ut soli offundat caliginem et S. Leonem de sacramentali ægri absolutione non egisse persuadeat. Hoc vero est (de quo S. Hilarius expostulabat lib. 1 de Trinit.) non in eo quod legitur quid auctor senserit scrutari, sed illum ad legentis mentem obtorquere, quantumvis renitentem. Sane S. Leo tam aperte agit de absolutione sacramentali, ut gratis se exoculet, qui hoc in eo renuit videre. Idque (ut contra Sotum præmisi) agnovit S. Thomas, quia S. Leonem absque anteoccupatione legerat. Deinde (ut etiam contra Sotum urgebam) non omnes subito obmutescentes, et pœnitentiæ beneficio juvari, Deoque reconciliari deposcentes, sunt peccatores publici, quos par sit in ordinem pœnitentium publicorum redigi : quod non nisi ob valde atrocia delicta fiebat, ut late prosequitur Joannes Bagotius dissert. 1 de pœnitentia, cap. 8 et 9, et dissertat. 2, cap. 10, sect. 3 et Arnoldus Mermannius tract. de pœnit. publica et solemni. Et tamen S. Leo, absque restrictione, omnibus qui post signa doloris, saltemque post advocationem sacerdotis obmutuerint, vult impendi beneficium pœnitentiæ; id est absolutionis, qua reconciliantur cum Deo. Quam frivola vero est illa interpretatio? S. Leo proponit agere de statu pœnitentium : ergo non agit nisi de publicis peccatoribus, egentibus reconciliatione ceremoniali : quasi vero status pœnitentium non possit sonare statum eorum qui captant beneficium pœnitentiæ sacramentalis per absolutionem sacerdotis. De his quippe consultus erat S. Leo, cum ob subitam oppressionem non possunt per seipsos aperire præsenti sacerdoti noxas suas. Quin etiam quoties apud PP. et concilia agitur de danda pœnitentia sermonem esse de absolutione sacramentali fuse tradit Joannes Bagotius disp. 2 de pœnit. cap. 12.

Admissio ad statum pœnitentium publicorum non fiebat nisi ob valde atrocia delicta.

12 Minus vero se peritum antiquorum ecclesiæ rituum prodit Alvarez, cum assumit præmittendam fuisse reconciliationem aliquam, ut peccator publicus in ordinem pœnitentium publicorum allegeretur. Id enim necessarium non erat; nisi peccatum ejusmodi esset, ut haberet annexam censuram ipso facto; qualia non erant omnia publica peccata. Imo series pœnitentiæ ista erat, ut cum Hesselio in opusculo de facto Nectarii, et Mariano Victorio tract. de confessione, tradit Pamelius ad S. Cypriani librum de lapsis num. 11, præmissis a reo actibus externis doloris et expressione voluntatis confitendi, obibatur primum privata confessio apud sacerdotem; hanc sequebatur pœnitentia, sive absolutio sacramentalis : post hanc exomologesis, referta omni imbonitate et demissione pœnitentis, ut Tertullianus late describit libro de pœnit. cap. 9 et 10. Post hæc adhibebatur manus impositio et exsolutio publica ceremonialis. Tumque patebat accessus ad eucharistiam. Itaque si æger obmutescens fuisset admittendus ad pœnitentiam publicam, et aggregandus statui eorum facinorosorum qui solemni pœnitentia defungebantur; absolutione sacramentali prius fuisset donandus. Atque ita adversarius in suamet responsione incidit in salebras.

Ad eam non erat præmittenda reconciliatio aliqua.

13 Sed illa non tenuis est ejus æquivocatio, qua reconciliationem, a D. Leone memoratam, vult accipi de reconciliatione cum ecclesia : cum tamen S. Leo, quandoquidem indistincte et sine restrictione loquitur de omnibus subito oppressis, censendus sit agere de reconciliatione cum Deo per absolutionem, post actus pœnitentiæ sive doloris de peccatis et expressionis eorum, a sacerdote collatam : alioqui per eam reconciliationem cum ecclesia oppressi, de quibus agit, non potuissent admitti ad usum eucharistiæ. Coguntur ergo adversarii, juxta suam doctrinam et canonum obtorsionem, admittere eucharistiam fuisse collatam ægris, quos constaret fuisse peccatores, nulla præmissa absolutione sacramentali. At quamvis Coquetius cap. 7 dissertationis, num. 35 dicat nullam umquam fuisse in ecclesia rationem dubitandi, quin danda esset eucharistia ægris oppressis qui confiteri et absolvi nequirent : tamen ex concilio Tridentino sess. 14, cap. 7 certum est, ante eucharistiæ sumptionem, semper fuisse

necessariam sui probationem : id est, confessionem et absolutionem sacramentalem, si haberi quoquomodo posset : præsertim si de perfecta contritione prævia non constaret. Neque umquam fuisse in praxi ecclesiæ, ut homo sacramentaliter non absolutus divinæ eucharistiæ participaret (nisi perfecta contritio in eventu necessitatis, sub onere suo tempore absolutionem consequendi, suppleret ejus defectum) demonstrat accurate in disputationibus de pœnitentia veteri Joannes Bagotus. Impingit ergo Alvarez, admittens inexpiatos ad usum eucharistiæ. Quamquam quia omen *reconciliationis* aliquando sumitur pro reconciliatione cum ecclesia, (ut nominatim videre est apud S. Innocentium 1, epist. 3, quæ est ad Exsuperium cap. 2,) addo, etiam si *reconciliatio* apud S. Leonem ita sumeretur, tamen ad rem nostram satis esse, quod S. Leo *pœnitentiæ* quoque meminerit. Nam *pœnitentiam* apud Patres et concilia sonare sacramentum pœnitentiæ et inauditum esse in jure pœnitentiam sumi pro absolutione excommunicati, recte confirmat Zambranus cap. 4, dub. 2, s. 3, reconciliationem vero (uti nunc quoque assolet) de levium culparum emundatione sacramentali in decretis illis accipiens.

14 Quod item Alvarez per *communionem sacramentorum* apud S. Leonem aliud intelligit, quam sumptionem divini cibi et participationem mensæ eucharisticæ, hospitem illum in lectione patrum videtur ostendere. Nam ut per *sacramenta* numero multitudinis designetur eucharistia, adeo frequens est et ex operibus SS. Ambrosii atque Greg. de sacramentis adeo perspicuum, ut pigeat tantum magistrum ablegare ad notata ab Alexandro, Alvaro, Bellarmino et aliis, vocem illam enucleantibus. Tandem cautio S. Leonis et concilii Toletani circa conciliatos in ægritudine et postea convalescentes non spectat ad hæreticos, qui nisi ejuraverint publice hæresim, non sint ad pœnitentiam publicam admittendi. Nihil ista ad scopum S. Leonis et illius concilii : sed spectat ad quoscumque in ægritudine absolutos, qui si in sanitate fuissent absoluti, subjacuissent certæ cuipiam mulctæ juxta canones. Quamvis enim ob periculum mortis indultum eis esset ut absolverentur sacramentaliter; tamen posito quod convalescerent, ne eorum conciliatio fraudi esset ecclesiasticæ disciplinæ et subnervaretur salubris rigor infrenans peccatores; merito cavendum fuit, ut si qui tali cuipiam mulctæ ob peccata erant obnoxii, quam præ ægritudine non potuissent tunc exsolvere, eam subirent valetudine instaurata. De toto hoc negotio accurate Joannes Bagotius dissert. 2 de pœnitentia.

15 Necdum exhaustæ sunt omnes adversariorum tricæ circa decreta proposita. Canus enim relect. de parte v *pag. mihi* 87 aliud effugium captavit, dicens, agi quidem in decretis propositis de absolutione a peccatis; sed quoad eos dumtaxat pœnitentes, qui prius explicite peccata sua omnia confessi fuissent sacerdoti initio quadragesimæ; non tamen adhuc accepissent absolutionem sacramentalem, differri solitam usque ad tempus sub Pascha; hoc est ad feriam quintam in Cœna Domini. Eum quippe usum olim scilicet in ecclesia viguisse tradit explicatissime concilium Agathense can. 9, breviusque idem habetur in Capitularibus libro VII, cap. 143. Et durasse eum morem tempore S. Thomæ constat ex ejus æquali, Guilielmo Arverno, episcopo Parisiensi : qui usum illum in sua diœcesi non omitti mandat numero 9 statutorum synodalium. Videndi qui de eo ritu disserunt Marianus Victorius, tract. de confessione, libro I, cap. 16 et Filesacus opusc. de quadragesima christiana, capite 15. In hoc ergo ritu foveam reperit Ericius. Hinc, inquam, Canus declinanda abs se censuit decreta allegata, si diceret absolutionem sacramentalem, de qua apertissime in decretis illis agitur, non mandari conferendam nisi iis, qui in capite jejunii distincte et sigillatim de peccatis apud sacerdotem confessi essent; necdum tamen accepissent absolutionis beneficium; sed tantum accepturi eam essent in Cœna Domini.

16 Hæc Cani evasio jam præclusa est. Nam decretum concilii Agathensis et quod habetur in capitularibus atque in statutis synodalibus Parisiensibus : spectant tantum ad peccatores obeuntes publicam pœnitentiam. Atqui jam ostensum est decreta allegata agere absolute de quibusvis peccatoribus, si subito obmutescerent post expressa doloris signa; saltemque expetitam externo signo absolutionem per sacerdotem. Igitur Canus voluntarie divinat, decreta adeo universalia et nullatenus re-

stricta, pertinere ad eos dumtaxat, qui prius confessi fuissent initio quadragesimæ: cum manifeste complectantur omnes peccatores, quamvis prius non confessi sint initio quadragesimæ : sicut etiam D. Augustinus hom. 41 ex 50 et libro 1 de adulter. conjug. cap. ult. in hoc negotium incidens, comprehendit omnes peccatores, qui signa pœnitentiæ præmiserint et voluntatem confitendi expresserint. Oporteret præterea eumdem esse sacerdotem absolventem in Cœna Domini, qui ineunte quadragesimæ excepisset confessiones. At canones allegati non restringunt hanc absolutionem ad eumdem sacerdotem, ut Canus gratis facit. Quid quod hæc Cani responsio supponit eventum ægri, obmutescentis ante adventum sacerdotis, non contingere nisi in quadragesima? cum tamen idem possit accidere per reliquum annum : de quo tempore fingi non potest, quod præcesserit explicita et plena peccatorum confessio apud sacerdotem. Atque ita non possunt defugere adversarii, (si salva volunt decreta conciliaria et pontificia allegata,) quin fateantur, in eventu ægri subito obmutescentis, perhibentibus pœnitentiæ ejus testimonium viris fide dignis qui affuerint, sacramentalem expositionem peccatorum posse fieri apud sacerdotem absentem; directo ad eum nuncio vel literis, ut habet sententia, pro qua satagimus. Decreta ergo conciliorum atque pontificum, quibus sententiam illam munivimus, non patent effugiis novorum Thomistarum, quæ validissime præclusimus.

17 Quandoquidem vero hactenus ex pontificum oraculis argumentati sumus, in hac meta non est prætereundum testimonium Clementis VIII, cui pontifici Thomistas auctores ac incentores fuisse decreti contra confessionem per literas Alvarez, Nugnus, Coquetius, Fay et passim cæteri asseclæ, triumphantes profitentur. At Clemens VIII, interrogatus de moribundo, qui post præmissa pœnitentiæ signa, saltemque postquam jussit advocari sacerdotem, subito obmutuit, essetne absolvendus; respondisse fertur se hunc eventum, a S. Leone propositum, non intendisse in decreto suo comprehendere : et talem moribundum omnino debere absolvi a sacerdote, cum venerit; seque, si occasio se daret, absolutionem impensurum. Ita respondisse Clementem testati sunt cardin. Bellarminus et archiepiscopus Armacanus, Petrus Lombardus : quorum uterque id testatus est Francisco Florentino et Leonardo Lessio Societatis Jesu, cum Romæ essent, et scripto etiam, manu sua obsignato, id firmavit. Posteaque Armacanus antistes simile scriptum, quo de responso illo Clementis testabatur, misit Lovanium ad aliquos illius academiæ doctores. Exhibet illud scriptum verbatim Ægid. Coninck libro de absol. morib. *Sub finem.*

18 Hunc clavum, impacto alio clavo, trudit Franciscus Hyacinth. Coquetius dissert. de confessione per literas cap. 7, num. 36. Respondens enim ad argumentum 3, propositum cap. 2, quod ex hoc Clementis responso ducebatur, ait quam modestissime *optare se vel probabilem conjecturam quod hujusmodi responsum a Clemente prodiisset.* Et quamvis nolit quicquam detractum fidei cardin. Bellarmini et archiepiscopi Armacani; tamen cum de eorum testificatione non constet, non putare se plenam fidem adhibendam Florentino ac Lessio, atque adeo jesuitis, qui facile similia objiciunt ac scribunt. Nec contentus hunc colaphum impingere viris bonis, subdit forte Clementem interrogatum esse de eo ægro, non prorsus oppresso, qui quamvis non possit distincte omnia sua peccata exponere, vel etiam ullius peccati speciem in particulari assignare, tamen coram sacerdote ostendit signa contritionis, quibus se peccatorem communi saltem ratione profitetur, seque absolvi velle, præsens præsenti sacerdoti significat. Quamvis enim id quoque esse a pontifice responsum non admittit; et talem doctrinam veritate niti non arbitratur; tamen tolerabilior Coquetio visa est, quam ea, quam excutimus : quod scilicet expressio peccatorum, absenti facta per manifestatam confitendi voluntatem, sit confessio sacramentalis. Quicquid vero demum responderit Clemens, ait Coquetius, eum non respondisse ex cathedra, sed esse responsionem privatam, ab eo tamquam particulari doctore traditam quæstioni non satis explicatæ.

19 Quantus hic micet splendor religiosæ modestiæ, mitto quærere, vel urgere. Nam quamvis utcumque hic scriptor declinare videatur voluisse invidiam impactæ Bellarmino et antistiti Armacano mentitionis; tamen non obscure eorum fidem lacessit; cum nixam eorum testimoniis narratio-

nem et ab Armacano pluribus chirographis firmatam, ne probabili quidem conjectura niti affirmat. Deinde Flerontinus ac Lessius ejusmodi homines fuerunt, ut vel injuratis et vadimonio defectis credi possit, aut etiam debeat. Flerontinum, et religiosissima vitæ per annos plurimos conformatione et obitis gravissimis muneribus clarum, mendacitatis jure esse notatum, præsertim in re nota, et quam facillimum erat revincere, nulla vel probabilis conjectura suadet admittere. Lessius, scriptor toto orbe terrarum judicio, pelluciditate, et accuratione celeberrimus; iis autem moribus homo, quorum candorem nulla dehonestarit invidia, ut mentiri voluerit (quantumcumque suadere id nitatur F. Coquetius) non persuadeor, non credo. Jesuitas vero indiscriminatim, cum Cretenses non sint et pigris ventribus, mendaces esse, et in suam causam fabulas et mendacia verbo ac scripto spargere, quod innuit, vel potius diserte ait Coquetius, ut crassum ac pingue mendacium aversor et nulla fide dignum pronuncio. Verisimilius hæc labes iis affricaretur, quos sæpe sæpius mendacitatis revictos constat tam perspicue, ut aliqui eam vivicomburiis expiaverint, uti Bernenses apud Surium in historia anni 1509; alii proscriptionibus librorum jussu pontificum factis mulctati sint, ut hic ipse cum quo ago Hyacinthus Coquetius; qui adhibito in falsi testem Urbano VIII, vulgavit fratris de Lemos miracula; id est conficta joculariter (ut postea rescitum est) de Lemosio, et superstite et demortuo, fabulamenta crassa, alibi procul ablegata; aliqui pridem, accepta canonizationis causa, nitentes jamque cælo illatas animas ad mulctæ, figmentis meritissimo irrogatæ, participium traxerint. Testis Pius V vitæ sanctissimæ pontifex; cujus canonizationem confictæ de eo fabulæ, per judices cognitores deprehensæ, jam aliquandiu sunt remoratæ; quamvis absque ullis figmentis, satis per se niteret Pius, possitque haberi canonizatione dignissimus. Talibus propolis fabularum verisimilius ac justius affricaretur mendacitas, quam Jesuitis fingendi rudibus et morum antiquorum hominibus. Sed leve sit Jesuitis, et quidem omnibus, tale probrum inussisse. Extrema ex Coquetio adducta clausula, velut scorpii cauda, ipsum quoque pontificem ferit; non quod dicat Coquetius, Clementem errasse ut privatam personam sic respondendo; sed quod ad quæstionem, non satis explicatam, respondisse dicat. At hoc stolidi hominis est et inconsiderati, sententiam de re non satis explicata præcipitare. Fuerit enim (si ita lubet) nulla interrogantium culpa, quod sibi consulentes et responsum quale volebant captantes, quæstionem haud satis explicate proposuerint : fuerat tamen respondentis, dum lux liquida affulgeret, hærere; nec præceps et inconsideratum responsum edere. Itaque, judice fratre Coquetio, Clemens VIII aliter respondendo quam ipsi Coquetio videatur, stolide, præcipitanter et inconsiderate respondit. Deo gratias.

CAPUT VI.

Rituale Romanum pro eadem sententia.

1 Seorsim profero decretum pontificium, Rituali Romano insertum, quia est de eo peculiaris ratio : et adversarii circa illud sententiis scissi sunt, bellaque ac lites circa hoc efferbuerunt.

2 Rituale ergo Romanum, quo præscribitur formula administrandi sacramenta et alios præcipuos ecclesiæ ritus exercendi, Tit. de sacram. pœnitentiæ, § *Ordo ministrandi sacramentum pœnitentiæ*, versic. *Quod si inter*, agens de absolutione ægro impendenda, sic præscribit : « Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela ægrum deficiat, nutibus et signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere : quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam, si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est. » Habentur ista non modo in anterioribus ritualibus, sive Romanæ, sive aliarum ecclesiarum, puta in pastorali Leonis X, et in simili opere cardin. Ludovisii (postea Gregorius XV), quod confecit pro ecclesia Bononiensi cui tum præerat; sed etiam in Romano Rituali per Paulum V recognito et approbato 17 Junii 1614. Quod enim varia variis locis ritualia haberentur, contestatur pontifex, visum sibi esse e re ecclesiæ *ut volumen unum de ritibus, cum in aliis ecclesiasticis functionibus tum præsertim in sacramentorum*

administratione servandis, ab iis qui curam animarum gerunt, apostolica auctoritate prodiret : ad cujus voluminis præscriptum, in tanta ritualium multitudine, sua illi ministeria tamquam ad publicam et obsignatam normam peragerent, unoque ac fideli ductu, inoffenso pede ambularent, cum consensu. Exscripsi verba pontificii diplomatis, quo Paulus testatur *re mature considerata, ritus receptos et approbatos catholicæ ecclesiæ, in illud volumen esse digestos :* hortaturque ad extremum omnes antistites ad curandum *Ut in posterum, tamquam ecclesiæ Romanæ filii, ejusdem ecclesiæ omnium matris et magistræ auctoritate constituto rituali in sacris functionibus utantur : et in re tanti momenti, quæ catholica ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.* Non potuit pontifex gravioribus verbis commendare rituale, quod omnibus ecclesiis proponebat, ut ad illius præscriptum inoffenso pede sacramenta administrarent et alios ritus sacros obirent, certi se catholicæ ecclesiæ inhærere et probatis ab ea antiquis usibus insistere, si ex præscripto hujus ritualis se gererent. Cum ergo in rituali isto Romano, tam conceptis verbis tradatur ægrum, si ante inchoatam sacerdoti confessionem obmutescat, quamvis nullum ipse peccatum sacerdoti advenienti distincte exponat, vel etiam nulla actualia indicia præsentis contritionis de peccatis exhibeat, tamen absolvendum esse, si saltem per alios ostenderit signa voluntatis confitendi; magnum argumentum inde petitur pro sententia, cui confirmandæ insistimus.

3 Urgebat hoc argumentum doctus theologus Carmelitanus Compluti sub annum 1621, cum adversus conclusionem contrariam, a theologo ordinis Prædicatorum propositam, ageret. Respondens, cum alia elabendi via non suppeteret, contempsit ritualis Romani auctoritatem. Lis inde mota Romam usque pervenit. Qui causam respondentis Romæ susceperant, non ausi in oculis pontificis despuere rituale, ut factum in Hispania fuerat : aliam viam iniverunt ad prætendendum telo, quod vibratur, umbonem idoneum. Et primum quidem inficiati sunt diploma pontificium, rituali jussu Pauli V recognito præfixum, esse genuinum; causantes subreptionem. Sed cum superstes esset Scipio Cobellutius card. S. Susannæ, qui diploma ipsemet confecerat, isque diploma omnino esse genuinum confirmaret et frustra obtendi subreptionem testaretur; alia declinandi via captanda fuit. Dixerunt itaque in rituale typis cusum irrepsisse mendum typographicum; et ubi legitur *absolvendus est*, legendum fuisse *absolvendus non est.* Verum hæc responsio visa est hominum causam suam desperantium, nec curantium quomodo adversarium repellant, dummodo repellant. Sane si sit locus his additamentis Leviathan, nihil deinceps sincerum ac tutum habebimus. Hujusmodi plusquam poetica licentia Colmas Morellas ordin. prædicatorum, anno 1613 cum editioni operum S. Thomæ præesset, locum ex 1 s. dist. 42, quo S. Thomas disertis verbis affirmat *B. Virginem esse conceptam sine peccato originali,* infarta particula negante, depravavit; ita ut juxta eum diceret S. Thomas *B. Virginem non esse conceptam sine peccato originali.* Quæ quanta sit sinceritas, nihil attinet dicere. Contextus certe et filum disputationis S. Doctoris clamat adversus eam malignantis naturæ interpolationem. Evertitur enim universa D. Thomæ ratiocinatio, nisi expungatur particula illa negativa et textus perstet azymus cum sua affirmatione, expressa in omnibus ad unam anterioribus editionibus, etiam Romana Pii V et innumeris manuscriptis codicibus. Quid vero aliud in sacris scripturis ac patrum libris sæpe sæpius ab hæreticis, novis æque ac veteribus, factum est, non absque Tertulliani stomacho et justa catholicorum concitatione? Ago in hanc corruptelam, fustuario potius quam correctione dignam, alio loco. Cum ergo cardinalis S. Susannæ ad hoc additamentum rituali immissum inhorresceret, et filum præscripti ferat affirmationem, non negationem; (alioqui is quoque, cujus peccata sacerdos in specie per nutus cognosceret, absolvendus non esset; quandoquidem unica periodus, eodem tenore, et istum, et eum qui plane oppressus jacet, comprehendit et similiter de utroque pronunciat :) nec ulli codices, sive typis editi, sive manuscripti et e quibus editio Romana sub Paulo V adornata est, aliud habeant, quam absolvendum esse; Harpocrati denique litatum est ab adversariis. Nam 2 Dec. 1621 coram pontifice decretum fuit, in eventu illo de obmutescente servari rituale incontaminatum, absolvendo ægrum : addita

declaratione, quæ ferebat, verum non esse quod præscripta in rituali adversentur decreto Clementis VIII. Audeant adversarii decretorum Romanorum, a suis (ut ajunt) curatorum, ostentatores.

4 Aliter argumentum ex ritualis Romani auctoritate infringere conati sunt in Belgio F. Franciscus Hyacinthus Coquetius et Petrus de Fay, revenientes ad responsum primum, quod in Hispania datum diximus; sed via tantisper alia et additis quibusdam quæ interest non præterire. Coquetius ergo cap. 7 dissertationis de hoc negotio, num. 42, cum præmisisset, synodos et concilia provincialia in rem nostram adducta, non plus habere auctoritatis, quam eos a quibus dicta est in illis sententia; et hujusmodi cœtus sæpe impegisse cum non accessit pontificia approbatio, subdit deveniens ad auctoritatem ritualis : *Ad confirmationem eodem modo dicitur, manuale seu rituale illud, ut et alia alicujus privati doctoris opera confectum esse et illius auctoritatem non excedere. Neque consensus pontificis aut jussio, ut conscriptum fuerit et evulgatum, confert aliquod pondus rebus quæ in eo præscribuntur; tum quia non præcessit serium ac sufficiens theologorum examen; tum quia pontifex non intendit communibus ac receptis sententiis scholarum ullo pacto præjudicare, propter illius opinionem cui manualis seu ritualis editionem commisit. Sexcenta sunt exempla quæ afferri possent : sed brevitati consulimus. Meminerint adversarii, se neque consentance semper docere manifestæ doctrinæ catechismi Tridentini : neque vero manuali seu rituali, jussu Pauli V edito, quod nunc objiciunt; quod meridiana luce est clarius; et eorum quibusdam in publicis disputationibus aliquando a me objectum atque ostensum fuit. Monemus deinde præfati manualis correctorem non satis advertisse, quid ipsemet pontifex Paulus V cum illustrissimis cardinalibus censuerit de doctrina illa tradita a Suaresio, ut supra diximus ;* nimirum cap. 3, num. 16.

5 Ex hoc Coquetii responso messem plenam absurditatum licet colligere. In primis vero hallucinatur graviter, dum Rituale vult esse opus doctoris privati; cum sit opus publicum, auctoritate ipsiusmet pontificis communitum et ex cathedra propositum omnibus ut secure eam doctrinam amplexentur in sacramentorum administratione. Et nominatim quoad præscriptum, de quo hic agitur, nihil recens est appositum in Rituali : sed exhibitum præcise est quod in antiquissimis Ritualibus præscribebatur, ususque ecclesiæ receptus firmabat. Itaque perperam dicitur Rituale esse opus doctoris privati. Quod autem addit Coquetius pontificem, jubendo ut Rituale evulgetur, nihil addere ponderis iis, quæ in Rituali præscribuntur, non video quomodo in homine catholico ferri possit, cum certum sit pontificem in publica et solemni propositione doctrinæ de conficiendis sacramentis, qualis fit in Rituali, docere ex cathedra, neque esse errori obnoxium. Intolerabile item est, quod Coquetius addit, ut probet diploma pontificis nullum robur addere rituali; *quia* (inquit) *non præcessit serium ac sufficiens theologorum examen.* At pontifex contestatur in diplomate se ad id adhibuisse præstantes doctrina et prudentia cardinales; et longum studium præcellentis doctrinæ viri Julii Antonii Sanctorii cardinalis S. Severinæ, in hanc rem pridem collatum, non esse prætermissum; nec non eruditos viros in eam curam incubuisse, et omnia mature fuisse considerata. Audin' Coqueti? Omnia sunt mature considerata. Theologi ac scientes rerum sacrarum sunt adhibiti, teste pontifice. Quid igitur tibi in mentem venit, ut e contrario assereres, rem non fuisse satis consideratam, nec præcessisse serium ac sufficiens theologorum examen? Latet vero te, tantum magistrum, pontificem in tradenda doctrina fidei et sanctorum morum (cujusmodi est doctrina de valida confectione sacramentorum in Rituali proposita,) etiam si peccare posset aliquid statuendo non consultis doctoribus, tamen non posse errare, tradendo publice et toti ecclesiæ proponendo talem doctrinam? E contrario autem, quamvis omnes doctores a pontifice adhibiti circa aliquam talem doctrinam errarent, pontificem tamen proponendo aliquid universæ ecclesiæ non erraturum, mihi est plane certum; quam meam doctrinam cum reverendissimus pater Vincentius Candidus ordinis Prædicatorum, M. S. Palatii, renueret evulgari, resque in Palatio apostolico, inter ipsum ac me, coram eminentissimo cardinali Pancirolio dissidii nostri arbitro, agitata aliquandiu esset, evici denique ut evulgaretur, ducto argumento ex promissa soli

pontifici infallibilitate in tradenda doctrina publica : quam prærogativam non dedit Christus doctoribus, quos pontifex potest consulere, quantumvis multi ac vel si omnes orbis universi doctores contra sentirent. Et ita Suarez disp. 3 de fide, sect. 8 et Valentia 2, 2, disp. 1, quæst. 1, part. VII, § 40, ac Gilius 1 part., lib. 1, tract. 7, capite 13, num. 6 et 7. Nimiæ ergo licentiæ fuit adversus propositionem doctrinæ de conficiendis rite sacramentis, toti ecclesiæ a pontifice publico diplomate factam, excipere quod defuerit serium et sufficiens examen theologorum.

6 At pontifex *non intendit præjudicare communibus ac receptis sententiis scholarum, propter opinionem doctoris privati, qui rituale concinnavit.* Seponamus hunc privatum doctorum, quem jam exclusimus. Quod pontifex præscribit in rituali, non esse contra communes et receptas scholarum sententias monstratum est cap. 4. Nec si nonnulli unius alicujus scholæ obfirmantur in contrario sensu, arbitrandum est pontificem, tradentem diserte quod illi improbant, non agere serio et non intendere illis præjudicare. Alioqui pontifices, qui sæpe sæpius tradiderunt, sanctum et pium esse affirmare conceptionem passivam Deiparæ fuisse immaculatam, non egissent serio, nec intendissent, paucis ex una quadam schola contranitentibus, præjudicare, quoad propositionem modalem de probabili veritate et pietate illius assertionis; tametsi quoad propositionem de inesse, ei modali substratam, contestentur pontifices, se paucis illis minus in Deiparam piis non inferre præjudicium. Possemus nos quoque, (ut Coquetii vestigia relegam,) sexcenta exempla addensare, placitorum apud quosdam in scholis suis receptorum et tamen abjectorum a pontificibus, nihil moratis sensum unius alicujus scholæ, arietem suum affectantis. Possemus, inquam, nos quoque talia acervare; sed brevitati nos item consulimus. Quod vero Coquetius opponit doctores Societatis contra rituale Romanum a Paulo V propositum sentire, calumnia est, quam adversarius nullo adducto exemplo firmavit; quia revera nullum suppetebat. Catechismum Tridentinum, quem alii vocant *Romanum,* quia Romæ Paulo Manutio solam latinitatem suppeditante, a quodam ordinis Prædicatorum confectum est, ut satisfieret menti concilii Tridentini, quod tale aliquod opus conscribi commendabat; verum est non esse ulli catholico pro certa fide amussi; imo ejus auctorem non excedere auctoritatem doctoris privati, et non semel esse hallucinatum; quia auctor ille dum nimium indulget privatis suorum sententiis, non pauca in illud opus intrusit, quæ merito non probantur omnibus. Ut quod negat distinctionem consecrationis ac benedictionis panis et vini, ut Vasquez notat tertia parte disputat. 196, cap. 1, et Gaspar Hurtado disp. 3, de Eucharistia difficul. 6. Et quod de concursu Dei, imo præcursu ac præoperatione tradit, exponens primum Symboli articulum num. 20. Nec ex eo quod hic catechismus dicatur *Romanus,* sequitur omnia quæ in eo traduntur, esse doctrinam Romanæ ecclesiæ, nec posse a catholicis abjici. Eodem quippe jure dici posset *Onomasticum Romanum* esse doctrinam Romanæ ecclesiæ, nec posse de ea dubitari. Itaque hic potest usurpari responsio data a Bernardo Gregorii septimi apologiste, cum urgeretur adversus eum locus ex Romano pontificali, non illo libro rituali, sed alio historico de gestis pontificum; in quo opere aliquid legebatur pro nullitate sacramentorum a simoniacis, et hæreticis, vel excommunicatis ministratorum : cujus doctrinæ contrariam propugnabat Bernardus. Telum ergo ex eo libro petitum, quod amentatum putabatur, quia ex libro titulum Romani pontificalis præferente ducebatur, sic repellit Bernardus : « Ipse etiam Romanus pontificalis, unde illa exempla protulistis, sæpenumero non ita facienda, quam facta historica simplicitate præscribit, nec solum legitimas institutiones, sed et nonnullorum inconsideratas usurpationes referre consuevit. Unde non omnia, quæ in eo scripta leguntur, pro ecclesiasticis sanctionibus recipere debemus, præsertim illa minime, quæ a consideratissimis antiquorum Patrum sententiis, deviare videmus. »

7 Extremus Coquetii exscreatus insinuat revocationem præscripti in rituali quod urgemus; quam revocationem aperte expressit in sua responsione alter Belga, Petrus de Fay, ad quem propterea veniendum est. Petrus ergo de Fay, in additione ad III part., quæst. 9, art. 3 cum sibi objecisset rituale Romanum loco allegato, hæc verba habet. Juvat enim ne fides

compendio referentis vacillet, ipsa ejus verba exscribere. *Ad rituale Romanum dico, quod stantibus reprobatione expositionis Suaresianæ, datæ decreto citato, aliisque duobus decretis allegatis, neutiquam admitti debeat aut possit. Imo plane hac in parte revocatum et reprobatum censendum sit. Quod vero non corrigatur, existimo eorum, quorum interest, incuria, et negligentia, aut inadvertentia fieri.* Decreta, quorum meminit, sunt ea quæ retulerat in fine corporis, ex Paulo V, 14 Julii 1605, et congregationis inquisitionis 20 Julii 1605, ac 18 Augusti ejusdem anni : quibus interpretatio decreti Clementis octavi, a Suaresio assignata, dicitur non *subsistere;* et idcirco amovendam esse. Ex his ergo decretis colligit hic auctor, præscriptum ritualis de absolvendo ægro qui obmutuit, si sint qui de ejus prævia dispositione non retractata testentur, esse revocatum ac reprobatum : quamvis negligentia aut oscitantia eorum, ad quos attinet, præscriptum illud non sit mutatum et rituale maneat incorrectum.

8 Hæc est frontis attritio, non ferenda in scriptore catholico, nedum in religioso. Nam præterquam quod respuitur et conculcatur doctrina publice a pontifice proposita omnibus sacramentorum administris, tamquam sana et antiquo ecclesiæ usu probata, ut ipse pontifex diserte et in actu signato contestatur; præter hanc, inquam, effusionem contemptionis super talem doctrinam, de qua noxa satis actum est cum Coquetio; adjungitur nova petulantia in pontificem, omnesque ejus administros, cum dicitur rituale, ex cathedra a pontifice Paulo propositum, esse postea revocatum et reprobatum per decreta memorata et incorrectionem perseverare ob negligentiam aut incogitantiam eorum, ad quos attinet. At corrigere rituale quoad doctrinam, de qua agitur, est solius pontificis; sicut ejus solius est proponere doctrinam fidei ac sanctorum morum. Arguitur ergo pontifex oscitantiæ aut incogitantiæ in re tanti momenti : ita ut non modo doctrinam tradiderit iter pandentem innumeris sacrilegiis toto orbe ex usu illius doctrinæ admittendis; sed etiam sinat per negligentiam illud doctrinæ lolium perseverare in libro publico, atque adeo in praxi ecclesiæ. Quod si ipse pontifex præ negotiorum mole (an etiam juxta adversarium præ nescientia) cæcutivit in re tam gravi et ad totam ecclesiam spectante, adeone alte sterterunt a tot annis tot ex officio vigiles ac excubitores : tot, inquam, prælati doctrina præstantes, tot theologi sacrarum congregationum administri, ut nemo tantam labem deprehenderit; nemo si advertit, de curanda correctione cogitaverit? Quis credat talia religioso viro et catholico scriptori excidere potuisse? Revocatio porro ritualis, quam factam dicit, est omnino commentitia et sine consideratione perperam jactata. Nam rituale Romanum novum, Pauli jussu editum primo est anno 1614, die 17 Junii, quæ est dies adscripta diplomati, primæ huic editioni præfixo. Decreta autem revocataria, quæ bonus iste Dormitantius adducit, edita sunt anno 1605, die 14 et 20 Julii, nec non 18 Augusti. Quomodo ergo decreta tot annis anteriora, potuerunt revocare rituale tanto post emissum? Recusum postea est idem rituale, nullatenus mutatum, Romæ 1636 cum privilegio Urbani octavi, quem mirum esset revocationem ritualis latuisse. Itaque ad populum phaleras. Quomodo autem decreta illa quæ iste contra ritualis præscriptum objicit, probe cum rituali cohæreant; nec illud aut revocaverint, aut quoquomodo infirmaverint, infra excutiam. Nunc sat esto, firmitatem argumenti ducti ab auctoritate rituali Romani demonstrasse; ejusque firmitatem, sartam et post prætensas revocationes constantem, asseruisse.

CAPUT VII.

Ratio congrua in ejusdem sententiæ confirmationem

1 In re pendente a Christi voluntate, (cujusmodi nominatim sunt sacramenta,) ut constet quid ad ea valide conficienda exigatur, non sunt quærendæ demonstrationes; sed dumtaxat quærendum est quid tulerit Christi voluntas, et quæ fuerit ejus institutio; quod eruendum præsertim est ex sensu ecclesiæ et usu jam olim in ea recepto; attendendo item ad sensum doctorum. Mirum ergo videri non debet, quod hoc loco non recipiam proferre nisi rationem congruam; pro materiæ tamen subjectæ conditione idoneam : quales rationes in rebus moralibus debere sufficere,

Aristoteles quoque admonuit, initio Ethicorum.

2 Supposito igitur tam multiplici suffragio auctoritatis, adducto in superioribus, rationem congruam doctrinæ pro qua hic satagitur, eruo ex sensu ecclesiæ atque doctorum; qui ferre videtur, ut ex parte pœnitentis ad sacramenti adeo necessarii confectionem aliud non exigatur, quam ut concepto dolore de peccatis quæ admisit, exponat ea aperiatque conscientiam quo meliori modo potest. Idcirco enim in variis eventibus admittitur confessio materialiter diminuta, nec nisi formaliter integra : quia supponitur pœnitentem non posse plus præstare; sive impotentia illa sit physica, sive tantum moralis. Ob impotentiam physicam Navarrus in summa cap. 21, num. 36; Victoria in summa num. 137; Valentia III part., dist. 7, quæst. 11, punct. 1, *in fine*, liberant obligatione confitendi eos pœnitentes, qui gravantur peccatis mortalibus non explicabilibus nisi per scripturam. Sed quia aliqui circa hoc tricantur, commodius est exemplum ejus, qui meminit in genere se admississe peccatum mortale et hoc ita confitetur. Talis quippe debet absolvi ex D. Thoma in 4, dist. 21, quæst. 2, art. 1 et 2, quia confitetur, ut potest. Simile exemplum est ejus, cui plane excidit peccatum quod admisit, ita ut ne recolat quidem se aliquid grave et confessione expiandum admisisse. Nihilominus ejus confessio cum dolore extenso ad omnes culpas, etiam latentes si quæ subessent, valida est ad absolutionem illius latentis peccati comparandam. Cum enim principium moraliter operandi sit cognitio prævia; si supponatur, prorsus deesse peccati abditi notitiam, impossibile est satisfacere legi mandanti expressionem peccati omnimoda oblivione contriti. Atque ita cum nulla lex obliget ad impossibile, cessat per accidens obligatio exponendi confessario tale peccatum; nec Deus, cujus omnes voluntates sunt rectissimæ, vitio vertet homini, quod eam culpam sacerdoti non aperuerit, absque cujus expressione facit quicquid potest, si exponat omnia peccata quæ habet in conscientia, ut loquitur Tridentinum sess. 14, cap. 5 et canone 7, id est, quorum habet memoriam. Favet D. Thomas, quod lib. 1, art. 10 docens, hominem juxta usum receptum, teneri peccata sua sacerdoti ore aperire cum potest. Nota *cum potest*. Igitur si non potest, satis est ut faciat quod potest. Exemplum impotentiæ moralis exsolventis peccatorum obligatione aperiendi distincte aliquod peccatum, cernitur in eventu in quo homo jure timeat grave incommodum aut proprium, aut alterius quam complicis, consecuturum distinctam retectionem alicujus peccati in confessione apud sacerdotem. Præcepta enim positiva justa et humanæ fragilitati accommodata, (cujusmodi semper sunt quæ a Deo imponuntur,) non obligant, si ingruat magnum discrimen ex eorum adimpletione. Atque ita in talibus adjunctis homo non urgetur præcepto confessionis; quia positis illis adjunctis, censetur impotens ad confitendum; et quamvis prætermittat peccatorum expositionem adeo sibi damnosam, tamen censetur facere quod potest; quod unum ab eo exigit Deus. Non immoror in his stabiliendis, quia rata sunt apud omnes theologos, exponentes confessionis sacramentalis integritatem, nullo prorsus refragante.

3 Quia ergo in negotio de quo agimus, pœnitens, se gerens sicut diximus, facit quod potest; et quod unum potuit, non omisit, nempe urgere confessarium ut adventu suo opituletur, collaturus absolutionem; merito conjectamus Christum, quia benignus ac misericors est, et præstabilis super malitia, ita instituisse hoc sacramentum, ut salva præsentia sacerdotis ad conferendam formam, cujus veritas eam præsentiam exigit; materia judicii possit ab homine absente subministrari : quia plerumque infirmitas humana non patitur plus fieri. Et alioqui sæpe contingeret pœnitentem, ex parte sua recte dispositum, excidere æterna salute. Si nimirum attritus dumtaxat de peccatis, ob quæ sacerdotem evocari curavit, fraudaretur beneficio absolutionis, per sacerdotem jam præsentem impensæ.

4 Nec lenit istum dolorem, ex secutura vel saltem jure timenda tot animarum clade merito conceptum, malagma quod adhibet Alvarez 1, 2, disp. 80, in difficultate attexta num. 49 dicens, si in tali eventu æger defectu absolutionis damnetur, hoc esse per accidens, et judicia Dei esse abyssum multam : indeque exsistere majorem universi pulcritudinem. Et eodem recidit, quod ait Franciscus Davila cap. 18, sic cantari Deo misericordiam et judicium : nec sacramenta instituta esse, ut in quocumque

eventu hominibus medeantur : sed ut prædestinationi præscientiæque divinæ deserviant. Hæc nego satisfacere et animum sedare. Nam eadem plane ratione abjici posset cura omnium plane exlegum, atque a Deo abalienatorum. Quod enim pereant, est per accidens; et inscrutabili Dei judicio permittuntur vere in sempiternum exitium, unde efflorescit splendor divinæ justitiæ et major mundi pulchritudo, justis contra peccatores positis. Sicut igitur nihil horum obstat, quo minus omni studio satagamus pro pereuntibus, admoventes eis remedia divinitus provisa; ita neque aliquid obstare debet, quominus ex præscripto tot canonum opitulemur ægris oppressis, qui quod facere poterant præstiterunt; et quod Christus ad confectionem sacramenti poposcit, quantum in ipsis fuit, adhibuerunt. Inconsulto vero facimus, multiplicantes occasiones suscipiendi judicia Dei tamquam abyssum multam et cantandi Deo misericordiam et judicium. Id enim recte habet, cum agitur de beneficio singulari, quod Deus non tenetur omnibus præbere : et aliquibus negat, sive in pœnam aliorum peccatorum, sive ut ostendat divitias gratiæ suæ in vasa gloriæ. Quoad ea vero beneficia aliquibus deneganda, quæ Deus voluit omnibus esse in promptu, quale est beneficium expiationis per sacramenta, immerito recurritur ad Dei judicia inscrutabilia; sed omnino sunt admovenda facientibus quod in se est. Subolet autem fermentum illaudatum, quod dicebatur : *Sacramenta esse instituta, non ut in omnibus medeantur homini; sed ut prædestinationi præscientiæque divinæ deserviant.* Hoc, sumptum ut ab adversario sumitur, nempe instituta esse sacramenta, ut aliquando negatione sacramentorum homo pereat, ferri non potest. Sed omnino dicendum est, sacramenta esse instituta, quantum est ex Dei et Christi mente, ut medeantur nobis; et eatenus serviant divinæ de nobis providentiæ, quæ tam utilia et divina media providit, ut ii quibus applicarentur, salvi fierent. Optat autem Deus et intendit quantum est ex se, ut omnibus plane egentibus applicentur, dummodo præstent quod ex parte ipsorum exigitur, ut sane fecerunt ii de quibus agimus. Nam ante oppressionem adhibuerunt quod ab iis erat suppeditandum ad susceptionem hujus sacramenti : nempe dolorem exterius insinuatum, saltem in voluntate confitendi, patefacta ante dejectionem de statu mentis, quæ patefactio fuit etiam accusatio sui, sive expressio peccatorum, qualis in eo statu fieri potuit.

3 Non assero solam voluntatem confitendi præcise sumptam, esse dolorem de peccatis, sufficientem ad compactionem sacramenti pœnitentiæ : hoc enim falsum est, et jure negatur a Suaresio tom. IV, III part., disp. 20, sect. 3, num. 8. Tamen ex ea voluntate confitendi, exterius expressa, recte præsumitur adjunctus ei voluntati dolor, saltem imperfectus, sive attritio : quia nihil proclivius est, quam ut is qui vult confiteri, simul excudat dolorem de peccatis quæ desiderat exponere. Sicut quamvis dolore quod quis de peccato suo non doleat, non est actus per se sufficiens ad formandam ex parte pœnitentis confessionem et consequendam a sacerdote absolutionem; tamen sanctus Bernardus, personam sic se habentem voluit absolvi : quia præsumpsit, quamvis præ scrupulo et turbatione mentis talis persona non putaret se dolere de suis peccatis, revera tamen de iis dolere : quia nihil facilius, quam ut is qui dolet quod de peccatis non doleat, imponat sibi; et interceptibiliter de eis doleat. Idipsum ergo præsumitur in peccatore, qui priusquam obmutesceret, expressit confitendi voluntatem. Et idcirco in decretis, cap. 3 adductis, expressio solius voluntatis confitendi, dicitur sufficere ad impertiendam absolutionem ei, a quo præ ægritudine aliud extorqueri non potest.

CAPUT VIII.

Ad argumenta in contrarium proposita capite 3.

1 Multo æstu magnaque concitatione efferbuit Nugnus in doctrinam de absolutione præsentis, anterius confessi sacerdoti absenti, eo modo quo potuit in extrema necessitate : vocans eam doctrina, *temerariam, scandalosam, perniciosam et errori proximam.* Quam verborum illuviem haud injuria quis in caput ejus refuderit; dicens doctrinam, pro qua Nugnus tam fervide certat, omnibus illis sordibus dehonestari : cum manifestis conciliorum atque pontificum scitis supra adductis repugnet et possit cedere in magnam animarum perniciem,

quandoquidem negata absolutione, quæ ex sententia tam bene fundata libere conferri poterat, miseri ægri subito oppressi, æterni exitii periculo exponuntur, si forte contritio perfecta esset et graves noxæ præjacerent : quo periculo eos eximeret impensa absolutio, supposito quod sint ejus capaces, ut concilia et pontifices superius adducti supponunt. Itaque Nugnus hac sua præcipitatione in gravanda tetris notis aliena doctrina monstravit, quam dedeceat virum prudentem præproperum de aliis judicium; præsertim si debilibus nitatur argumentis, qualia plane sunt, quæ ipse et gregales ejus intorquent in hac causa.

2 Argumentatur ergo in primis Nugnus, allegando concilium Florentinum in *Tractatu de Confessione*. Attendat lector ad opus novum, nullibi et numquam hactenus visum, ex Nugni officina nunc primum cusum. Hac sane in re, ostendit Nugnus, se esse autem oscinem; et quæ ab aliis cantata audivit, iterato canere; reipsa se non vidisse nisi alienis oculis concilium Florentinum. Nullus enim est in eo concilio tractatus de confessione. Sed bonus hic Homerus paucas lineas de confessione, instructioni Armenorum insertas ab Eugenio concilii præside, vocat *Tractatum de Confessione*. Hoc nemo nisi in eo concilio plane hospes dixisset; alioqui enim admittendum æque foret, concilium Florentinum edidisse tractatus singulos de singulis sacramentis, itemque de purgatorio unum, et de primatu Romani pontificis alium, ac denique de plerisque aliis fidei capitibus de quibus informantur Armeni, totidem tractatus emissi essent a concilio Florentino, quot sunt ea capita. Sed hanc leviculam cespitationem homini spinas, metaphysicas in rebus theologicis potius quam concilia conquirere solito, condonemus : intenti dumtaxat, in argumentum quod ex concilio Florentino eruit; quia, adstipulante Tridentino, tradit formam sacramenti pœnitentiæ contineri verbis, utique proprie dictis, sive ore prolatis. Hoc ultro damus. Sed quid ad rem præsentem inde habetur? Nam forma sacramenti pœnitentiæ continetur absolutione, quam verbis ore fusis conferendam esse per sacerdotem, pœnitenti adstantem, lubentes admittimus. Et idcirco mutus, (ut in altero argumento assumit Nugnus,) est incapax ministerii excipiendarum confessionum; nec umquam in ecclesia ad hoc munus gerendum est adhibitus. Hoc recte statuit Nugnus. Sed de hoc non est controversia hoc loco, cum tantum agatur de expositione peccatorum, habente rationem materiæ respectu judicii a sacerdote proferendi; quam materiam sufficit exhiberi per signa sive doloris de peccatis, sive voluntatis confitendi, absque verbis ore fusis, ut patet ex muto; qui si conscientiam mortalis peccati habeat, potest ac debet confiteri, vel per nutus, si satis sint ad peccatorum expositionem, vel per scripturam, etiamsi sola lex ecclesiastica ad confessionem urgeret, ut asserunt Suarez tom. IV, III part., disp. 36, sect. 6, num. 7 et Ægidius disp. 3 de pœnit. num. 78. Itaque proposita Nugni argumentatio est plane extra rem. Id quod de plerisque aliis argumentationibus, ab eo adversatis, est statuendum, ut legenti patebit. Absurde igitur et extra chorum saltando, ex eo quod confessio, sumpta pro toto sacramento pœnitentiæ, dicatur non posse perfici nisi verbis ad pœnitentem præsentem directis, (quod valet ratione formæ sive absolutionis,) inferendum putavit Nugnus, confessionem sumptam pro parte ejusdem sacramenti, se tenente ex parte pœnitentis; hoc est, pro sola expositione peccatorum adhibenda a pœnitente; non posse quoque aliter confici quam verbis ore fusis, ad sacerdotem præsentem directis. At magna est differentia, inter illa duo, ut sæpe supra est demonstratum.

3 Alia Nugni argumentatio ducitur ex necessaria materiæ et formæ conjunctione atque præsentia sive indistantia. Sed hoc argumentum nimium quantum enerve est. Non enim, si in physicis materia et forma debent esse indistantes et se contingere, necesse similiter est materiam et formam sacramenti pœnitentiæ simul et semel, et loco et tempore coexistere, cum fieri possit, ut peccator, antea et alibi confessus de peccatis, nunc hic absolvatur a præsente sacerdote, qui sit pœnitenti vicinus aut indistans : etiamsi materia proxima, de qua ferendum est judicium per absolutionem, hoc est expositio peccatorum dolore formata, saltemque in voluntate confitendi comprehensa, antecesserit, nec physice coexistat sacerdoti; sacramentum enim est artefactum morale, non compositum physicum. Unde sufficit, ut inter proximam materiam ejus et formam sit

præsentia moralis : dummodo sit vera et physica præsentia inter subjectum remotum formæ et ipsam formam ejusque auctorem : hoc est, inter pœnitentem, ad quem forma judicialis a sacerdote prolata verbis physicam præsentiam exigentibus dirigenda est; et inter sacerdotem absolventem. Esto enim sententia judiciaria in foro humano possit aliter quam voce, ad præsentem reum directa, a judice eidem præsente aut indistante proferri : tamen perpetuus ecclesiæ usus et constans traditio docet, Christum sacramenti pœnitentiæ institutorem in forma judicii noluisse hac in re judicium sacramentale assimilari humano judicio. Quare argumentum Nugni pro necessaria materiæ et formæ indistantia evanescit. Quod si materia sacramenti pœnitentiæ statueretur homo pœnitens; sic quidem verum esset formam et materiam hujus sacramenti debere esse indistantes; non quidem ita ut interveniat contactus physicus, sed ita ut verba absolventis ita dirigantur ad pœnitentem, ut solet fieri in collocutione amici cum amico, quæ est præsentia aliquatenus physica, sed citra contactum; atque adeo aliquatenus etiam moralis. Ea tamen usurpatio materiæ sacramenti pœnitentiæ pro subjecto, absolutionem recipiente, est plane insolita conciliis atque doctoribus; a quibus materia sacramenti ex parte pœnitentis assignatur in ejus actibus internis et externis circa peccata, de quibus fertur a sacerdote judicium. Quid quod, si ea notitia materiæ sacramenti pœnitentiæ pro subjecto absolutionem recipiente admittatur, neque sic urgeremur argumento, fundato in necessaria formæ et materiæ propinquitate, quia admittimus solam absentiam confitentis sive aperientis peccata in eventu summæ necessitatis : non autem absentiam ejusdem recipientis absolutionem, quæ non nisi præsenti impendi potest. Quod autem suam confitentis et absolventis indistantiam a Clemente octavo esse definitam tamquam necessariam contendit Nugnus postea excutiam.

4 Argumentabatur insuper Nugnus, adstipulante Alvarez, ex perpetuo usu ecclesiæ qui semper tulit, ut confessio, id est, exposito sacramentalis peccatorum, fiat soli sacerdoti, et quidem secreto : quorum nihil cadit in peccatorum expositionem per literas, vel per internuncium : quibus commissæ confessiones noxarum paterent sacrilegæ evulgationi, cui Christus non est censendus voluisse præbere aditum; sic instituta sacramentali peccatorum expositione, ut posset in absentia perfici. Itaque de expositione illa, soli præsens sacerdoti facienda, habetur mandatum divinum; inde a Nugno confirmatum, quod rex Castellæ Ildephonsus, cognomento *Sapiens*, vetuerit confessionem per literas aut internuncium fieri. Miror hanc Nugni argumentationem. *Interdixit rex Castellæ, confessione per literas aut internuncium : ergo est ea de re mandatum divinum.* At neque reges Castellæ dii sunt, nec leges eorum mandata divina. Imo mirum est a tanto magistro allegari legem civilem in negotio de sacramenti confectione; cum nihil regibus feratur aut metatur in rebus sacris, cujusmodi maxime sunt sacramenta. Indubitatum igitur esto, regem illum, quia sapiens fuit, noluisse in res sacras falcem mittere : quod Facundus cum Justiniano agens valide improbat : et merito, ut monstratum est alio loco. Quod autem revera voluit rex Ildephonsus, nihil incommodat causæ nostræ. Tantum quippe voluit firmare lege sua ecclesiasticam constitutionem interdicentem confessione, id est integro pœnitentiæ sacramento, per internuncium literasve confecto. At nos tantum agimus de parte sacramenti, se tenente ex parte pœnitentis; hoc est expositione dumtaxat peccatorum, facta sacerdoti absenti, cum urget gravissima necessitas; rejecta totius sacramenti celebratione inter absentes : quia sacramentum, sic sumptum, comprehendit absolutionem, quæ dirigenda necessario est ad solum præsentem, seque sistentem judicio confessarii, juxta phrasim concilii Tridentini : ex qua item argumentabatur adversarius confundens sæpe numero confessionem, sumptam pro toto sacramento, quod inter absentes perfici non potest, cum confessione sumpta pro sola peccatorum expositione, quæ in necessitate potest absenti fieri. Et ex hac confusione nascitur alia, ab adversario item inducta : nempe quod auctores plerosque tamquam nobis adversantes allegat, qui tamen non adversantur, cum negant confessionem per literas, sumptam pro toto sacramento : aut cum improbant confessionem sumptam pro expositione peccatorum, si absenti fiat extra necessitatem gravissimam. Damus enim et

sacramentum totum pœnitentiæ non posse inter absentes perfici; et solam necessitatem summam suffragari expositioni peccatorum factæ absenti per internuncium aut literas.

5 Aliud argumentum a Nugno et Alvaro consignatum, distincte autem expressum a Diana, post alios ab Alvaro adductos, erat confessionem, sumptam pro expositione sacramentali peccatorum, esse actum personalem æque ac absolutionem: ac proinde non posse per alium obiri, sed tantum posse præsenti a præsente fieri. Ita tamen hoc intelligunt auctores prædicti, ut sufficiat expressionem doloris concepti de peccatis et voluntatis ea confitendi (quæ est virtualis eorumdem expositio) fieri sacerdoti in ægri præsentia, ab iis qui affuerunt, cum æger voluntatem suam aperuit. Hujusmodi enim testes, referentes quid æger præstiterit et voluerit, supplent ipsius personam et partes ejus obeunt; quod sufficit ut expositio peccatorum dicatur fieri præsenti. Hæc tamen argumentatio videtur esse hominum difficultate impeditorum et merito ab Alvaro num. 53 repudiatur. Imprimis vero qui sic disserunt, non loquuntur cohærenter. Nam si verum est, (ut ipsi contendunt,) confessionem sive expositionem sacramentalem peccatorum esse actum essentialiter personalem, nec posse committi alteri, quomodo admittunt confessionem fieri a testibus, qui sacerdotem præsentem docent quæ fuerit pœnitentis voluntas atque dispositio? Absurde præterea assumitur depositionem testium esse partem sacramenti pœnitentiæ : sic enim sacramentum per vitium ac indispositionem testium vitiaretur. Incongrue item exigitur, ut testimonium de ægri dispositione perhibeatur sacerdoti in præsentia ægri; ita ut si in anteriore cubiculo vel in via, priusquam sacerdos domum subeat, testes edoceant sacerdotem quæ fuerit ægri dispositio, priusquam statu mentis excideret, nulla sit futura absolutio. At hoc parum apposite deposcitur. Quid enim refert, quod sacerdos statum ægri addiscat coram ipso ægro, extra se constituto, vel procul ab eo, perinde se habente in absentia sacerdotis? Ratio enim, ob quam exigitur testimonium, est ut sacerdos non agat cæco modo; sed ut constet ipsi interfuisse ex parte pœnitentis quod necessarium est ad sacramentum consummandum, quando ægro præsens fuerit. Ad hoc autem est plane impertinens, quod æger adstet, vel procul absit deponentibus testibus, dummodo supponatur remanere semper in eodem statu, ut sane supponimus eum manere. Præterea in decretis supra adductis, limitatio illa testificationis in ægri præsentia prætermittitur: sed absolute dicitur, si sacerdos evocatus ad absolvendum ægrum, deprehenderit eum plane jam impotentem sui, debere illum absolvere, intuitu præviæ voluntatis confitendi, de qua constat testificatione eorum qui affuerant. Neque vel in decretis prædictis, vel apud ullum doctorem antiquum, qui hoc punctum versaverit, mentio est testificationis ferendæ in ægri præsentia: sed hæc conditio apposita dumtaxat est, cum visa est intercludi omnis alia via conciliandi scita illa conciliorum et pontificum cum nupero Clementis decreto, de quo postea. Itaque verissimum est eatenus sacramentalem expositionem peccatorum esse actum pœnitentis personalem, quatenus ipse est qui confitetur, non autem nuncius aut tabellarius, vel qui testantur de ejus anteriore voluntate; sicut interpres qui interdum adhibetur, ut status pœnitentis innotescat confessario, revera non confitetur : sed is, qui quod lingua exotica confessario ignota utatur, ipsum adhibuit. Et similiter procurator, qui adhibetur ad contrahendum matrimonium cum absente, non contrahit ipse matrimonium; neque enim tradit potestatem in corpus suum, aut eam a muliere accipit; sed omnem operam navat alteri, cui est suffectus, ut per ipsum contrahat matrimonium. Idem ergo contingit in eventu proposito, quoad sacramentum pœnitentiæ, interposito nuncio, aut teste præteritæ voluntatis. Et quod Alvarez, subveritus hanc matrimonii, inter absentes celebrati, et pœnitentiæ paritatem, negat sacramentum vere contrahi inter absentes per procuratorem; non est quod nos remoretur : cum veritas et indissolubilitas matrimonii, per procuratorem vel internuncium celebrati, agnoscatur capit. finali de procurator. in 6 et multipliciter adstruatur a Sanchez lib. II de matrimonio, disp. 11, num. 27; Basilio Poncio lib. II de matrimonio, cap. 10; Ægidio III part., disp. 24, dub. 2 et Hurtado disp. 3 de matrimonio, diffic. 15, qui idem addunt de matrimonio per epistolam contracto. Quin etiam negare quod matrimonium

per procuratorem sit sacramentum temeritatis damnat Soto in 4, distinctione 27, quæst. 1, art. 3, et reprobare tale matrimonium esse novum ac inauditum, ait Catharinus lib. v contra Cajetanum.

CAPUT IX.

Sigillatim ad argumentum ex decreto Clementis octavi contra confessionem per literas, vel internuncium.

1 Præcipuus aries, quem Nugnus ore grandicrepo admovet adversus expressionem sacramentalem peccatorum absenti factam, et quem Alvarez, Coquetius, Davila et alii nuperi contra doctrinam, pro qua hic satagimus, sollicite intentant, est decretum Clementis octavi, latum 20 Junii 1602, ex quo Nugnus infert non modo exclusionem et profligationem cujusvis alterius confessionis per literas et internuncium; sed etiam nominatim ejus, quam examinandam præsertim suscepimus, de subito obmutescente, qui prius confessarium evocasset. Ait igitur Nugnus Clementem et expresse et formaliter determinasse, temerarium esse ac falsum et scandalosum asserere, quod possit absolvi infirmus jam privatus sensibus, etiamsi prius, dum esset sui compos, vocari curasset sacerdotem, et signis externis suum de peccatis dolorem et suam de eis confessario exponendis voluntatem expressisset; deque hac ejus voluntate testimonium perhibeant qui affuerant. Hanc enim fore confessionem per internuncium a Clemente damnatam, affirmat Nugnus, non absque stomacho in Suaresium, cap. 4, III part., disp. 21, sess. 4, ausum dicere, eam esse sententiam communem, cui ipse quoque Suarez adhæret.

2 Ut huic argumento satisfiat, referendum in primis est ipsum Clementis decretum, latum in congregatione inquisitionis in monte Quirinali habita, coram ipso pontifice, anno illo 1602, Junii 20. Verba decreti sunt : *Proposita quæstione utrum liceat per literas seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere : Sanctissimus D. N. auditis votis patrum theologorum et re cum illustrissimis et reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus mature ac diligenter considerata : hanc propositionem, scilicet, licere per literas seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, et scandalosam damnavit ac prohibuit : præcepitque ne deinceps ista propositio in publicis privatisque lectionibus, concionibus et congressibus doceatur; neve umquam, tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur.* Subdit mulctam excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto incurrendæ et soli ipsi pontifici extra mortis articulum reservatæ, aliarumque pœnarum pro arbitrio infligendarum, in eos qui secus fecerint. Observat porro Nugnus circa hoc decretum, ex eo haberi, quod quamquam pontifex doctrinam illam quam damnat, vocaverit dumtaxat *falsam, temerariam, scandalosam et in nullo eventu probabilem*, possit tamen adhuc tetrioribus notis inuri; cum in decreto dicatur eam doctrinam *ad minus* notari ut talem. Nam eo ipso quod esse *ad minus* talis, affirmatur, insinuatur plus tali sub eo ulcere premi, quod alia severiore censura educi queat. Addit item Nugnus, ex hoc decreto haberi, doctrinam, in eo damnatam, numquam fuisse probabilem et semper habitam esse in Dei ecclesia temerariam, perstringitque Suaresium, eo quod tom. IV, III part., disp. 19, sess. 3, scripserit sententiam, a pontifice damnatam, ante damnationem fuisse probabilem. Et quamquam Suarez aliquos auctores Clemente anteriores pro ea sententia adducat et aliquas rationes, quas putat potuisse illi tunc temporis probabilitatem conciliare; nihilominus contendit Nugnus, defuisse semper probabilitatem illi sententiæ; quia neque auctores qui pro ea adducuntur, loquuntur aperte : neque rationes, quibus eadem sententia fulcitur, sunt revera idoneæ, imo ne probabiles quidem sunt et nullo prorsus veritatis colore obducuntur. Sic statuit Nugnus de omni plane confessione per literas vel internuncium; comprehenso eventu, de quo S. Leo, in quo sacerdos evocatus ad audiendum moribundum, jam de nullo peccato confitentem, nec exterius per signa coram ipso sacerdote dolentem, ob præ-

clusum loquelæ vel etiam rationis usum, impendat tali ægro absolutionem.

3 Liquet magnam esse Nugni concitationem in sententiam propositam : quandoquidem eam quoad omnes modos, quibus proponi potest, etiam quoad eum, qui a S. Leone et a conciliis supra adductis decisus est, negat umquam fuisse probabilem. Cæcutiverunt ergo tam multi DD. qui ei sententiæ quoad varios modos, in quibus potest habere locum, adhæserunt ante Clementem, ac etiam post eum, in sensu quem infra exponam. Et nominatim in modo deducendi eam sententiam ad praxim, circa quem est responsum S. Leonis, cæcutivit ipse S. Leo, tradens ex cathedra (nam ex calce epistolæ constat non fuisse responsum privatum), doctrinam circa ægros subito obmutescentes servandam, quæ ne probabilis quidem umquam fuerit et nullo prorsus verisimilitudinis colore obducatur. Nam conciliorum Carthaginensis et Arausicani, idem quod S. Leo tradidit statuentium, minor erit cura Nugno; qui perspectum habeat concilia provincialia, (cujusmodi illa fuerunt), errare posse. Ut tamen non urgeam, an illa concilia fuerint a pontifice confirmata, in quo eventu facerent certam fidem; incredibile videtur plerosque sapientissimos episcopos, qui illis conciliis interfuerunt, adeo exoculatos fuisse, ut sententiæ alicui inhæserint, eamque in publica praxi ecclesiæ esse voluerunt, nulla, ac ne probabili quidem ratione permoti. Ac ne S. Hilarii Arelatensis, qui concilio I Arausicano præfuit, sapientiam insignem urgeam, qua fronte Nugnus de duobus conciliis Carthaginensibus, quibus S. Augustinus subscripsit, asserere audebit, ea ne probabilem quidem habuisse rationem, statuendi quod ex illis retulimus, de absolvendo sacramentaliter eo qui subito obmutuisset, si qui aderant de ejus prævia voluntate confitendi testimonium ferant? Itaque nullo modo probabile, sed plane reprobum habendum est, quod effutivit Nugnus, de nulla umquam probabilitate doctrinæ, quam vult a Clemente octavo damnatam, comprehenso eventu illo de obmutescentibus subito, post expressam confitendi voluntatem. Et quamvis daremus, eam doctrinam quoad omnes modos, quibus proponi potest, fuisse a Clemente damnatam : nihil tamen vetaret, potuisse modos illos dicendi omnes aut aliquos ante damnationem asseri cum probabilitate. Multa enim, affusa majori luce improbantur sequentibus temporibus, quæ prius poterant videri probabilia : eo quod viris doctis probarentur, nec deesset rationis verisimilis tectorium et tamen reipsa sorderent falsitate. Variis exemplis hoc illustrat Gillius libro 1, cap. 13, num. 2. V. g. olim erat sub opinione, an habitus gratiæ infunderetur parvulis in baptismo : nec concilium Viennense, ut habetur cap. *majores* de baptismo, sententiam id affirmantem approbavit, nisi ut probabiliorem. Nunc autem post Tridentinum sess. 6, can. 11, contraria sententia, quæ prius erat probabilis, spoliata est omni probabilitate, quia in hæresim transiit. Similiter graves quidam doctores confirmationem et unctionem extremam, per apostolos institutas dixerunt, non absque probabilitate, qua ea sententia nunc caret, quia concilium Tridentinum contrarium definivit. Potuit ergo doctrina, a Clemente damnata, esse probabilis ante eam damnationem. Quod autem Nugnus, in eadem doctrina quam prætendit a Clemente damnatam, plus veneni latere vult, quam notæ a pontifice inustæ ferant, ex abundantia concitationis dictum est. Nam illa verba decreti, *ad minus*, non sonant plus vitii introrsum latere : sed quod istud expresse signatum subsit, negari non posse; sive plus mali reipsa lateat, sive non lateat.

4 Hac prolusione ad argumenti propositi enodationem præmissa, subjiciendum est quid Suarez respondeat ad argumentum propositum, ductum ex decreto Clementis. Ait ergo Suarez decretum Clementis ferire dumtaxat copulatum ex duplici membro; quod copulatum complectitur absolutionem absentis; ita ut non damnetur divisim utrumque membrum propositionis ibi rejectæ, sed dumtaxat totum complexum, quod ratione unius sui membri potest sordere falsitate; quantumvis seorsim, alterum illorum membrorum possit nitere, et labe vacare. Nam cum Marci X dicitur : *Qui dimiserit uxorem suam, et alteram duxerit, adulterium committit super eam*, certum est dimissionem uxoris justa de causa non damnari adulterii; sed tantum quod altera ducatur : super quam verum est committi adulterium. Similiter hæc propositio : *homo est animal rationale, et habet sibi connaturalem divinam gratiam;*

quoad primum membrum, vera est et labis pura; quamvis ratione secundi membri sordeat hæresi. Pontifex ergo in re nostra damnans propositionem ex duplici membro contextam, non intendit utrumque ejus membrum seorsim sumptum subjacere censuræ a se intortæ : quia juxta sanctum Thomam in 1, dist. 14, quæst. 1, artic. 1, ad 5, sufficit si copulatum, ex utroque membro coalescens, ratione saltem unius membri sordeat falsitate, sitque damnabile. Porro Clementem spectasse totum copulatum complexive non divisive, inde colligit Suarez, quod Clemens semper loquitur de assertione a se improbata, tamquam de una propositione. *Hanc* (inquit), *propositionem, scilicet, licere per literas, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem percipere, damnavit ac prohibuit.* Toto reliquo decreto agitur de una propositione : ac proinde illud *et* quo duo membra improbatæ doctrinæ vinciuntur, non sumitur divisive, sed complexive : potestque verum manere, quod nemo possit confiteri per literas aut internuncium sacerdoti absenti, et ab eodem absente absolutionem obtinere; quamvis verum sit posse quempiam in aliquo eventu exponere peccata sua sacerdoti absenti; consecuturus postea absolutionem ab eodem jam præsente. Ita quidem ad argumentum propositum Suarez.

5 Reponit Nugnus *hanc explicationem esse summulasticam et puerilem, et firmari argumentis prorsus impertinentibus; et magis impertinens esse ad illa respondere; cum summus pontifex vivæ vocis oraculo mentem suum explicuerit, ut constat universali ecclesiæ.* Et agens de neganda absolutione ægro, qui subito obmutuerit, contendensque expositionem peccatorum et absolutionem, tamquam materiam et formam ejusdem artefacti sacramentalis, poscere essentialiter coexistentiam et temporis ac loci simultatem : *Totum hoc* (inquit) *continetur expresse in citato decreto, et explicuit postea summus pontifex viva voce; ut scit universalis ecclesia.* Joannes item de Chappeaville tract. de administ. sacramen. temp. pestis cap. de sacramento pœnitent. quæst. 30, refert se accepisse a DD. Lovaniensibus Joanne Clario et Fabricio, cardinalem Bellarminum dixisse mentem Clementis fuisse damnare divisive utrumque membrum propositionis in decreto suo expressæ. Alvarez quoque in responsionem, ex Suaresio adductam, valde effervescit diffic. sæpe citata num. 34 et 35, eo quod (ut ait) Clemens aperte damnet utramque partem divisim. Et vero juxta Alvarum, in rigore sermonis, particula *et* non sumitur complexive, nisi ponatur a parte subjecti, et illi correspondeat verbum pluralis numeri; ut in hac propositione, *quatuor et tria sunt septem;* quæ vere est de subjecto copulato, cui respondet verbum pluralis numeri. At in propositione damnata, quia est copulativa, et improbata est ut copulativa, damnatio cadit divisim in utrumque membrum : alioqui sicut Suarez posterius dumtaxat membrum admittit esse divisim damnatum, non item primum, ita alius poterit contendere solum primum membrum esse damnatum, non autem secundum. Addit denique Alvarez Clementem præcipue damnare voluisse primum membrum; quia de eo potissimum fuerat interrogatus : quippe de quo solo mota erat controversia. Coquetius capite quinto insuper addit pontificem per decretum sic explicatum fieri ridiculum; quia nesciretur quod voluisset definire; ac proinde concludit fatendum esse *et* in decreto Clementis sumi pro *vel*, ut sæpe alias juxta Albericum in Lexico et Calvinum in eadem voce : constatque ex lege *cum quidam* C, de verbor. signific. et ex lege *sæpe* ff, eodem.

6 Manifestissimum est responsionem, a Suaresio propositam, valde anxios habere adversarios, cum tantopere adversus eam commoveantur. Et Nugnus quidem, qui solis contumeliis agit, leniendus est ea Origenis allocutione ad Celsum, contumeliosum Epicuræum, lib. 1, *in ipso fine :* « Maledicta convitiaque jaculari non est disputatoris, sed plebeium et indignum philosopho vitium ac furoris judicium; cum deberet rem propositam examinare candide et quantum fieri potest, nihil alienum ab ea dicere. » Despuenda sunt ista, non imitatione exprimenda sapientibus. Consilium est Juliani imperatoris, orat. 6 admonentis, a præstantibus philosophis, (quales ipse exhibet Cynicos), illuviem verborum probrosorum, qua perfundebantur ab insipientibus, non secus fuisse floccifactam, quam catulorum ad judicialium basilicarum vel scholarum fores fœtum

profluvium. D. vero Augustinus, cur a reponendis Pætiliano pecori maledicentissimo convitiis abstineret et quæ hæreticus ille profuderat nihil ducere satius existimaret, illud sapienter retulit : *Si vellem maledictis maledicta rependere, quid aliud quam duo maledici essemus?* Itaque Nugnum dimittamus in suo verborum cæno. Quod autem semel et iterum ingerit pontificem postea vivæ vocis oraculo mentem suam aperuisse et jussisse folium, quo responsum hujusmodi continetur, amoveri, ut scit universalis ecclesia; diluendum est, respondendo, si is pontifex, de quo agit Nugnus, fuit Clemens (ut sane fuit, juxta Nugnum, asserentem eum postea explicasse suum decretum), constat totam ecclesiam ignorare hoc ejus oraculum. Imo, teste archiepiscopo Armachano, pontifex Clemens explicuit postea suum decretum; ita ut non comprehenderit eventum, de quo egerat S. Leo, atque adeo de quo Suarez præsertim agebat et a Nugno absurde rejicitur, fingendo pontificia oracula, quæ ipse solus scit et nullus præterea. Nec singulare est in hac materia, ut ab iis quorum interest, multa referantur prodita vivæ vocis oraculo a pontificibus, de quibus ipsi ne cogitarunt quidem. Exempla complura signant Franciscus Annatus in quæstione historica de auxiliis, subtexta operi de scientia media, et Joannes Martinez de Ripaldo tomo II de ente supernaturali disput. 115, sect. 8, 11 et 13. Et addendum est, luculentum vivæ vocis oraculum Urbani VIII a Hyacintho Coquetio, cum quo agimus, ex joculari relatione nobis comperta, proximis hisce annis vulgatum, in opere *de visceribus maternis B. Mariæ erga ordinem prædicatorum*. Refert enim bonus hic Coquetius testatum esse Urbanum vivæ vocis oraculo faciem Thomæ de Lemos abs se visam radiis promicantibus præfulgentem, quoties ille de auxiliis disputaret; contestante Deo, doctrinam, pro qua ipse Lemos certabat, de gratiæ motionibus humanæ voluntati incluctabilibus, cælestem esse : quæ narratio ab ipso Urbano mendacii revicta est, et liber ille Coquetii fabulini jussus proscribi. Itaque de vivæ vocis oraculo, quod a Clemente emissum refert Nugnus, fidejussorem postulamus, pace ejus salva; quia hujuscemodi Clementis oraculum solus Nugnus scit et tota ecclesia ignorat. Atque ita universus Nugni fragor in responsionem, a Suaresio assignatam ad Clementis decretum, evanescit. De testimonio item Bellarmini, quod nullus refert nisi hostis vel suspectus, facile dicitur, Joannem Chappeaville nude et simpliciter retulisse quod acceperat, quamvis relatio esset absque fundamento. Certe in contrarium est, quod Bellarminus liquido testatus est mentem Clementis fuisse non discrepare a S. Leone, idque diserte asseruisse Clementem; qui tamen cum S. Leone colliderctur, si utrumque illud membrum propositionis damnatæ voluisset divisim improbare. Quare responsio data a Suaresio ad argumentum, ductum ex decreto Clementis, non est eversa a Nugno.

7 Nec fortius adversus eam egit Alvarez; assumit enim quod probandum est, et aliqua assuit a vero aliena. Quod enim assumit Clementem aperte damnare utramque partem divisim, idipsum est, quod probare oportuerat, non autem ut per se evidens assumere. Clementem vero fuisse præcipue interrogatum de expositione peccatorum facta per literas, Clemens ipse negat; asserens in decreto, fuisse propositam quæstionem, de confectione integri sacramenti pœnitentiæ per absentes. Magna item scandala et pericula expositioni illi peccatorum adjuncta, quæ præcludere voluisse Clementem ait Alvarez, numquam vere sunt oborta; (numquam enim auditum est talem peccatorum expositionem fraudi aliquibus fuisse) : et dato quod vere oborta essent, non plus essent adscribenda illi modo exponendi peccata, quam tribuuntur expositioni vocali ea scandala quæ oriuntur, cum sacerdos nequam immani sacrilegio retegit pœnitentis confessionem. Itaque gratis fingitur Clementem præcipue intendisse evertere incommoda vulgationis, cui ea expositio peccatorum suapte natura est obnoxia; cum revera tantum intenderit, prospicere invaliditati totius sacramenti pœnitentiæ, inter absentes celebrati, cum clade animarum, ex falsa suppositione quod sacramentum posset, eo modo peragi; ut ferebat multorum Thomistarum et aliorum quorumdam doctorum sententia.

8 Jam quod addebat Alvarez particulam *et* in rigore sermonis sumi complexive, nisi ponatur ex parte subjecti, eique correspondeat verbum pluralis numeri; hoc, inquam, si verba Nugni usurpanda essent,

disceretur *summulisticum et puerile*. Sed abstinendo ea verborum illuvie, dicendum est falsitatem hujus impugnationis patere ex illo Christi effato apud Marcum : *Si quis dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium facit super eam*. Ubi propositio *et* non ponitur ex parte subjecti, aliter quam in propositione damnata in decreto Clementis : nec ei conjunctioni, a Marco adhibitæ, correspondet verbum pluralis numeri : et tamen *et* sumitur complexive, non divisive. Idem cernitur in hac propositione damnabili : *licet dare mutuum infideli et aliquid ab eo ultra sortem accipere*, ubi conjunctio *et* sumitur complexive; ita ut secunda tantum pars propositionis, si divisim sumatur, damnari debeat. Et tamen conjunctioni *et* non correpondet verbum pluralis numeri; nec ponitur ex parte subjecti, sed vinculat utramque enunciationem partialem, respectu totalis, copulatæ ex duabus integris. Idem ergo cernitur in propositione a Clemente damnata. Nec valet quod addit Alvarez; si *et* in ea damnatione sumatur complexive, fas fore utrumque propositionis membrum seorsim sumptum admittere : ita ut quemadmodum expositio peccatorum potest juxta Suaresium fieri per literas, non obstante decreto; ita possit quoque absolutio, de qua est alterum membrum, conferri per literas. Hoc dico non valeri : quia per collationem absolutionis consummatur totum sacramentum ex peccatorum expositione moraliter perseverante et judiciali forma contextum. At confectio totius hujus sacramenti per literas est damnata : quia non cohæret cum veritate formæ : quod incommodum non urget sacramentalem peccatorum expositionem absenti factam per literas.

9 Quare universa Alvari argumentatio contra responsionem, a Suaresio assignatam, rimas agit. Et optime habet, quod ipse Alvarez numero quinquagesimo ultro dat Clementem VIII non intendisse decretum suum extendere ad eventum, de quo Sanctus Leo agebat; nempe de subito obtumescente, præmissa expressione voluntatis confitendi. Hoc enim dato, (quod unum nunc usque versavimus), decretum Clementis eas tantum peccatorum expositiones absenti factas reprobaret, quæ multo minus habent difficultatis, ut infra videbimus. Consideratione item dignum est, quod idem Alvarez, qui adeo ægre fert decretum Clementis exponi sumpta præpositione *et* divisive, non complexive : numero quadragesimo sexto eodem modo interpretatus est decretum concilii Carthaginensis tertii, quod ipse ex concilio Arausicano allegarat numero 18. Ait enim verba illa decreti, quibus jubebatur baptizari oppressos et similiter absolvi, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint, sic accipienda esse divisive, ut sensus sit, *baptizentur, si testimonium habeant a suis : absolvantur autem, si ipsi per nutus sacerdoti præsenti culpas suas patefecerint*. Quam interpretationem illius concilii argumentis nullius momenti impetitam esse affirmat Alvarez, eamque habet pro idonea. Et tamen eodem modo procedit, quo explicatio decreti Clementis a Suaresio assignata. Aliunde tamen est plane inepta : quia quod Alvarez addit de nutibus, non additur a concilio : alioqui æque essent deposcendi nutus pro baptismo. Est ergo fictitia concilii perversio, longe minus concilii decreto quadrans, quam Suaresii interpretatio quadret decreto Clementis : quod uno tenore utrumque membrum in quæstione propositum complectitur.

10 Itaque responsio a Suaresio assignata argumento ducto ex decreto Clementis, perstat inconcussa. Tantum enodanda est difficultas, ducta ex posterioribus decretis, contra eam responsionem latis sub Paulo V, anno 1605, Julii 14, nec non 20, ac 18 Augusti, ut late refert Petrus de Fay in supplemento III part., quæst. 9, art. 3, disp. 3. In illis enim decretis dicitur *interpretationem decreti Clementis*, a Suaresio propositam, *non subsistere*, et ideo amovendam esse ab ejus libris. Ita ut a sectione 1, disputationis 23, num. 12, amoveantur omnia; ab illis verbis *atque ex hac resolutione*, usque ad *in absentia confessoris*. Tota vero sectio 4 disputationis 21 resecetur, nec substituatur alia ejus loco. Exultat hic frater de Fay et tota fratrum corona; nec pauci pro doctrina Suaresii stantes, seposita mentione et interpretatione Clementis, abjiciunt hastam, ut cardinalis de Lugo disput. 17 de pœnit. sect. 4, num. 65 et Aversa quæst. 10, de pœnit. sect. 17 § *huic autem*, nec non Chappeaville libro de sacr. tempor. pestis cap. de pœnit. quæst. 30, qui ob hæc posteriora decreta censent aliter esse interpretandum decretum Clementis, quam Suarez

sit interpretatus. Sed an revera aliud dicant quam Suarez videndum superest.

11 Cardinalis ergo ait Clementem egisse de confessione stricte sumpta, quæ est judicialis expositio culparum, facta per reum apud suum judicem; qui in hac causa est sacerdos. Rituale autem et doctores supra adductos affirmat, non dissentiente Clemente, agere de confessione extrajudiciali, sita in voluntate confitendi sua peccata : qualem extrajudicialem confessionem censeretur facere noxius, eo ipso quod notarium advocaret ea mente, ut scripto comprehenderet confessionem animo destinatam. Ita cardinalis. Aversa vero ait Clementem damnasse tantum pro omni evèntu absolutionem absentis : confessionem autem absentis tantum damnasse, cum fit extra gravissimam necessitatem : non rejecisse autem talem confessionem, cum pœnitens summa necessitate laborat, ut fit in eventu hominis subito obmutescentis. Aliter decretum Clementis et posteriora ei inædificata declinare satagunt alii. Nam factam ab oppresso peccatorum expositionem ajunt non fieri in absentia, sed in præsentia : quod probat Chappeaville libro de sac. temp. pestis cap. de pœnit. sacr. quæst. 30, eo quod ponendum sit confessarium statim supervenire, qui ex testimonio circumstantium morientis dispositionem examinet. Itaque salvum manet decretum Clementis, absque recursu ad sensum divisivum; nec incommodatur decretis conciliorum et S. Leonis, quia in eventu de quo agunt, expositio peccatorum fit sacerdoti præsenti, non autem absenti; quod unum Clementis decreto, per posteriora decreta firmato, est constitutum. Subscribit huic interpretationi Sylvius ad quæst. 9 supplementi, tertia parte, art. 2, quæst. 4. Ait enim, cum is qui obmutuit absolvitur, non esse censendum, confessionem fieri absenti; quia sacerdos examinat pœnitentis præsentis dispositionem, quam ex testium præsentium depositione cognoscit. Denique alii dicunt confessionem in eventu proposito fieri præsenti, sed per interpretem; hoc est, per testes præsentes. Ita Vasquez tertia parte, quæst. 91, art. 4, num. 32 et Tannerus quæst. 9, de pœnit. dub. 1, num. 15.

12 Hæc sunt, quæ ut decretis illis posterioribus satisfieret, exclusa Suaresii responsione ad Clementis decretum, a variis sunt prolata. Revera tamen nihil eorum satisfacit, nisi recidat in sententiam et responsionem a Suaresio traditam. Nam primum, ut verba sonant, nullo pacto potest admitti. Clemens enim reprobat omnem confessionem peccatorum sacramentalem. Vel ergo illa confessio, late dicta, est tota confessio sacramentalis, atque adeo etiam judicialis, quippe integrans sacramentum pœnitentiæ, quod essentialiter est judicium, ut definivit Tridentinum; et sic improbatur a Clemente damnante confessionem idoneam ad integrandum proprie dictum judicium sacramentale. Vel non est vera confessio sacramentalis : et sic S. Leo et concilia prolata approbaverint sacrilegium; quale est absolvere sacramentaliter absque prævia confessione, vere sacramentali. Quod ergo hæc interpretatio asserit voluntatem confitendi, (vel potius confessionem, quæ ex tali voluntate præsumitur), haberi pro confessione quasi extrajudiciali, quia est minus explicita, nec tam expresse formalis, quam illa quæ est accusatio distincta et tamen ex Christi institutione de sensu S. Leonis et conciliorum sufficit ad compactionem sacramenti pœnitentiæ : hoc inquam, rejectis verborum involucris, quibus placuit uti, ut novum aliquid dici videretur, id ipsum est quod Suaresius ait, expositionem peccatorum absenti sacerdoti virtualiter sive implicite, tametsi actu factam et moraliter perseverantem, sumptam seorsim et divisive ab absolutione, per absentem sacerdotem collata, non damnari a Clemente : ac proinde hæc interpretatio decreti Clementis, quæ tamquam nova obtruditur et discrepare ab ea quam Suaresius dedit, affirmatur : ut sit ad rem nec aliquid contineat contra rationem hujus sacramenti, est reipsa eadem cum interpretatione data a Suaresio : a quo tamen cardinalis, adhibitis umbrosis verborum pampinis, videri voluit dissidere, qualia apud aliquos occurrunt non semel.

13 Atque in eam Suaresii interpretationem recidit, quod ajebat Aversa, quatenus ait Clementem damnasse pro omni eventu absolutionem absentis : confessionem autem absentis tantum damnasse, si adhibeatur extra necessitatem extremam; quamvis in ea necessitate possit adhiberi. At hoc ipsum est, quod Suaresius ait et nihil præterea; Suaresius enim, cum ait Clemen-

tem sumpsisse divisive membra propositionis damnatæ et non damnasse membrum quod spectat ad expositionem peccatorum absenti factam, si sumatur seorsim a posteriore membro, ut sumi potest; non intendit de mente pontificis illud primum membrum propositionis posse ad praxim revocari extra gravissimam necessitatem : sed ea necessitate urgente, fatetur decretum Clementis quoad primum illud membrum accipi debere divisive. Et hoc ipsum dicit Aversa, cum quo nunc agimus. Ergo secunda hæc interpretatio decreti Clementis est illa ipsa quæ est a Suaresio data; a qua hic auctor in speciem videri volebat discedere.

14 Addebatur interpretatio tertia, dicendo Clementem exclusisse solam expositionem peccatorum, factam absenti sacerdoti; in eventu autem, de quo S. Leo egit et ob quod Suarez explicationem decreti Clementis superius recitatam adornavit, expositionem culparum fieri præsenti; eo quod confessarius statim supervenire supponatur, nec inter ægri petitionem, exterius significatam, et adventum sacerdotis ab absolvendum interjiciatur mora, confessario confestim advolante. Hæc tamen interpretatio decreti Clementis, est paries inclinatus et materia depulsa. Quid si enim confessarius non ita cito superveniat? Potest enim serius accepisse nuncium, potest item magna capedo intercedere, quam non potuerit adeo festinato decurrere, ut statim post ægri petitionem superveniret. Aliqui etiam non sunt volucris ingenii, sed lenti ac plumbei. Debebitne igitur lentitudo et morositas confessarii misero ægro fraudi esse? Quid si etiam cum confessarius ægro adest, dilapsi sint omnes testes, ex quorum præsertim relatione examinet ægri conscientiam, ut possit dici peccatorum expositionem præsenti a præsente in suis administris factam esse? Nemo non videt, hujusmodi interpretatione, præsentiam ægri prius confessi allegante, captari latebras : nec sincere agendo, negari posse, quin illa peccatorum expositio facta sit sacerdoti absenti per ægrum, tunc ab eo abjunctum. Unde si decretum Clementis non accipiatur divisive quoad primum membrum copulati in eo damnati, neganda esset absolutio ægro subito oppresso; contra decreta antiqua S. Leonis et conciliorum superius adductorum.

15 Denique quod Vasquez et Tannerus referebant potius quam asserebant, ut subsistat, debet in responsionem a Suaresio assignatam recidere. Nam testimonium eorum, qui præsentes fuerunt, potest exhiberi sacerdoti absenti, ita ut ipse sacerdos ad ægrum adveniens nullum reperiat qui attestetur voluntati præteritæ ægri jam oppressi. Et tamen tunc sacerdos, ex notitia cum abesset comparata, potest ac debet absolvere ægrum præsentem. Ergo expositio peccatorum facta est absenti. Neque vero cum adsunt testes, in ægri præsentia testantes de ejus præterita dispositione, confessio quæ est pars sacramenti, est actus testium, sed ipsius pœnitentis, cum sui compos esset a quo tunc aberat sacerdos. Igitur confessio, id est, peccatorum expositio, facta est in absentia sacerdotis (quod unum asserit Suaresium) ac proinde damnatio confessionis in absentia per Clementem facta, non est sumenda divisive, sed complexive; quæ erat Suaresii interpretatio, a qua volebant videri dissidere, qui istam protulerunt, tamquam diversam ab interpretatione Suaresii. Testium porro cum interprete comparatio, quæ adhibetur in hac interpretatione decreti Clementis, non subsistit ex omni parte; sed tantum quoad hoc, quod et interpres et testes enuncient voluntatem pœnitentis; iste ob ejus corpoream indispositionem; ille ob idiomatis confessario comperti ignoratianem in pœnitente. Cæterum interpres, qui est merus interpres, excipit præsens expositionem peccatorum, factam a pœnitente, et absque mora eam renunciat confessario præsenti; quæ in teste possunt deesse. Itaque expositio peccatorum, facta per testes, non facit ut confessio, quatenus expositio peccatorum, fiat præsenti a præsente per interpretem; sed potest fieri ab ægro absente, ut Suarez loquebatur: in quem proinde recidunt isti; ut verborum officiis ingestis videri velint ab eo discedere.

16 Quare fatendum est responsionem, assignatam a Suaresio, ad argumentum petitum ex decreto Clementis esse idoneam, (si res ipsa attendatur;) nec tantum non esse improbabilem, sed etiam plane esse probabilem et simpliciter veram, ac tuto in praxi usurpandam; nec contradicere ulla ratione decreto primo Clementis, aut illis posterioribus; quæ quamvis sint longe inferioris notæ, quam decretum Cle-

mentis, sunt tamen ipsa quoque in suo gradu et ordine venerabilia. Ajo esse inferioris notæ quam decretum primum Clementis : quia decretum illud Clementis prolatum est ex cathedra, pontifice proponente doctrinam universaliter amplectendam ab omnibus fidelibus in materia spectante ad doctrinam fidei : cujusmodi decreta faciunt rem plane certam, nec ullo modo sunt obnoxia errori. Et quamvis alia fortassis esset mens eorum qui Clementem ad illud decretum pertulerunt; (fuisse suos ait Nugnus disputatione superius notata, et Coquetius capite 2 dissertationis;) cui suggestioni si ad eorum mentem inhæsisset pontifex, periculum erat ne ejus decretum cum doctrina S. Leonis et antiquorum conciliorum cum magna implexitate fidelium collideretur; tamen providit Deus ut verba, quibus decretum conceptum est, talia essent, ut decretum omnino recte haberet et probe cum antiqua doctina cohæreret : sicut decretum Caiphæ contra Christum ex mente Caiphæ erat teterrimum : spectatis autem verbis, quibus expressum est, fuit oraculum Spiritus sancti. In hujuscemodi ergo decretis non attenditur quid intenderint qui ea confici curarunt; ac ne illud quidem attenditur, quod in animo suo habuit pontifex decernens; sed tantum attenditur, quid verba ferant, quibus decretum est conceptum. Nam illa sunt quæ continent doctrinam publicam, omnes fideles obligantem.

17 At posteriora illa inferioris notæ decreta non spectant ad materiam fidei; nec proponuntur ex cathedra, sed tantum judicialiter a pontifice per se vel suos administros feruntur, præfixo pontificis nomine; sicut laici senatus decreta emittuntur nomine regis, ut plurimum de eis plane nescii. Itaque merito dico hæc posteriora decreta non esse tantæ firmitatis et dignitatis, quantæ priora. Et illis posterioribus intervenire posse aliquid humanum ac etiam errorem omnes æque consentiunt, uno dempto F. Gravina ordinis Prædicatorum, qui per adulationem putentissimam effutivit, omnia quæ in quibusvis Romanis congregationibus, pontificia auctoritate constitutis, decernuntur, certa esse et nulli errori obnoxia, ob specialissimam Dei providentiam, qua judices donantur infallibilitate in decernendo. Vix oculis meis credo, cum asseveranter ab eo traditum lego, tomo IV, præscrip. contr. 3, art. 3, dub. 2, pag. 115, nullum decretum Romanæ alicujus congregationis ex iis, quas Sixtus V erexit, posse esse fallibile, propter assistentiam summi pontificis in ea curia; et quia numquam potest esse deceptio aut error in clero Romano. Vides quam jure Antonius Saura, tract. de primis instantiis et aliis recursibus, in propositione status controversiæ § 1, pagin. 56 dixerit : *Nullus a condita ecclesia dixit de pontifice, quod Gravina scripsit de Romanis congregationibus. Scilicet congregationes sacras de ritibus, de regularibus, de indice, de S. Officio, errare non posse, etiam in quæstionibus de facto, neque posse decipi per subreptionem, vel fraudem informantium, neque etiam, inaudita parte, judicium illarum esse fallibile.* Notat ibidem Gravina ut suspectum de fide quemdam aliter decernentem. Hoc vero est dilatare absque modo phylacteria auctoritatis a Christo tributæ S. Petro, ac ejus successoribus, in tradendis fidei dogmatibus, ac declarationibus Sanctorum morum. Quam infallibiter dicendi auctoritatem, ne conciliis quidem generalibus præcise a pontifice sumptis competentem, palpo iste ad tot congregationes diffundit. Non ita Laurentius de Peyrinis, cui omnia hujusmodi congregationum Romanarum scita extra ea, quæ pontifex e cathedra docens in eis emittit, quæ non sunt congregationum, sed ipsius pontificis magistri fidei decreta; (quale fuit nuperum Innocentii X decretum de ecclesia bicipiti in congregatione inquisitionis emissum;) ait non plus habere ponderis quam sententias doctoris privati. Ita ille adducens plerosque doctores tomo primo de subdito, quæst. 1, cap. 25 sub finem. Decreta ergo illa posteriora, sive ipsius Clementis, sive Pauli, cum sint hujus secundi generis, non pollent tanta auctoritate quanta decretum primum Clementis, quia non sunt lata a pontifice ex cathedra; nec raro hujusmodi decreta (quod de Parisiensis academiæ decretis ajebat ex Ægidio et aliis Capreolus in 2, dist. 2, quæst. 1, § 1, Gregor.) emittuntur *ad requæstam aliquorum capitosorum*. Et circa ea potest imponi pontificibus doli nesciis et præ mole negotiorum multa permittentibus discussioni aliquorum, interdum suis affectibus velificantium; alioqui, ut alia multa exempla quæ ad manum sunt prætermittam, illa

decreta, nomine sanctissimi edita, essent censenda prolata ex cathedra : *B. Virgo incurrit debitum peccati originalis. B. Virginis Conceptio passiva* (id est prima animatio) *non est dicenda immaculata; quamvis dici possit eam fuisse expertem peccati originalis. Communio alii quam sumenti prodest ex opere operato.* Quæ et alia præfixo nomine *sanctissimi* prodierunt : et tamen est extra dubium nihil tale decisum esse ex cathedra.

18 Ad hanc amussim exigenda sunt posteriora illa decreta : in quibus, quod dicitur interpretationem a Suaresio datam circa Clementis decretum non subsistere, accipiendum est ex suppositione decreti, primum a Clemente, tum a Paulo V emissi, de excludenda quavis interpretatione decreti Clementis; sed eo, ut jacet, referendo, quod quævis glossa apposita, præsertim superstite ipso Clemente, videretur famam ejus deterere, quasi emisisset decretum, cui opus esset doctorum declarationibus, ne collidi videatur cum anterioribus ecclesiæ decretis. Hoc enim est, quod Clementi, dum superstes esset, suggessere æmuli Suaresii, mussantes dedecuisse prorsus, legis auctore in vivis perstante, aliunde quam ex ejus ore petitam interpretationem appingere decreto per eum lato. Et id quoque respexit Paulus V, qui, quamvis dum cardinalem ageret, causam Suaresii egerat et foverat; tamen quod se obnoxium Clementi agnosceret, ob acceptam ab eo purpuram, ita voluit doctrinam Suaresii servari in ecclesia, prout in rituali eam servavit : ut tamen omnis memoria decreti Clementis et interpretationis ad illud appositæ a Suaresio, expungeretur. Itaque quod dictum postea est coram Paulo, Suaresii expositionem *non posse subsistere*, non quatit soliditatem doctrinæ, a Suaresio propositæ, neque doctrinam illam secundum se sumptam reprobat; sed prout adjunctam decreto Clementis. Nam si de Suaresii doctrina, secundum se spectata, diceretur quod non possit subsistere, contradiceretur primum ipsimet Clementi, quem testes omni exceptione majores professi sunt asseruisse, numquam sibi in mentem venisse comprehendere in suo decreto eventum de quo agebat sanctus Leo; quin potius se, dato eo eventu, absolutionem impensurum ægro. Contradiceretur item rituali, confirmato a Paulo V, ac denique contradicere-

tur aliis antiquis decretis supra adductis, quibus certum est nullum pontificem posteriorem contradicere voluisse. Atque ita subsistit et manet verum, quicquid Suarez dixit; quamvis propter honorem Clementis, non placuerit dici et jussum sit expungi e volumine, quicquid Clementem attingebat. Et tamen hoc totum, quia ad doctrinam non spectat, intactum perstat, non modo extra terras obedientiæ, sed etiam in indice expurgatorio jussu inquisitionis Hispaniæ edito, contra quam falso refert Coquetius dissert. de hac re cap. 3, *in fine*.

19 Non incommode porro ad declinandam invidiam incursus in posteriora decreta, sive Clementis, sive Pauli, dimissis terminis illis *divisive et complexive*, qui quod vivente Clemente adhibiti sint, displicuerunt; diceret quispiam, primum Clementis decretum, quod cætera firmandum susceperunt, excludere sacramentum integrum confessionis, factum per literas vel internuncium; quia in sacramento integro, comprehenditur absolutio, quam certum est non posse nisi præsenti a præsente veris verbis conferri : non tamen excludere partem materialem sacramenti, absenti interpositis nunciis aut literis patefactam. Ita diserte, etiam post decretum Clementis et Pauli, Fernandus de Moure in exam. cap. 7, § 6, num. 30, Zambranus cap. 4, dub. 2, section. 3 et Kelissonus in supplemento quæst. 9, art. 3, dub. 3. Perinde porro erit, si quis dicat in aliquo eventu, admodum urgente, eo quod agatur animæ salus, inchoationem sacramenti quæ sola peccatorum expositione continetur, posse absente sacerdote peragi : quamvis consummatio, quæ fit cum præviæ illi et moraliter perseveranti expositioni peccatorum accedit sacerdotis præsentis judicium, peragi nequeat inter absentes. Quæ omnia apud Suaresium sunt rata, etiamsi modus loquendi tantillum variet. Neque Suarez ab hujusmodi mutatione solius modi loquendi, salva prioris doctrinæ substantia, abhorruit. Quod enim ex ejus literis refert Tannerus, quæstione nova de pœnit. dub. 1, numero decimosexto, testatus est se Clementis ac Pauli mentem ex ore utriusque percepisse; et sibi certo constare numquam venisse illis in mentem, ut vellent obstare absolutioni ægri, qui, absente sacerdote, ante oppressionem expetiisset confessarium

et signa doloris, sacerdoti per aliorum testimonium significata, edidisset : addiditque iisdem literis Suarez de ejusmodi absolutione numquam fuisse excitatam controversiam : tantum itaque pontificios ministros, posteriorum illorum decretorum auctores, vel si lubet, pontifices ipsos noluisse ut diceretur confessionem in eo eventu fieri absenti. Clarum quidem est, nec ipsi id diffitentur, sacerdotem, cum ei exposita sunt peccata, procul ab ægro fuisse; atque adeo expositio peccatorum, quæ plerumque dicitur *confessio*, facta est absenti. Placuit tamen proscribere eum modum loquendi; quia timor haud vanus fuit, si diceretur in eventu, de quo agimus, confessionem fieri absenti, ne aliquis id perverse intelligeret, de toto sacramento (quod plerumque *confessio* quoque denominatur) valide inter absentes consummato, absolutione quoque absenti impensa : quod certum est admitti non posse. Itaque ad cavendum hoc præcipitium, satius visum est majoribus prorsus excludere eum modum loquendi, *confessio fit absenti in aliquo eventu;* etiamsi non intenderint negare peccata in ordine ad validam absolutionem exposita fuisse sacerdoti, quando non aderat ægroto, quod est esse absentem ab eo et ipsum sacerdotem esse absentem a pœnitente, exponente peccata sua.

20 Adhibita hac interpretatione mentis majorum, quæ non rudibus usus Romani videbitur maxime genuina, nihil erit necesse, ulterius sollicitum esse, de explicanda vera præsentia sacerdotis et pœnitentis subito oppressi, cum sacerdoti procul dissito exponitur voluntas pœnitentis. Hoc addo, quia Suarez, ut eam præsentiam quomodocumque tueatur, addit ad prædicta videri sibi dici posse, quod tunc eatenus confessio fiat præsenti, quatenus testes, in ægri oppressi et sacerdotis præsentia, perhibet testimonium dispositionis anterioris, quæ in ægro sui adhuc compote fuit : et maxime, quia confessarius, jam præsens ægro, examinat, ut potest, statum conscientiæ ægri oppressi, agnoscens eum vivere et pro eo articulo non posse plus præstare. Hæc Suarez probans suum flexilem animum, dum dat aliquid tempori quoad modum loquendi, salva tota doctrinæ substantia. Quam tamen modus ille loquendi sit fundatus, inde liquet, quod (ut supra vidimus) potest contingere, ut nulli sint testes, ægro et confessario simul positis præsentes; sed testificatio facta sit anterius. Confessarius vero præsens, ex eo quod agnoscat ægrum vivere, nec plus tunc præstare posse ut absolvatur, quam quod præstitit ante oppressionem, ipso sacerdote absente; quomodo dicendus sit præsentis confessionem id est expositionem peccatorum a pœnitente, cum ipse sacerdos procul abesset, antea factam præsens excipere, nisi reficto dictionario et mutatis vocum notionibus ænigma est, quod ne OEdipus quidem exponeret. Itaque præstat ut habeat hic locum crebra illa apud Cajetanum monitio ad novitium : Inhære veritati, sed cohibe linguam. Tene, inquam, expositionem peccatorum posse fieri sacerdote procul posito; sed cave dicas confessionem posse fieri absenti : quia hanc locutionem Roma non probat.

21 Nec hanc circa verba Romanam scrupulositatem mirabitur, qui plerasque hujusmodi circa verba et voces in eadem reapse sententia accurationes in aliis materiis vigere apud Romanos recoluerit. Sic Romæ ad frænandam aliquorum circa suos festinationem, cum non licebat denominare *martyrem*, eum qui non ante multos annos pro Christo occubuerit. v. g. Joannem Fischerum Roffensem, Edmundum Campianum, Thomam Morum ac similes; licet tamen dicere *eos in odium catholicæ fidei cæsos esse :* quamvis aliud reipsa non sit esse *cæsum in odium veræ fidei et esse martyrem*. Ibidem, a modico tempore, quia timor erat, ne aliqui putarent veritatem, non nisi piam et probabilem, jam esse definitam, non licet dicere *conceptionem passivam B. Mariæ esse immaculatam;* aut *B. Virginem esse immaculate conceptam;* permittitur tamen dicere (quod reipsa idem est) *B. Virginem non incurrisse peccatum originis sua conceptione*. Similis accuratio in verbis, ad vitandum errorem forte ab aliquo improvido incurrendum, ea est in qua hoc loco versamur; qua vetamur dicere expositionem sacramentalem peccatorum, quæ facta est sacerdoti quando aberat, factam esse absenti : et jubemur dicere factam esse præsenti; cum tamen dissidium non sit de re ipsa, sed de solis vocibus; et juxta antiqua dictionaria obscurum sit, quomodo dicatur fuisse præsens, qui procul aberat; aut non fuisse absens, qui loco distabat. Tantum ex his

omnibus concludo tantum abesse ut doctrina Suaresii propter decreta, sub Clemente et Paulo emissa, exciderit gradu probabilitatis, quod aliquis juvenis theologus somniavit, ut potius per ea decreta quoad rem ipsam valde sit firmata et stabilita.

22 Aliter difficultatem, in qua versamur, extricavit F. Ludovicus Caspensis ordinis Capucinorum, tract. de pœnitentia, disp. 4, sect. 22, ubi post approbatam per omnia Suaresii de hoc puncto doctrinam, contra Sotum et Thomistas, opponens sibi quod ea doctrina fuerit fuerit a Clemente VIII damnata et expungi jussa; respondet doctrinam Suaresii de absolutione moribundi, sensibus destituti, per sacerdotem præsentem, cui per internuncium voluntas consequendæ absolutionis sit intimata, nequaquam esse damnatam a Clemente VIII, quia alioqui tot sapientes doctores post Clementem ei doctrinæ non adhæsissent : et ipse Clemens non dixisset (ut certo postea dixit) se nihil tale umquam vetuisse : imo in eo eventu se omnino impensurum ægro absolutionem et puniturum parochum, qui absolutionem negaret; denique quia Paulus V, Clementis successor, non proposuisset Suaresii doctrinam toti ecclesiæ sequendam, ut patet ex Rituali per Paulum restituto. Ratio autem, cur Clemens ex libro Suaresii, cujus totam doctrinam veram esse agnoscebat et quam Paulus in ecclesia revocari ad praxim postea jussit, aliqua ad ipsum Clementem spectantia voluerit expungi, non fuit quod Suaresii doctrinam falsitatis aut improbabilitatis damnarit; sed quod ægre tulerit, Suaresium, Clemente ipso superstite, mentem ejus circa decretum, de quo agimus, esse interpretatum. Qui enim auctores Clementi fuerant edendi decreti ut suas sententias stabilirent, cum adverterunt, supposita interpretatione a Suaresio adhibita, evanuisse consilia sua, non cessarunt ignem fodicare et haud levis noxæ insimulare, quod privatus doctor ausus esset expositionem decreti edere, inconsulto decreti conditore adhuc superstite, in cujus aliquam dehonestationem cedere dicebant eam interpretationem, viventis ac superstitis decreto appositam, tametsi bonam et in qua nihil jure posset reprehendi. Unde censet Caspensis quicquid in hoc negotio circa librum Suaresii præscriptum Romæ est, neque ad rejectionem doctrinæ a Suaresio propositæ, quam Paulus V inserens Rituali quasi canonizavit, neque ad improbationem explicationis ab eo ad Clementis verba appositæ pertinere; cum reipsa neutrobique sit a Suaresio peccatum et tam doctrina ipsius, inserta postmodum Rituali, quam explicatio, Clementino decreto ab eo adhibita, veritatem contineant : censet ergo quod postea circa librum Suaresii Romæ gestum est, aliud non fuisse quam mortificationem auctori interpretationis prædictæ impactam, eo quod videretur non debuisse exponere decretum, etiamsi publice jam propositum nec vacans ambiguitate, ante consultum decreti conditorem. Quæ si fuit aliqua in Clementem irreverentia, ut obtendebant Suaresii æmuli, non erunt sane expertes labis plerique jurisconsulti, qui edicta principum superstitum sic vel sic accipienda docent et commode interpretantur. Sed irreverentissimum fuisse in S. D. N. Innocentium X fatendum erit fratrem Nolanum ordin. Prædicatorum ad sanctam Mariam supra Minervam theologiæ professorem, qui Romæ in ipsis pontificis superstitis oculis ejus decretum contra hæreses Jansenianas, solemniter damnatas, calente adhuc (ut sic dicam) decreto, interpretatus est adeo perverse, ut si admissa fuisset ejus interpretatio, hæreses illæ fuissent salvæ et immunes a damnatione; pontifex autem, delusus et de collata frustra opera notandus fuisset. Easdem indignas decreti Innocentii glossas F. Antonius Reginaldus æque ord. Præd. physicæ prædeterminationi consultum volens, invexit; atque adeo uterque summum pontificem dehonestavit et mulcta dignus est, cum ob perversam interpretationem, cum ob eam superstite pontifice adhibitam; de quo secundo socii istorum insimulavere Suaresium.

CAPUT X.

De aliis modis subministrandi partem materialem sacramenti pœnitentiæ per internuncium, aut literas.

1 Consulto hactenus discussi præcipuam et magis operosam difficultatem, quæ cerni potest in sacramentali expositione peccato-

rum, facta sacerdoti absenti a pœnitente, omnimodis impedito ad sacerdotem accedere : nempe in eventu, quo æger præmissa significatione suæ voluntatis de aperienda sacerdoti, cum advenerit, conscientia; nihil tamen distincte aperuit; ac ne ulla quidem externa doloris signa dedit; sed subito obmutuit; adeoque oppressus est, ut ne minimo quidem signo aut nutu, possit, vel voluntatem confitendi, quam præhabuit nec retractavit, præsenti sacerdoti patefacere; vel dolorem de peccatis prodere. Monstratumque est juxta S. Leonem et concilia antiqua, ac usum in ecclesia receptum, talem ægrum, qui suam confitendi voluntatem prius manifestaverit; et multo magis si expressioni voluntatis confitendi adjunxerit explicite expressionem sui doloris de peccatis, posse sacramentaliter absolvi. Nunc videndum superest, quid statuendum sit de expositione sacramentali peccatorum, paulo minus confusa : puta si præter confitendi voluntatem, exterius expressam et idoneorum testium assertione firmatam, patefactamque sacerdoti, qui abfuit cum ea voluntas est ab ægro elicita, præmissa sint signa externa doloris peccatorum, de quibus signis sacerdos præsens doceatur per idoneos testes. Quæritur enim, possitne impendi ægro absolutio a sacerdote cum aderit, etiamsi tunc neque voluntas confitendi, neque signum aliquod doloris de peccatis ab ipsomet ægro prodatur. Qui eventus non parum differt a priore, in quo sola voluntas confitendi absque ullo externo doloris signo fuisset manifestata. In priore enim eventu tantum præsumitur materia proxima absolutionis; in isto autem explicite prolata est in signis doloris exhibitis et saltem moraliter perseverat. Quid si vero ultra signa contritionis, quæ habent se ut confessio generalis, accedat specialis confessio, per expressionem quomodolibet exhibitam alicujus specialis peccati, factam sacerdoti præsenti ab ipso ægro, vel absenti per internuncium aut literas? Tandem quid si expressio, etiam distincta, omnium peccatorum, quæ sunt in pœnitentis conscientia, fiat absque directione ad claves, non expresso distincte desiderio consequendi absolutionem de peccatis, quæ pœnitens abs se admissa agnoscit et dolet?

2 Quid in primo eventu sit statuendum fere constat ex dictis circa eventum præmissæ voluntatis confitendi. Fere enim ei disputationi adjunximus eventum, quo præmissa item sint signa externa doloris : quia nihil proclivius, quam ut qui significat se velle confiteri, prodat etiam aliquatenus dolorem suum de peccatis. Quia tamen, præcise loquendo, de expressione voluntatis confitendi, diximus et evicimus eam seorsim a signis doloris explicite propositis posse sufficere ad consequendam absolutionem : age dicamus nunc de primo horum eventuum, quo signa doloris explicite quidem exhibita sunt, sed ita antecesserunt, ut præsente sacerdote nullum signum doloris voce, gestu aut nutu a pœnitente proferatur. Fuerunt ergo qui assererent in eo eventu negandam esse absolutionem. Quam sententiam probabilem esse ac tutam et esse multorum recentiorum affirmat Petrus de Ledesma tract. de pœnit. cap. 2, dub. 3. Referuntur in eamdem sententiam Abul. Matth. 16, quæst. 49 et 79; Major in 4, disp. 14; Canus relect. de pœnit. parte 3, versic. *At inhærendo;* Soto in 4, disp. 18, quæst. 2, art. 3; Martinus Ledesma 2 part. quart., quæst. 8, art. 4; Curiel. in tractat. de pœnit. inedito, quæst. 13, ad 3; Baptista Corrad. ad quæst. 10 casuum; Petrus Ledesma supra dub. 2, in fine; Alvarez diffic. sæpe citata num. 23. Adeo vero constanter in ea doctrina hæsit Coquetius, cap. 7 dissertationis 20, ut de contraria dicat, *se non posse eam in animum inducere, neque sane videre, quam speciem probabilitatis habere possit.*

3 Induxerunt tamen eam in animum suum et probabilitatem illius contrariæ assertionis perspexerunt omnino multi et quidem primæ notæ scriptores; Vasquez III part., quæst. 91, art. 2, dub. 1; Toletus lib. III instructionis sacerdotum, cap. 8; Medina C. de confess. tract. 2, quæst. de absolutione ab oblitis; Ruardus art. 3, § *complectitur;* Driedo de captiv. et redempt. tract. 4, cap. 2, part. VIII, num. 1; Corduba quæst. 39 de indulg.; Zambranus cap. 4, dub. 2, sect. 3; Suarez tom. IV III part., disp. 21, sect. 4; Manuel Sa V. *Confessio;* Nugnus quæst. 9 supplem. art. 2, dub. 1, § *sed quid;* Sylvius ibidem quæst. 4. Et quod caput est, S. Leo et concilium Arausicanum, ac duo Carthaginensia eamdem doctrinam tradiderunt, ut satis supra expensum est. Ratio autem cur

hujusmodi æger sit absolvendus, est manifesta, nimirum quia nihil desideratur ad confectionem veri sacramenti et absolutionis collationem necessarium, sive ex parte sacerdotis qui supponitur præsens, cum est conferenda absolutio, sive ex parte ægri, qui subministravit ex parte sua materiam idoneam, externis signis, quæ adhibuit, dum sui compos esset, comprehensam; ut satis superius est declaratum. Quidni ergo possit absolvi cum præstiterit quod potest? Id enim Deo sufficit. Recolenda sunt et huc accommodenda quæ dicta sunt cap. 7.

4 Opponit in contrarium nonnulla Coquetius cap. 7 dissertationis, sed admodum levia. In primis urget, in eo eventu ægrum nullam facere confessionem, tametsi exhibuit externa signa doloris de peccatis, et voluntatem suam de obeunda confessione. Hoc leve est. Nam illa voluntas, præsertim convestita externis signis doloris, qualem nunc spectamus, in eo eventu excludente possibilitatem distinctioris confessionis, est sufficiens confessio. Addit adversarius neminem hactenus fuisse, qui dixerit eum haberi pro confesso et idoneo ad recipiendam absolutionem, qui, postquam dixit confessario, se velle post horam confiteri de peccatis, quæ a se admissa dolet, mox apoplexia correptus, non potest sacerdoti illico advenienti ullum signum exhibere. Hæc est manifesta petitio principii; quia hoc ipsum est, quod nunc agitamus. Nec aliter ineptit adversarius, cum mox objicit tamquam absurdum, quod juxta nos absolvendus esset, qui postquam accidisset ad genua sacerdotis inchoaturus confessionem et pectus tutudisset, prorsus obmutesceret, correptus apoplexia. Hoc valde insulse objicitur, cum sit ipsa sententia, quæ suscipiebatur impugnanda, nec aliquid contra eam proferatur, nisi ipsamet sententia impugnanda; quod revera est ineptire et principium ridicule petere. Et idem dico de alia adversarii objectione; quia scilicet sequeretur, expositionem peccatorum fieri absenti. Nec non de alia, qua opponit præsentiam talem ægri esse præsentiam mutam et mere corporalem, non moralem; qualis ad negotia conficienda requiritur. At quod ea ipsa præsentia muta sufficiat ad gerendum hoc negotium, est conclusio nostra, quam opponere pro objectione est hominis ineptientis, nec habentis quod opponat.

5 Cum tam debilis et male materiata sit universa Coquetii adversus doctrinam propositam disputatio; mirabile tamen est quanta audacia cap. illo 7, num. 38, adversus eam bacchetur : negans esse probabilem, vel extrinseca, vel intrinseca probabilitate. Probabilitas intrinseca, ducitur ex rationibus rem aliquatenus et saltem apparenter suadentibus. Extrinseca autem ducitur ex auctoritate eorum qui ita senserunt, juxta doctrinam Aristotelis 1 Topic. cap. 1 et 2; Eth. cap. 4. Ex neutro ergo capite ait Coquetius opinionem propositam habere aliquid probabilitatis : *quia rationes, si quæ pro ea sunt, sumuntur ex decretis in alium sensum contortis, et prave explicatis. At vero doctorum asserentium auctoritas adeo exigua est, ut probabilitatem nullam conferre possit. Unus enim ex alio, ex affectu et re non satis librata, ita docent; quod ad conciliandam alicui opinioni probabilitatem non sufficit.* Ista tam licenter effutienti Coquetio, reponendum est, quod Augustinus Petiliano libro 2 contra ejus epist. cap. 4. Multa enim in adversarium jactanti, et nihil solide adstruenti, reponit S. D. « Hæc si dicam de talibus esse dicta quales vos estis, respondebis, proba. Quid enim tu probasti? Aut si eo putas probari, quia dicuntur; non opus est eadem repetere. Recita illa ipsa tibi; et a vobis in vos. Ecce et ego probavi, si hoc est probare. » Dimissa autem et condonata profusa ineptissime verborum acerbitate, huic scriptori tum in hac tum in aliis ejus scriptionibus perfamiliari, affirmo doctrinam propositam, et spectatis rationibus quibus astruitur, et spectata doctorum a quibus traditur auctoritate, esse omnino probabilem : nec speculative tantum, sed etiam practice; contra ineptam notionem opinionis practice probabilis, positam a Coquetio, ibidem num. 39 statuentis non esse practice probabilem eam sententiam, quam illi quoque, a quibus falsa censetur, non putant posse executioni mandari absque peccato. Unde quia ipse et aliqui ex nuperis Thomistis non putant sententiam, pro qua satagimus, posse reipsa usurpari absque peccato, quamvis alii omnino multi nec infimæ notæ secus statuant; infert, eam doctrinam non esse practice probabilem. Quo pacto, vix ulla opinio, dissidentium sacrarum familiarum contentionibus agitata, esset practice probabilis : cum fa-

cillimum sit et familiare, ut, qui ex una parte adversus aliam stant, de sententia partis oppositæ pessime statuant, nec posse absque peccato exerceri contendant. Notio ergo opinionis practice probabilis restringenda erat ad sensum doctorum, non jurantium in aliena verba, nec ductorum affectu erga suos immoderato : cujusmodi sunt qui cum Coquetio de proposita sententia tam severe statuunt.

6 In altero eventu ex proxime propositis, quo pœnitens, præsente sacerdote, quamvis nullum in specie peccatum exprimat, exhibet tamen signa doloris qualiacumque, admittendum est eum esse absolvendum. Et ita diserte habent Eusebius papa apud Burchardum libro 8, cap. 11, perperam passim adductus, pro absolutione ejus, qui prorsus obmutuit ante adventum sacerdotis et eo adveniente nulla potest signa doloris et voluntatis confitendi exhibere. At Eusebius diserte agit de ægro, qui in præsentia sacerdotis exhibet signa prædicta. Verba ejus sunt : « Si quis pœnitentiam petens, dum sacerdos venerit, fuerit officio linguæ privatus, constitutum est, ut si idonea testimonia habuerit, quod ipse pœnitentiam petiisset et ipse per nutum suæ voluntatis aliquod signum facere potest, sacerdos impleat omnia, sicut supra ægrotantem pœnitentem scriptum est; id est orationem dicat et ungat cum oleo sancto et eucharistiam donet. » *Dicere orationem*, idem est quod absolvere. Nam omnia verba sacra dicuntur *supplicationes*. Et ita expresse S. Leo epist. 91. Et eodem sensu aliquando verba consecrationis dicuntur *preces* apud D. Augustinum et alios. Itaque auctoritas Eusebii cadit proprie in eventum de quo agimus : pro quo etiam facit S. Leo. Nam quamvis plus aliquid addit et eum quoque, qui prorsus jacet oppressus, si sint qui testentur de ejus anteriore dispositione, absolvi velit, tamen præmittit, absolvendum esse eum, qui absque expressione speciali ullius peccati exhibet præsenti sacerdoti signa doloris de peccatis et voluntatis consequendi de eis absolutionem per sacerdotem. Idipsum in Rituali Romano præscribitur tit. de pœnitentia. Et sane si absolvi potest, si nulla præsentia signa doloris de peccatis suis sacerdoti exhibet, cum aliqui testantur quod ea præhabuerit; multo magis absolvi poterit, qui actu et explicite, per indicia aliqua ipsemet sacerdoti præsenti suum dolorem testatur, suumque consequendæ absolutionis desiderium per se patefacit. Multus in hoc elucidando est Zambranus cap. 4, dub. 2, sect. 4. Sed res ex ante disputatis videtur sufficienter exposita.

7 Unica est difficultas, quam et adversus hanc resolutionem et adversus proxime datam, aliquando intortam audire memini; nempe quod concilium Tridentinum s. 14, cap. 5, requirat talem expressionem peccatorum, ut ex ea cognosci possit a confessario status pœnitentis. Atqui per hujusmodi expressiones peccatorum, in signis generalibus doloris comprehensas, confessario nihil innotescit quod non æque sciret prius; nempe quod pœnitens sit peccator. Atque ita confessarius non poterit ferre judicium de hujusmodi pœnitente, nec poterit conficere verum sacramentum, quod deposcit materiam aliquam determinatam, quæ hic non suppetit, sed tantum exhibetur aliquid generale, atque adeo determinatum, de quo non potest directe ferri judicium. Actus enim doloris externus est aliquid generale et aptum cadere in plane multa et varia : atque adeo judicium, quod de eo feretur, non poterit esse singulare et determinatum.

8 Hæc difficultas non difficile expeditur. Falso enim assumitur in his eventibus non innotescere confessario statum pœnitentis. Revera enim innotescit, quantum hic et nunc fieri potest. At hoc est totum quod a pœnitente deposcit Deus. Simile est de eo qui tantum generatim recordatur se admisisse aliquod peccatum, cujus species illi exciderit. Talis enim, ad eum modum exponens suum illud peccatum, absolvendus est, juxta S. Thomam in 4, dist. 21, quæst. 2, art. 1 et 2, et Paludanum eadem distinctione, quæst. 2, art. 2, conclus. 2; atque adeo patefacit statum animæ suæ et materiam determinatam, sacramentali judicio directe subjicibilem exhibet : ille enim actus externus est aliquid singulare ac determinatum. Falso item assumitur statum pœnitentis non innotescere aliter quam prius. Nam nesciebatur in hoc foro eum esse peccatorem et dolere de divina offensa quam contraxit, quod nunc sacerdos cognoscit in hoc foro.

9 Alius eventus ex proxime propositis is erat, quo peccatum aliquod specialiter sit expressum per aliquod signum præsens

aut prævium, vel per nuncium, aut scripturam transmissam ad absentem. Hic eventus eodem modo est expediendus, quo prior; nempe dicendo absolutionem in eo eventu esse impendendam. Nam si is, qui nullum plane peccatum specialiter expressit, sed tantum voluntatis confitendi vel insuper doloris de peccatis externa signa prodidit, confessario tunc absenti significata, capax est absolutionis, quia facit quod potest; et verisimile est Christum institutionem sacramenti pœnitentiæ conformasse ad humanam necessitatem : multo magis qui peccata ad confessarium scripto transmiserit, vel per internuncium renunciari jusserit : aut qui præsenti sacerdoti nutibus ac signis aliquibus ea speciatim aperuerit, censendus est dispositus ad absolutionem a sacerdote consequendam; etiamsi præ defectu virium aut signorum idoneorum non exponeret omnia sua peccata de quibus dolet; sed aliqua tantum, vel etiam unum dumtaxat. Verum est, neminem teneri ad significanda absenti sacerdoti peccata sua, plura vel unicum, per literas vel per internuncium, ut fert communis sententia doctorum : eo quod modi illi aperiendi peccata sint obnoxii evulgationi, per quam pœnitens fama sua excideret : Deus autem qui benignus et misericors est, noluit tam austero præcepto, quo fama profligaretur, gravare pœnitentes. Si tamen quis ultro eligat ei periculo se exponere, nemo id illi juri negare potest, cum sit dominus famæ : possitque eam discrimini objicere justa de causa, qualis est aperiendi confessario distinctius atque adeo securius sua peccata. Si autem contingeret eventus periculi æternæ mortis, in quo pœnitens non posset aliter aperire sacerdoti sua peccata, obligaretur ea significare scripto, nisi contritio perfecta exsolveret eum hac obligatione : quia caritas propria in discrimine æternæ salutis, quod ingruere supponimus, obligat ad eam in tuto locandam per medium quod unicum suppetit, posthabita famæ cura.

10 Ad propositos eventus Suaresius respondens quod nos respondimus, nihil dixit improbabile, vel merito repudiandum. Quoad posteriorem vero eventum supra propositum, non est ei lis cum nuperis Thomistis. Censet enim in eo ultimo eventu negandam esse absolutionem : quia is qui dolet exterius de peccatis, sive generaliter tantum, sive in specie, neque eum dolorem externum dirigit ad claves per expositionem externam voluntatis confitendi peccata, de quibus dolet, vel per confessarii evocationem, non exhibet materiam absolutionis in judicio sacramentali. Ita Suaresius tom. IV, III part. disp. 23, sect. 1, num. 13, ac Ægidius III part., quæst. 64, num. 103. Ratio eorum est, quia dolor internus et ejus manifestatio, ut sit idonea dispositio ad absolutionem ex parte pœnitentis, debet afficere et quasi informare aliquam accusationem sacerdoti factam. Ea quippe est, quæ compingit sacramentum pœnitentiæ, non autem accusatio facta soli Deo. Oportet igitur ut pœnitens, si ad absolutionem rite disponi velit, confiteatur sua peccata, homini a Deo constituto ad exercendum sacramentale judicium : ita ut pœnitens, illi confiteatur saltem generaliter : nimirum exprimendo voluntatem consequendæ absolutionis, aut confessarium in eum finem evocando.

11 Contrarium sensere alii, quibus subscribo et nominatim Manuel Sa in prima editione v° *absolutio*, num. 11 et Martinus Eisingrein cap. 3 Confessarii, quæst. 46. Visus est non nemini esse in eadem sententia D. Augustinus lib. 1 de adulter. conjug. *in ipso fine*. Admittit enim eamdem esse rationem sacramenti pœnitentiæ in homine fideli per ægritudinem oppresso, ac baptismi in cathechumeno, æque jacente et oppresso per morbum; ita ut neque jam renatus possit petere absolutionem, neque catechumenus baptismum. Qua paritate supposita, cum D. Augustimus concedat talem catechumenum esse baptizandum, consequenter concedit renatum, in eodem statu constitutum, esse absolvendum, etiamsi nihil patet, ac ne confessionem quidem, vel confessarium : « Quis enim novit, (inquit S. Pater de talibus catechumenis et idem dici potest de renatis,) utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra, usque ad baptismum statuerant detineri; » Quasi diceret, præsumi pie potest de tali catechumeno sic jacente, quod dolorem conceperit de peccato adulterini conjugii, quo se inquinavit; atque adeo in tanta necessitate potest baptizari, etiamsi baptismum non petierit. Similiter ergo in iisdem circumstantiis, qui jam renatus est, posset absolvi, ob præsumptam in eo consequendæ absolutionis voluntatem, quæ continet di-

rectionem peccatorum et expositionis eorum ad claves.

12 Vereor tamen ne hic locus D. Augustini plus ferat quam hic intendamus; ita ut de ejus sententia etiam possit absolvi, qui nullum externum signum dedit, sive doloris, sive voluntatis confitendi, quod D. Augustinus insinuat; passim tamen repudiatur et nominatim ab Ægidio III part., disp. 5, num. 28. Nec immerito, quia cum in tali eventu deficiat materia judicii, adhibenda ex parte pœnitentis; nec dici possit præsumi in voluntate aliqua, exterius expressa, sive obtinendæ absolutionis, sive vocandi sacerdotem; temere videretur conferenda absolutio et cum aperto sacrilegii discrimine, quod merito est declinandum. Jacobus quidem Bajus in instit. relig. Christ. lib. II, cap. 91, putat se omnem difficultatem elidere, dicendo tunc absolutionem dandam esse per modum suffragii, non autem per modum judicii; sed hoc est valde extra rem : quia hic non quæritur, an sacerdos possit precari pro tali ægro, quod nemo in dubium revocat; sed quæritur, an sacerdos possit illum absolvere sacramentaliter. At hoc fieri non potest absque sententia judiciali, supponente materiam, a pœnitente se accusante expositam cum dolore : quod in hoc eventu plane deest : undè abstinendum est ab absolutione sacramentali, resque Dei judicio committenda.

13 Sistendo igitur in eo oppresso de quo sermo erat, ajo eum, quia externa signa doloris edidit, absolvi posse, etiamsi confessarium non petierit, neque expresserit se velle confiteri. Nihilominus enim adhibuit quod ex parte sua necessarium est ad sacramenti confessionem; quia exercuit dolorem externum de peccatis et aliquam eorum expressionem adhibuit, saltem universalem et confusam, qualem vidimus ex parte materiæ hujus sacramenti sufficere. Si quid ergo ex parte pœnitentis deesset, non posset esse aliud quam intentio suscipiendi sacramentum, quæ adulto est necessaria; et in ea intentione involvitur directio actuum pœnitentis ad claves, ut per se patet. At hujusmodi intentionem, in eventu de quo agimus, non deesse, facile probari potest. Nam non minus exigitur voluntas suscipiendi extremam unctionem, ut sacramentum in adulto sit validum, quam exigatur voluntas suscipiendi sacramentum pœnitentiæ in adulto. Constat vero extremam unctionem conferri jacentibus, etiamsi eam non petierint, nec jusserint evocari sacerdotem ad illam conferendam. Præsumuntur enim nihilominus voluisse sacramento extremæ unctionis muniri : quia ea voluntas (ut notat Lessius lib. III de virtutibus, num. 25) contineri videtur in generali actu volendi suscipere sacramenta in vitæ fine; quem actum sæpe elicit quilibet christianus; et cum de contrario non constat, præsumi potest hominem non retractasse illum actum : qui proinde moraliter in homine perseverat. Suarez tom. IV, III part., disp. 42, sect. 1, num. 6, ait eam intentionem suscipiendi extremam unctionem contineri in actu volendi media vel necessaria, vel valde utilia ad salutem : quem actum quivis fidelis frequenter exerit, si sapiat, nec sit plane prodigus suæ salutis. Cum ergo non constet ægrum revocasse talem actum, aliquando abs se elicitum, et aliunde non constet quod sit oppressus in peccato mortali, de quo ne attritus quidem fuerit priusquam sui impos fierit; præsumitur perseverare in eo intentio suscipiendi hoc medium salutis : quod si præiverit saltem attritio, poterit aptare ægrum ad justificationem, accessu sacramenti comparandam. Non dissimilis igitur intentio suscipiendi sacramentum pœnitentiæ et subjiciendi peccata sua clavibus præsumi potest in ægro, qui præ oppressione non potest confessionem aut confessarium petere; vel anterius, cum exeruit signa doloris de peccatis, non poposcit confessarium ob incogitantiam, etiamsi elicuit et exterius prompsit signa doloris. Itaque talis æger capax est absolutionis sacramentalis, conferendæ a sacerdote, cui dolor ejus externus innotuerit : cum et materiam judicii sacramentalis ex parte sua necessariam suppeditaverit et debita intentione, pie præsumpta, non destituatur.

14 Non est autem difficile retundere quod opponebatur, deesse scilicet in eo eventu accusationem pœnitentis apud sacerdotem; adesse autem solam ejus accusationem apud Deum. Ea enim accusatio apud sacerdotem, non deest in hoc eventu : quia præsupposito dolore peccatorum, continetur in voluntate suscipiendi hoc sacramentum, quam rite præsumi diximus. Eo ipso namque quod habetur voluntas susci-

piendi sacramentum, necesse est ut adsit voluntas suscipiendi illud per ministrum, qui unicus est ad illud conferendum, nempe per sacerdotem. Atque ita expressio doloris peccatorum et latens in eo expositio peccatorum adjunctam habet accusationem sui apud hominem, Dei loco judicantem; nec desideratur aliquid ex parte passi, quominus absolutione donetur, supposito quod christiane vixerit, nec fuerit oppressus in æstu ac æstro peccati, sive in flagranti delicto : ut sane supponitur eo ipso quod constat præmissa esse ab eo, dum sui compos esset, signa doloris, quem retractatum esse ante mentis impotentiam nihil sit quod suadeat. Rebus igitur sic se habentibus, confessarius præsens, potest absque scrupulo talem ægrum absolvere : quia innoxius est, eo ipso quod administrat sacramentum ex sententia probabili; cujusmodi sane est ista; et sacro ministerio fungitur quam optimo modo potest. Quin etiam, tametsi reipsa sacramentum esset irritum, vacaret labe confessarius, ob probabilitatem sententiæ ex qua operatur. Aliunde autem, si sacramentum reipsa non sit irritum, poterit æger susceptione ejus juvari et acquirere gratiam sanctificantem, sine qua periret, ob non detersum forte per contritionem perfectam mortale peccatum quo sordebat, quamvis supponendus sit habuisse saltem attritionem; ex qua veluti materia proxima, requisita ex parte passi, compingi queat sacramentum; cujus accessu æger gratiam sanctificantem possit acquirere, nudæ attritionis interventu nequaquam parabilem.

15 Ex tanta vero ægri, de quo agimus, necessitate et summo periculo cui forte objiceretur, nisi per accessum sacramenti locaretur in tuto, efficitur recte Sylvium quæst. 9 supplementi, art. 2, quæst. 4, ac Pesantium ad supplem. quæst. 10, disp. 11, asserere, confessarium in proxime discussis eventibus non tantum posse licite absolvere pœnitentem de quo agitur, sed etiam ad hoc teneri. Confessarius enim, vel ex charitate, vel etiam ex justitia, si vi muneris ad sacramenta conferenda adigitur, tenetur medium salutis, proximo forte necessarium administrare, ut constat ex doctrina generali de obligationibus ministri in sacramentorum collatione. Frivolum vero est, quod in contrarium opponit Coquetius cap. 7 dissertationis, num. 41, dicens, non esse verum quod liceat sequi opinionem quæ saltem sit probabilis, quamvis opposita sit probabilior, ac plane tuta et nullum involvens sacrilegii periculum; ex quo sequeretur etiam amplectendam esse ex obligatione eam sententiam, ut extremum ægri periculum avertatur. Hoc Coquetius (tametsi de alio eventu agens) ait *tolerari non posse, cum neque lex caritatis, neque alia liget, nisi ordinatissime et per media opportuna, non vero periculosa.* Hoc dico frivolum esse et ut verborum ejus illuviem in caput ejus regeram, ajo hoc tolerari non posse. Nam ad evitandum æternum proximi exitium posse adhiberi opinionem minus probabilem, fuse traditur agendo de conscientia et usu opinionum; et nonnullis exemplis illustratur a Sanchesio lib. II de Matr. disp. 36, num. 9. Quod si talis opinio potest adhiberi ratione periculi imminentis, ergo adhibenda est ex obligatione. Nam Deus mandavit unicuique de proximo suo; et nemo est qui non urgeatur saltem lege caritatis ad subveniendum proximo, ut effugiat æternam damnationem, tentatis omnibus mediis quæ aliquatenus probabile sit posse perficere. Et hæc caritas est ordinatissima, adhibetque media opportuna, (saltem probabiliter,) et nullatenus periculosa. Totum enim periculum quod imminere posset, esset irritandi sacramenti, atque adeo sacrilegii in ejus confectione admittendi. Ast hoc periculum est inane, siquidem exulat prorsus sacrilegium ab eo modo operandi, propter probabilitatem sententiæ ex qua operatio elicitur. Et cum homo non sit propter sacramenta, sed e contrario sacramenta sint propter hominem, juxta D. Augustini effatum; præstat sacramentum exponere periculo invaliditatis, si forte reipsa opinio, ex qua sacramentum conficitur, esset falsa : quam exponere hominem irreparabilis damni periculo, si forte reipsa opinio, ex qua sacramentum admovetur, vera esset. Salvaretur enim homo, adhibito tali remedio; eo autem non adhibito, rueret in exitium sempiternum. Itaque obligatio absolvendi in eventu, de quo agimus, aliisque similibus, rata esto; non tantum quoad eos, qui sententiæ nostræ inhærent, sed etiam quoad adversarios, qui speculative censent eam esse falsam. Nihilominus enim ob summum proximi periculum obligantur nostram practice sequi et propriam depo-

nere, etiamsi esset probabilior; juxta principia generalia in tract. de conscientia et de opinionibus. Et ita in hoc ipso negotio Vasquez III part., quæst. 91, art. 4, dub. 2 et 1, 2, disp. 63, cap. 2; Tannerus tom. IV, disp. 6, quæst. 9, dub. 1, num. 14; Zambranus cap. 4, dub. 2, sect. 6; Sanchez lib. I in decal. cap. 9, num. 33; Becanus 1, 2, cap. 4, quæst. 9, num. 10 et alii adducti in tractatione de conscientia.

PRÆFATIO

IN EPISTOLAM P. FRANCISCI SUARESII AD CLEMENTEM VIII DE CENSURA DOMINICI BANNESII ORD. PRÆD. THEOLOGI ET DOCTRINA EJUS CIRCA AUXILIA DIVINÆ GRATIÆ.

I Hactenus in codicibus latuerat et nunc primum prodit in lucem R. P. Francisci Suaresii *gravis epistola ad Clementem VIII P. M. et epistolæ subjuncta ejusdem Suaresii apologia seu responsionem ad propositiones de auxiliis gratiæ notatas a Dominico Bannesio*, quam ipse P. Suarez scripsit in defensionem doctrinæ et famæ suæ, quam læsam autumabat, et anno 1600 ad R. P. Præpositum generalem Societatis Jesu miserat, ut Romano pontifici exhiberetur.

II Totum opusculum constat 1° præfatione historica, quæ Romæ scripto Suarezii addita videtur, priusquam opusculum in archivo Societatis deponeretur; 2° epistola Suaresii ad Clementem VIII, in qua asserit se more antiquorum confugere ad sedem apostolicam, quia iniqua censura notatus est, a qua judicio Romani pontificis liberari cupit, et doctrinam suam denuo sententiæ supremi judicis subjicit, ut auctoritatis ejus oraculo illuminari et solari possit; 3° apologia in qua, recitata censura Bannesii, ostendit ad singulas propositiones suam doctrinam ab adversario suo non fuisse recte intellectam, vel prout refertur esse orthodoxam, aut saltem libere disputatam in scholis catholicis, ac proinde censuram Bannesii minime esse æquam nec fundatam. 4° Postquam viginti propositiones sibi adscriptas expendit, ipse sex propositiones e scriptis Bannesii excerptas censura dignas esse demonstrat, si in sensu obvio et naturali accipiantur. 5° Ad calcem opusculi accedit declaratio R. P. Estrix, secretarii Societatis Jesu, in qua testatur codicem opusculi servari in archivo Societatis Romæ, et exemplar, manu R. P. Thyrsi Gonzalez descriptum, anno 1690 ad Collegium Lugdunense fuisse transmissum.

III De authenticitate opusculi non est dubitandi locus. Præter testimonium patris Estrix, quo res conficitur, habetur relatio P. Possini, quæ in admonitione prævia recitatur, et epistola quam P. Claudius Aquaviva de hoc opusculo ad Clementem VIII non exhibendo ad P. Suaresium veluti opusculi auctorem anno 1601 scripsit. Deinde qui opusculum attente leget, is nullo negotio observabit P. Suaresium hic suam causam agere, doctrinam in libris suis contentam tueri ac defendere; argumenta tractare de quibus cum Bannesio et theologis ordinis Prædicatorum sæpius disputavit. Adeo ut ipse hujus opusculi auctor certissimus sit et indubius. Ex laudatis documentis liquet epistolam cum apologia Suaresii a P. Claudio Aquaviva anno 1600 fuisse depositam in archivo Societatis Jesu Romæ; deinde eam anno 1690 fuisse descriptam manu P. Thyrsi Gonzalez, et collegio Lugdunensi S. J. ab ipso donatam. Postea codex ille transiit ad bibliothecam civitatis Lugdunensis, ex qua illud apographum obtinuimus. Quod nunc prælo committimus.

IV Tam censura Bannesii quam apologia et censura Suaresii versatur circa controversiam de auxiliis divinæ gratiæ, quæ tunc temporis magno animorum æstu agitabatur inter PP. ordinis Prædicatorum et PP. Societatis Jesu. Quum errores hæreticorum maxime in eo essent, ut œconomiam divinæ gratiæ subverterent, theologi

catholici, quo fidei hostes facilius redarguerent, subtilius disputare inceperant de modo concipiendi et explicandi efficacitatem divinæ gratiæ, eamque conciliandi cum libero hominis arbitrio. Theologi ordinis Prædicatorum, duce Bannesio, qui doctrinæ sancti Thomæ Aquinatis sequaccm se gloriabatur, efficacitatem divinæ gratiæ repetebant a prædeterminatione physica actuum humanorum, quam Deus absoluta voluntate ab æterno decreverat; at patres Societatis Jesu, ad mentem P. Molinæ, eam repetebant a præviso consensu humanæ voluntatis. Theologi Thomistæ contendebant systemate P. Molinæ hæresim Pelagianam instaurari; theologi Societatis Jesu demonstrabant physicam prædeterminationem actuum humanorum tollere de medio liberum hominis arbitrium. Hinc controversiæ ardentissimæ natæ, quæ tamen doctrinæ mere scholasticæ limites non excedebant, ut videre est in apologia Suaresii, in qua maxime disputatur utrum divina gratia, movendo immediate intellectum solum, sufficiat ad actum bonum, an requiratur etiam motio voluntatis; utrum gratia efficax effectum suum producat per influxum physicum an per influxum moralem; utrum Deus aliquando voluntatis humanæ actum exspectet, et quo modo; utrum gratia æqualis, duobus hominibus æque bene dispositis data, possit habere effectum diversum ex imperio voluntatis, an necessario eumdem effectum producat in utroque homini ex efficacitate intrinseca ipsius gratiæ; et alia similia quæ omnia, ut patet, referuntur ad celeberrimas controversias de auxiliis divinæ gratiæ, quas Romani pontifices Clemens VIII et Paulus V coram se agitari aliquandiu permiserunt, ac deinde agitari prohibuerunt, quum judicassent nullum fructum ex his disputationibus percipi posse; sed e contra pacem ecclesiæ et caritatem inter ordines religiosos necessariam ex iis posse perturbari. Hinc factum est ut tomus tertius, quem Fr. Suarezius scripserat de auxiliis gratiæ, non nisi elapso quinquaginta annorum curriculo, in publicam lucem emissus fuerit, anno nempe 1655, prohibitione sedis apostolicæ jam vel abrogata vel obsoleta.

V Hinc patet apologiam quam nunc primum in publicam lucem proferimus legitime edi posse. Non tantum enim æstus animorum jam diu deferbuit, sed etiam quæstiones, quæ circa efficacitatem divinæ gratiæ versantur, non majoris momenti jam esse videntur quam cæteræ omnes, siquidem hæresis protestantium jam in puram putam incredulitatem abiit, et errores jansenistarum vix in angulis et triviis obscure serpunt. Nolim tamen quod quis inde inferat hujus opusculi jam nullam aut parvam esse utilitatem. Etenim, præterquam quod respublica literaria jam non patiatur scripta ulla virorum doctrina notorum perire, ex hoc opusculo varia discimus quæ aliunde ignoramus. Imprimis Suaresius in defensionem suam laudat auctoritatem theologorum, qui scripta sua tam in Hispania quam Romæ, diligenti instituto examine, approbarunt; unde videmus doctrinam eximii theologi ab initio fuisse discussam et probatam. Deinde doctus vir asserit se ad mentem sancti Augustini doctrinam suam accommodasse, et eas sententias propugnasse quas ad convellendos errores protestantium aptiores esse credebat. Gloriatur etiam se merum interpretem agere decretorum concilii Tridentini, cujus summa et auctoritas in rebus dogmaticis, et eam unice doctrinam tueri, quæ ad refellendos errores hæreticorum circa vim liberi arbitrii et sufficientiam divinæ gratiæ aptissima est. Et revera ad ætatem, qua hæc scribebat Suaresius, referendum est, quod R. P. Mayer in *Historia controversiarum de auxiliis divinæ gratiæ*, pag. 533, ed. Antv. 1705 refert, nempe cardinalem Du Perron Clementi VIII asseruisse, si doctrina patrum Societatis Jesu circa efficacitatem divinæ gratiæ a sede apostolica proscriberetur, hæreticos omnes duabus manibus applausuros esse, atque sententiam Romani pontificis suscepturos tamquam manifestam errorum suorum apologiam. Ea igitur, quæ P. Serri ord. Præd. in sua *Historia controversiarum de auxiliis* contra doctrinam Suaresii scripsit, quasi summus ille vir a sanæ doctrinæ via aberrasset, ex præjudiciis suæ scholæ et perfidia sectæ jansenisticæ, cui infeliciter et aurem et manum præbuit, profecta sunt. In ipso hoc opusculo legimus Suaresium vehementer conqueri, quod Bannesius tamquam a catholica fide aliena damnat ea doctrinæ capita, quæ cum nullo dogmate pugnant, sed tantum cum præconceptis scholæ Thomisticæ opinionibus. Est igitur sana et orthodoxa

doctrina, quæ his paginis continetur.

VI Si hoc opusculum aliquando cæteris scriptis Suaresii interseratur, et non seorsim, ut nunc fit in lucem prodeat, adjungendum erit tomo tertio de gratiæ auxiliis, cujus veluti appendix habendum est.

VII Rationem citandi S. Scripturam, sententias patrum, et libros theologorum, quæ Suaresio familiaris est, et in cæteris ejus scriptis servatur, in hoc opusculo non esse mutandam censuimus, etsi jam non concordet cum recentioribus editionibus patrum, ne citandi modus diversus a consueto hic adhibeatur, et aliquam perturbationem inducat. Cæterum qui hujusmodi libros legere et consulere solent, si quando ad laudatos a Suaresio scriptores recurrere velint, nullo negotio, opere indicis materiarium, optatam concordiam reperient.

Hæc et non alia hic dicenda habebamus, benevole lector. Scripto Suaresii, hactenus inedito, jam utere; pro nobis ora et vale.

Brugis 18 februarii anno 1858.

† J. B. Episc. Brug.

PATRIS FRANCISCI SUAREZ

GRAVIS EPISTOLA AD CLEMENTEM VIII PONTIFICEM MAXIMUM,

ET EPISTOLÆ SUBJUNCTA EJUSDEM APOLOGIA, SEU RESPONSIONES AD PROPOSITIONES DE AUXILIIS GRATIÆ,

NOTATAS A M. DOMINICO BANNEZ.

ANNOTATIO IN APOLOGIAM DE OCCASIONE ET TEMPORE QUO SCRIPTA EST.

(*Prodit nunc primum e codice Lugdunensi.*)

1 *Vix prodiit in lucem anno* 1599 *tomus opusculorum patris Francisci Suarez, in quo disserit de auxiliis, cum M. Bannez illum tomum discutiens, notavit viginti propositiones, quas censura et correctione dignas judicavit : et Salmantica Complutum et in alias universitates scriptum illud suum misit. Id autem compulit patrem Suarez, ut in sui defensionem scriberet opusculum dilucidum, in quo respondet ad omnes objectiones factas, illudque transmisit ad Clementem octavum cum humili et nervosissima epistola, quæ hic simul cum illo opusculo habetur. De quo historiam nectit pater Possinus in tomo de controversiis auxiliorum, lib.* v *a num.* 6 *usque ad* 18 *et sic inchoat :* « *Prodierant anno superiori* 1599 (*inquit scribens annales ad annum* 1600) *Francisci Suaresii opuscula, inter quæ libri sunt tres* de auxiliis divinæ gratiæ, *gravissimorum octo Complutensium doctorum honorificentissimis testimoniis commendata : quibus nihil deterritus, imo ut apparet, magis irritatus Bannesius commentariolum Salmantica Complutum misit et passim vulgavit hoc titulo :* Propositiones excerptæ ex libro opusculorum P. Francisci Suarez, circa efficaciam auxiliorum divinæ gratiæ, quæ videntur censura et correctione dignæ. *Ibi deinde viginti Suaresii assertiones recitat et damnat. Simul atque in Suaresii manus id scriptum venit, paravit is efficacem et brevem iniquæ censuræ dispunctionem : non tamen illam* (*quod jure et facile potuit*) *vulgavit prælo. Ea enim verecundia fuit vir modestissimus, ut quoniam inchoatam a pontifice sciebat cognitionem ejus controversiæ, de qua lacessebatur, ne famæ quidem propriæ dispendio moveri posset ad aliquid interfandum quo præjudicari videretur exspectatæ tanti judicis sententiæ. Injuriæ igitur alienæ et doloris sui arbitrium integrum supremo eidem famosæ litis cognitori detulit, scripta ad pontificem Clementem VIII religiosæ demissionis plenissima epistola, cui apologiam a se compositam adjunxit, editurum se illam non prius professus quam suæ sanctitati videretur. An, aut quid ei pontifex responderit non reperi : facile suspicor dilatum ab eo responsum ad finem controversiæ, quem propinquiorem rebatur quam revera fuit; ejus deinde prævertente obitu, interversum et omissum funditus fuisse.*

2 *Hanc epistolam non fuisse datam pontifici colligitur ex registro Castellæ servato in archivo Romano Societatis; in quo ad annum* 1601 *legitur epistola P. Claudii Aquavivæ, ad P. Suarez data* 18 *Februarii* 1601 *et hispanicis concepta verbis; eam latinam hic facimus :* Rectissime egit Reverentia Tua, quum huc misit propositiones et lucubrationem, opera nostra beatissimo patri tradendas : ea addita lege, ut id fieret, si nobis probaretur: secus autem, si improbaretur. Porro impræsentiarum neque necessarium, neque utile nobis videtur ut hæ chartæ dentur sanctissimo patri. Præstat enim ut negotium, quod nunc præ manibus est, prius conficiatur : agitur autem de P. Molina; de qua re plura non dico, quoniam patres, qui hanc controversiam sustinent, Reverentiam Tuam de ejus progressu et statu docebunt; ipse autem, spem meam in Deo et recta ratione collocans, spero eum finem fore qui conveniens sit. *Hucusque epistola. In margine registri notatur hanc epistolam missam esse Conimbricam : sic enim habetur :* P. Francisco Suarez en Coimbra, *Febrero* 18. *Si autem quæras, cur hæc responsio non fuerit apposita in registro Lusitaniæ? Respondeo, quod cum P. Suarez scripsisset lingua castellana et responderetur ipsi eadem lingua, et non lusitanica, ideo notata est responsio in registro Castellæ, a qua provincia transierat in Lusitaniam.*

Ex his constat scriptum illud seu responsiones factas esse anno 1600, *et transmissas Romam ad finem ejusdem anni, vel sub initium anni* 1601.

BEATISSIMO SANCTISSIMOQUE PATRI CLEMENTI VIII

PONTIFICI MAXIMO

FRANCISCUS SUAREZ SOCIETATIS JESU

FELICITATEM SEMPITERNAM.

BEATISSIME PATER.

Quod magnus Gregorius Galliæ episcopis indixit olim (lib. IV, reg. epist. 52), ut excitatæ de fide quæstiones ad illum protinus deferentur, id mihi beatissime pater, indictum quoque judicavi. Quod ut facerem, illud etiam me coegit, quod nuper ad me sunt perlatæ propositiones aliquot, ex hoc opere excerptæ, quod *de Auxiliis* inscripsi, eo nomine ac titulo, quod censura et correctione dignæ viderentur. Quidquid illud est, sive ex meo libro sincere depromptum, sive sinistre interpretatum, aut interdum false etiam impositum, ad te, B.P., deferendum judicari, ut quid nobis objiciatur, quid ego respondeam palam fiat; et insuper aliqua attingam, quæ in re tam gravi visa sunt necessaria. Sæpius hoc tentavi, sed me sæpius tua terruit majestas, et tanti pontificis celsitudo : sed impulit tandem rei, de qua agitur, gravitas, animosque adjecit D. Hieronymi in simili causa sententia, quam ad Damasum ita scripsit : *Quamquam tua me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas; a sacerdote victimam salutis, a pastore præsidium ejus flagito* (epist. 57 ad Damas). Quod ut flagitem præter illa, quæ attigi, illud etiam me compellit, quod scilicet in sacra theologia explicanda olim Romæ, nunc autem in Coimbricensi academia publici magistri munus exercendo, simulque libros scribendo jam diu insudo : cui muneri si quæ doctrinæ suspicio accedat, aut falsitatis macula nulla etiam nostra culpa inuratur; nec mihi animus ad laborandum esse poterit, nec in publicam utilitatem aliquis fructus redundabit. Quamobrem nulli, ut arbitror, mirum videri poterit, tam iniquo me animo pertulisse hanc eorum audaciam, qui me suspicionis in doctrina insimilarunt. Si enim B. Hieronymus (epist. 6 ad Pamm.) Christianorum neminem in simili doctrinæ suspicione patientem esse volebat, quanto acerbius hæc suspicio illius animum stimulare debet, qui vel ob magistri munus in multorum oculis versatur, vel quia libros scribit, in omnium aures sæpe incurrit, cujusque vigiliæ, et assidui labores, tum demum christianæ reipublicæ non infructuosi videbuntur, cum ipse sinceram fidei doctrinam, ac plane utilem, et securam semper docuisse intelligatur? Hæc autem opinio publicaque existimatio ex tua gravissima sententia pendet, P. B. Te enim Christus Dominus vivam posuit regulam in ecclesia, *ut erroris expers inter errorem ac veritatem arbiter judicares*, et ut *per te resarciantur damna fidei, in quo non potest fides sentire defectum*, sicut Bernardus ad Innocentium scripsit (epist. 190). Et sane hanc ego semper normam, et vivum exemplar, dum sacram theologiam, non sine studio, et labore, vel voce explico, vel scriptis illustro, ante oculos proposui, æternumque proponam, in eamque semper curam animus intendit, ut isti sanctæ sedi apostolicæ pro virili parte inserviam, ea vel explicando vel confirmando dogmata, quæ magis solida, et ecclesiæ catholicæ utiliora videantur. Quod si feci aliquando, maxime quidem me fecisse affirmo in hoc postremo *de Auxiliis* opusculo, quod ad te B. P. esse delatum, neque omnino ingratum fuisse etiam in his remotioribus locis divulgatum est : eamque ob rem, ut vereor, illud opprimere et cum eo alia simul opera nostra obscurare conati sunt, qui præfatas propositiones sub tali titulo excerpserunt; quas ad te B. P. mittendas censui, quoniam ut egregie dixit Anselmus : *Ad nullum alium rectius defertur, si quid contra catholicam fidem oritur in ecclesia, ut ejus auctoritate corrigatur; nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus providentia examinetur* (lib. de Incarn. Verbi.) Hoc ergo unum, quam possum animi submissione, et contentione a te B. P. deposco, ut hæc velis vel legere ipse vel audire : nam ea animo dilucide, breviterque quoad potui scribenda curavi, ut brevi tempore possint omnia evolvi et comprehendi. Quod si, iis perlectis diligenterque per viros sapientes perpensis, atque examinatis, justa mea hæc postulatio visa fuerit; illud solum defensionis et approbationis genus a tua sanctitate obnixe effla-

gito, ut videlicet vestro jussu tum ea, quæ mihi ut censura digna censores objecerunt; tum ea, quæ a me responsa sunt, typis mandentur, prædictoque operi *de Auxiliis* adjungi permittantur, ut hac testificatione et quasi vestro sigillo consignatus hic liber secure in omnium manibus versari et cum aliqua utilitate legi possit. Ut enim verissime paulo ante testificabar, cum in aliis operibus publicæ tantum utilitati inservire desideraverim, in hoc ultimo finem hunc sincerius mihi proposui, semperque ante oculos habere statui. Videbam enim gravissimas in eo contineri quæstiones, et eas controversias explicari, quæ cum summa difficultate magnam habent adjunctam his præsertim temporibus necessitatem. Et hæc una est ratio, cur non pauci nostræ societatis theologi in eam mentem sunt inducti, ut hanc doctrinam suis scriptis defenderent et confirmarent. Non illos quidem inanis contentio vel cum aliis æmulatio incitavit, sed illius doctrinæ ac veritatis studium, quam et a concilio Tridentino cæteris antepositam esse, et ad respondendum hujus temporis hæreticis in his, quæ ad liberum arbitrium spectant, necessariam esse sibi persuaserunt; nihilque de divina gratia detrahere, imo ad hoc etiam esse non minus necessariam, ut et sufficientia gratiæ in omnibus hominibus, et efficacitas in multis apte et convenienter juxta SS. Patrum doctrinam possit explicari; maxime vero juxta divi Augustini mentem, cujus libros, quotquot de hac re aliquid attingunt, sæpius magna cum sedulitate volutavi, in eam rem semper intentus, ut Augustini mentem intelligerem et sequerer intellectam : neque aliud umquam potui vel invenire vel colligere ex ejus dictis, quam id, quod in libris *de Auxiliis* tradidi. Verum quidquid in hac re vel ipse intelligo, vel existimo Augustinum sanctosque patres intellexisse, vestræ subjicio, B. P., correctioni, *vestræque sedis* (ut Theodoreti (epist. ad Leonem), verbis utar) *exspecto sententiam, et supplico ac obsecro vestram sanctitatem, ut mihi opem ferat, justum vestrum et rectum expostulanti judicium. Idcirco enim* (ut etiam dixit Athanasius in epist. ad Max. pont. et in alia ad Felic. in 1° Tom. Concil.) *in sanctitatis arce vos Deus constituit, omniumque ecclesiarum curam habere præcepit, ut nobis succurratis*. Quod idcirco me consecuturum confido, quod eam de vestra sanctitate existimationem habeam, quam de Innocentio Augustinus (epist. 92) habebat, cum illius opem implorabat, dicens : « Quia te Deus gratiæ » suæ precipue munere in sede apostolica » collocavit, talemque nostris temporibus » præstitit, ut nobis potius ad culpam ne» gligentiæ valeat, si apud tuam venera» tionem quæ pro ecclesia suggerenda sunt » tacuerimus, quam ea possis vel fastidiose, » vel negligenter accipere; magnis periculis » infirmorum membrorum Christi pasto» ralem diligentiam quæsumus adhibere » digneris. » Quam ego nunc eo impensius desidero, P. B., quo mihi certius est tunc posse multis meos prodesse libros, et in aliquam Dei gloriam redundare, cum gravissima auctoritate vestra protecti fuerint, ac defensi. Vale B. P. precorque Deum immortalem, ut tui pontificatus annos diuturnos reddat et felicissimos.

I

AD EA QUÆ EX LIBRIS DE AUXILIIS P. FRANCISCI SUAREZ EXCERPTA SUNT, ET DE SALMATICENSI CIVITATE SUNT MISSA, RESPONSIONES.

Pervenit ad manus nostras scriptum quoddam cujus titulus hæc totidem verba continebat : *Propositiones excerptæ ex libro opusculorum patris Francisci Suarez circa efficaciam auxiliorum divinæ gratiæ, quæ videntur censura et correctione dignæ.*

RESPONSIO.

Priusquam ad singulas propositiones respondeam, advertere libet eum, qui hunc titulum posuit et propositiones excerpsit, nullam rationem vel probationem in toto discursu sui scripti afferre, sed vel arbitrio suo, vel juxta privatas opiniones propositiones excerpsisse. Quapropter prior generalis responsio ad titulum et ad omnia, quæ sub illo continentur, esse posset negare simpliciter omnia quæ proponuntur, donec cogatur censor in unaquaque re gradum censuræ declarare et rationem, vel testimonium quo moveatur proponere; quibus tunc satisfaciamus.

Altera vero responsio ad hunc titulum sit, ter fuisse opus hoc publico et gravissimo examine recognitum nihilque in eo

inventum esse censura aut correctione dignum. Primo enim in Lusitania jussu supremi senatus inquisitionis examinatum est hoc opus, et simpliciter approbatum etiam in contradictorio judicio. Nam tunc etiam quidam ex dominicana familia, quibus negotium prius fuit demandatum, totis viribus conati sunt impedire, ne facultas imprimendi hoc opus concederetur, allegantes nonnulla ex his, quæ nunc etiam hic proponuntur; quæ judicio gravissimi senatus et theologorum; qui ei fuerunt a consiliis, nullius momenti judicata sunt; et ita facultas et approbatio simpliciter fuit concessa, quæ in principio ejusdem operis continetur.

Secundo in Castella jussu supremi senatus regii commissum fuit hujus operis examen Complutensi academiæ, in qua octo doctores theologi doctissimi (inter quos erant et rector universitatis et duo primarii lectores theologiæ, et alter vespertinam cathedram legens (*forte* regens) aliique alias cathedras regentes) magna diligentia, et per multos dies opus hoc recognoverunt, et nihil in eo esse judicarunt censura vel correctione dignum, sed eam approbationem dederunt, quæ in principio ejusdem operis continetur.

Tertio cum opus hoc Romam fuisset delatum, debito examini R. patris magistri sacri Palatii datum est; quod ipse omni diligentia perlegendum et examinandum merito putavit. Et ut a gravissimis viris mihi relatum est, cum aliqui ex patribus dominicanis totis conatibus ab eo obtinere contenderent ne licentiam concederet, ut Romæ publice legi et vulgari posset : tamen æquissime respondit, se non invenire in opere illo causam aut rationem, ob quam illius cursum et publicationem impedire posset, et ita simpliciter concessit : *Publicetur*, ut vocant. Argumentum ergo non leve est titulum hunc falsitatem continere, nec sine gravi injuria auctoris hujus operis propositum esse ad illius nomen obscurandum, et suspicionem aliquam circa illius doctrinam ingerendum illis, qui hæc omnia et doctrinam ipsam accurate recognoscere et examinare non valent.

PRIMA PROPOSITIO.

Motus gratiæ excitantis non semper concurrit simul tempore cum consensu voluntatis : interdum enim præcessit gratia excitans per sanctam cogitationem et timorem, et postea sola recordatione illius timoris et divinæ motionis homo libere convertitur, et incipit pœnitentiam agere. Et statim subdit, quod illa memoria occurrit solum proponendo objectum pag. 163, num. 13.

RESPONSIO.

In primis ibi non asserendo, sed argumentando proceditur. Unde in fine illius paragraphi habentur hæc verba : Hæc omnia reddunt hanc opinionem difficilem, non tamen improbabilem, quia aliquo modo solvi possent si oporteret.

Deinde nihil est in illa propositione censura dignum. Nam quod interdum gratia excitans præcedat tempore, clarum est, si pro eo tempore non sit efficax, ut potest contigere. Quod vero postea homo jam semel vocatus converti possit ex recordatione illius motionis et timoris immissi a Deo, neque est per se impossibile nec est contra aliquod principium fidei. Nam ille homo converteretur tunc præcedente divina illuminatione et inspiratione et in virtute ejus; quia in illa memoria quasi in semine continetur. Et illa eadem memoria et cogitatio non est sine gratia Dei : cur ergo repugnat hominem, sic præventum a Deo, converti? aut ex quo testimonio Scripturæ, vel conciliorum, aut patrum, vel scholasticorum potest elici vel oppositum, vel quod hoc sit contra divinam gratiam?

Quod vero postea subditur, hanc memoriam solum concurrere proponendo objectum non excludit quin concurrat persuadendo, et inclinando affectum illo morali modo, quo id facit gratia excitans : et ita hæc pars coincidit cum aliis propositionibus, quæ de hoc notantur. Nec etiam excludit necessitatem gratiæ adjuvantis propemodum principii physici ad talem actum.

SECUNDA PROPOSITIO.

Non est necesse, ut voluntas exerceat aliquem motum indeliberatum ante plenum consensum; sed immediate post præfatam illustrationem intellectus potest voluntas supernaturalem consensum præstare quo se ad gratiam disponat, ut contigit in Angelis in primo instanti, et in nobis potest

sæpe idem accidere, ut peccator, per intellectum excitatus et inspiratus, statim per voluntatem eliciat contritionem. Pag. 166, col. 1, lin. 14.

RESPONSIO.

Hæc propositio catholica omnino est et vera. In qua in primis sermo est de possibili, et dante Deo copiosam gratiam et illuminationem. Nulla autem probabilis ratio afferri potest cur hoc negandum sit omnipotentia divinæ et efficacitati gratiæ illius. Nec etiam memini me legisse auctorem, qui hoc negaverit, nec locum Scripturæ, conciliorum, aut patrum, unde possit oppositum colligi. Imo concil. Trid. sess. 6, cap. 5, explicando quomodo libera hominis conversio fiat per Dei excitantem atque adjuvantem gratiam, subdit : *Ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest : neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Ubi post illam illuminationem, quam etiam inspirationem concilium appellavit, nihil exigit ut necessarium simpliciter ad liberam conversionem, præter gratiam adjuvantem. Eamdem etiam illuminationem vult concilium intelligi nomine vocationis, ut patet ex illis verbis : *Hoc est ab ejus vocatione.* Præter vocationem autem non est simpliciter necessaria alia gratia prævenies, ut constat ex Augustino lib. 1, ad Simplic. quæst. 2, circa med. et lib. II de Bono persev. cap. 13 et sæpe alias. Ratio autem est, quia per illuminationem intellectus excitat Deus voluntatem, et in illa, ac per illam efficit aliquem motum; ergo potest esse tam potens et efficax illuminatio, ut statim et sine mora eliciat a voluntate consensum perfectum et deliberatum, adjuvante simul gratia Dei ad talem consensum præstandum. Declaratur ac confirmatur : nam motus illi imperfecti, qui regulariter antecedunt consensum, sunt indeliberati : potest autem Deus ita illuminare, ut nullus detur locus indeliberatæ motioni; sed statim ac subito fiat plena deliberatio : ergo tunc nec necessarii sunt, nec locum habent motus indeliberati.

Atque hæc doctrina et ratio ejus magnum fundamentum habent in D. Thoma 1, 2, quæst. 112, art. 2 ad 2^m^ ubi prius ait : *Cum homo ad gratiam se præparare non possit, nisi Deo eum præveniente et movente ad bonum, non refert nostrum subito vel paulatim quis ad perfectam præparationem perveniat. Dicitur enim Ecclesiastici* 11 : *Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem.* Potest ergo (ex sententia D. Thomæ) homo ex gratia Dei subito pervenire ad præparationem perfectam : ergo non est simpliciter necessarium, ut præcedant motus indeliberati voluntatis; nam hi non sunt simul cum præparatione et deliberatione perfecta. Unde subjungit idem doctor sanctus : *Quandoque Deus statim perfecte movet ipsum hominem ad bonum, et subito gratiam homo accipit, secundum illud Joannis* 6 : *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me. Et ita contigit Paulo; quia subito, cum esset in progressu peccati, perfecte motum est cor ejus a Deo audiendo, et addiscendo, et veniendo; et ideo subito est gratiam consecutus.* Notentur illa verba, *audiendo, addiscendo et veniendo* : nam prima duo illa ad intellectum spectant, tertium ad consensum liberum voluntatis; neque alium indeliberatum motum agnoscit in Paulo. Quod autem verbum illud *subito*, quo in hoc loco utitur D. Thomas, significet momentaneam mutationem, et excludit successionem, declaravit idem sanctus inferius quæst. 113, art. 7 ibi : *Quandoque quidem subito, quandoque autem paulatim, et successive, ut supra dictum est.* Et rationem subjungit per hæc verba : *Cum igitur virtus divina sit infinita, potest quamcumque materiam creatam subito disponere ad formam, et multo magis liberum arbitrium hominis, cujus motus potest esse instantaneus secundum naturam. Sic igitur justificatio impii fit a Deo in instanti.* Ac tandem in solutione ad 1, cum dixisset consensum subito fieri, quod in universum verum est, ut declaret, in quo posita sit successio, et quam sit necessaria, subjungit : *Contigit autem quandoque, quod præcedit aliqua deliberatio, quæ non est de substantia justificationis, sed via in justificationem : sicut motus localis est via ad illuminationem, et alteratio ad generationem.* Quod ergo hæc deliberatio successive fiat non semper contingit, *sed quandoque :* quia non est necessaria illa successio ex parte Dei; sed ex imperfectione hominis, quam vincere potest Deus, et facere, ut

homo habeat motum voluntatis perfecte liberum sine deliberatione successiva : ergo tunc præcedere non possunt motus indeliberati, quia non datur successio temporis, nec possunt simul esse in eodem instanti cum consensu perfecte libero; quia cum in illo instanti jam fit in intellectu perfecta advertentia et judicium, non potest in voluntate esse indeliberatus motus. Est ergo hæc clara sententia D. Thomæ et optima ratione confirmata. Qui ergo contendunt prius esse omnino necessarium aliquem motum imperfectum voluntatis, oportet ut rationem reddant illius necessitatis. Et si ultra hoc contendunt illam sententiam esse censura dignam, oportet dicant, quæ censura illa sit, et qua auctoritate illam probent et tunc plenior dabitur responsio.

TERTIA PROPOSITIO.

Pag. 166, num. 16, refert sententiam asserentium actus supernaturales, qui eliciuntur sine habitu, nullum habere in homine physicum principium effectivum sibi inhærens præter voluntatem, Deumque ipsum per se efficacitate sua supplere efficaciam habitus; et statim dicit, istum modum adjuvandi esse possibilem in quo Deus potest dici virtus assistens, non autem inhærens; et num. 17 dicit Deum illo uti in hujusmodi actibus : et subdit in fine ejusdem num. 17, quod Deus tunc non potest elevare voluntatem per intrinsecam virtutem habitualem, nec per actualem, quia nulla est sufficiens; et num. 15 concedit quod gratia hæc adjuvans non est aliquid creatum, sed increatum, quia nihil est aliud quam Deus ipse, ut assistens animæ quam ad suam conversionem excitavit et subdit, quod hæc opinio est satis probabilis, et adducens contra hanc sententiam concil. Trid. sess. 6, cap. 5, ubi dicitur hominem moveri a Deo, ut per excitantem atque adjuvantem gratiam ad justitiam disponatur, explicat illud de gratia increata.

RESPONSIO.

In hac propositione sicut in prima est considerandum, quod auctor in fine illius expositionis dicit se in hoc puncto solum explicare opiniones probabiles theologorum, et nolle definitum judicium ferre. Prima ergo pars, quæ est de possibili, posita est in mera disputatione theologorum, et non pertinet ad dogmata fidei. Eamdemque partem docent tractantes de visione beata (de qua idem est judicium) Thomas de Argentina in 4, dist. 49, quæst. 2, art. 1, Palud. quæst. 1, art. 3, Major quæst. 4, et eam supponunt ibi Scot. quæst. 11 et Bur. quæst. 2, num. 24, qui putat hoc sensisse D. Thomam in 4, dist. 49, quæst. 2, art. 7 et quæst. 10 *de veritate*, art. 11. Quibus locis ait posse Deum communicare visionem beatam sine lumine gloriæ. Eadem enim ratio est de quocumque alio proximo principio distincto ab intellectu. Nam hi auctores fundantur in illo axiomate, quod Deus potest supplere per se ipsum immediate omnem efficientiam, et concursum non vitalem causæ secundæ; atque ita posse in intellectu vel in voluntate efficere aliquem motum supernaturalem, vitaliter concurrente ipsa facultate, et supplente Deo omnem alium influxum cujuscumque qualitatis.

Secunda etiam pars ad illam vulgarem controversiam pertinet, an dispositio ad gratiam sit effective ab habitu gratiæ. In qua nullus quem legerim hactenus dixit alterutram partem pertinere ad dogmata fidei, aut esse dignam censura. Et partem negantem, quam veriorem existimamus, nimirum, primum actum conversionis in Deum, quo aliquis se disponit ad recipiendam habitualem gratiam, non procedere effective ab habitibus gratiæ docet aperte D. Thomas 1 part., quæst. 62, art. 2, ad 3, (quidquid sit de aliis locis ejus). Verba ejus sunt : *Tertia conversio est per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam : et ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei animam ad se convertentis, secundum illud Thren. ult. Converte nos Domine ad te et convertemur.* Et est opinio satis communis in 4, dist. 14 et 17, ubi præter Bonavent. Scot. Gabr. Richard. et alios, etiam Capreolus ita sentit dist. 14, quæst. 2, art. 3 ad prima Henrici contra prima concl. eamque colligit ex D. Thoma 1, 2, quæst. 112, art. 2 et aliis locis, quæ ibi refert. Seclusa autem efficientia habitus, alia efficientia physica per qualitates transeuntes, aut per alios actus vitales priores, a recentioribus excogitata est; nam ab antiquis vix attingitur; et licet sit probabilis, ut ibidem fatemur, tamen nec auctoritate, nec ratione sufficienter probatur.

Quod vero in hac parte refertur nos dicere non posse Deum elevare voluntatem per internam virtutem habitualem, non integre refertur : dicimus enim non posse hæc duo conjungi ut voluntas se disponat libere ad habitum, et quod ipsa dispositio effective procedat ab habitu; quod etiam D. Thomas loco citato dixit, et verissimum existimamus. Rursus, quod refertur ibidem dici Deum non posse elevare voluntatem per actualem virtutem, quia nulla est sufficiens, non bene refertur, quia nihil dicitur de divina potestate, sed solum de facto nullam inveniri talem virtutem actualem sufficientem : quod verum putamus.

Tertia pars non integre refertur, solum enim dicitur juxta prædictam opinionem gratiam adjuvantem ad hos primos actus per modum principii physici non esse aliquid creatum : simul autem exponitur, quæ gratia creata ibi interveniat, vel tamquam actio physica, vel tamquam moralis causa; et hoc sensu fatemur illam opinionem esse probabilem. Unde explicatio concilii Tridentini, quæ in hac parte nobis tribuitur, scilicet concilium loqui de gratia adjuvante increata, imponitur nobis; nam expresse illud exponimus de gratia creata, quamquam concilium id expresse non dicat, sed abstracte loquatur.

QUARTA PROPOSITIO.

Auxilium supernaturale in hoc convenit cum generali concursu ordinis naturæ, quod per se ac præcise non ponit aliquid in causa; sed in effectu, pag. 159.

RESPONSIO.

Vera est doctrina, satisque vulgaris, et communis. Oportet autem advertere, quia facile mutatur sensus variando terminos, ibi non esse sermonem de Deo absolute, sed de concursu Dei, seu de Deo præcise ut concurrente, ut prima causa cum secunda : sic enim non dat principia operandi; sed dedisse supponitur, et dat ipsam operationem, et ideo merito dicitur, hunc concursum Dei nihil ponere in ipsa causa secunda efficiente, sed in effectu ponere tum actionem, seu operationem, tum etiam formam, quæ per illam fit. Deinde oportet etiam advertere sensum esse formalem de causa secunda, ut causa efficiens est; sic enim concursus Dei non ponit aliquid in illa; sed in effectu : contingit autem, ut ipse effectus, et actio, per quam fit, maneat in ipsamet causa secunda, et sic, dum concursus Dei ponit aliquid in tali effectu, ponit illud in tali causa secunda, non ut causa secunda est; sed ut est subjectum talis actionis et effectus. Quæ omnia sunt per se satis perspicua, et ideo non sunt illo loco amplius declarata, et quia in primo libro per multa capita res hæc declarata est, ubi etiam auctores allegati sunt in cap. 14.

QUINTA PROPOSITIO.

Tota causalitas auxilii excitantis est moralis, pag. 172, col. 1, lin. 7; et statim lin. 11, subdit : Denique tota hæc causalitas reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica est; nam per hanc gratiam excitantem fit, ut objectum, quod amandum proponitur, honestius et amore dignius appareat.

RESPONSIO.

Doctrina hæc de causalitate gratiæ excitantis, quoad illam partem, videlicet, quod moralis sit, satis clare (ut opinor) ostenditur, ibidem ex Augustino et Prospero. Nec minus aperte colligi potest ex modo, quo concilium Tridentinium sess. 6, cap. 5 et seqq. hanc gratiam, ejusque tactum, et motionem declarat per internam illuminationem, inspirationem et tactum cordis. Quoad particulam vero exclusivam *solum*, illam ex eo colligimus, quod iidem patres nullum alium modum causalitis illi tribuunt aut declarant. Quin potius Augustinus, ubicumque de gratia excitante ejusque efficacitate loquitur, in hoc illam ponit, quod singulari et altiori modo illuminat intellectum, et suavitatem præbet affectui. Sic lib. II *de peccat. merit. et remiss.* cap. 17 et 19, hanc gratiam appellat *certam scientiam et victricem delectationem*, ejusque modum agendi esse dicit illuminando intellectum, et dulcedinem præbendo affectui, quem causandi modum constat moralem esse. Sic etiam idem Augustinus lib. *de Prædestin. sanct.* cap. 8, hanc gratiam præcipue constituit in interiori vocatione, quam audita Patre, et discit omnis, qui venit ad Christum, juxta illud Joannis 6 : *Omnis qui audivit a Patre, et*

didicit, venit ad me. Valde remota, inquit Augustinus, est a sensibus carnis hæc schola, in qua pater auditur et docet, ut veniatur ad Filium. Et infra : *Valde, inquam, remota est a sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur et docet. Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum; sed ubi et quomodo a Patre audierint hoc et didicerint, non videmus. Nimium gratia ista secreta est, gratiam vero esse quis ambigat? Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur ut cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus auditur, et docet ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum et dat cor carneum, sicut propheta prædicante promisit : sic quippe facit filios promissionis, et vasa misericordiæ quæ præparavit ad gloriam.* Certe non potuit Augustinus clarioribus verbis exponere moralem modum causandi hujus gratiæ excitantis et vocantis. Atque ex his etiam verbis intelligitur propter hunc causalitatis modum non poni hanc gratiam in sola doctrina aut revelatione, seu predicatione externa, nam ad excludendum hunc errorem dixit Augustinus : *Valde distat a sensibus carnis hæc schola in qua Deus auditur et docet.* Includit ergo hæc gratia interiorem suggestionem Spiritus sancti, per quam ita illuminat intellectum, et delectationem ac suavitatem præbet affectui, ut efficaciter inducatur ad liberum consensum præstandum. Et de hac revelatione interna loquitur Augustinus *tract.* 26 *in Joannem*, cum dicit : *Ista revelatio ipsa est attractio.*

Ac denique hoc ipsum est, quod concilium Tridentinum sess. 6, cap. 5 ait : *Itaut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens.* Quibus verbis rationem etiam hujus veritatis indicat, videlicet, hominem per gratiam hanc non moveri ut naturale vel irrationale agens, sed ut rationale et liberum, et ideo non moveri per actionem physicam, quæ ita præveniat voluntatem, ut ipsam omnino determinet ad unum, sed per moralem objecti propositionem ac persuasionem. Et in hoc sensu dicimus causalitatem hanc gratiæ excitantis reduci ad motionem finis, quia tota fit mediante interiore persuasione et illustratione circa bonum amandum et malum fugiendum, quamvis ipsamet persuasio et illustratio interior, prout est a Spiritu sancto, sit quædam efficientia moralis. Sicut enim dispositio ad formam est causa materialis; qui autem dispositionem inducit, est causa efficiens : ita etiam in moralibus, qui proponit rem faciendam et illam consulit ac persuadet, moralis causa efficiens censetur, quamvis res ipsa proposita finaliter tantum moveat. Nec vero per hanc causalitatem moralem excluditur, quin divina gratia sit etiam præcipua causa efficiens realis seu physica liberæ et supernaturalis conversionis : hoc enim sæpe in eodem opere probamus : sed asserimus hanc causalitatem physicam non pertinere ad gratiam excitantem et prævenientem, ut sic; sed ad gratiam adjuvantem seu cooperantem : ut hoc modo integra servetur libertas arbitrii, et usus ejus, etiam in actibus supernaturalibus. Denique per particulam illam exclusivam *solum*, intendimus excludere illud genus causalitatis physicæ, quo voluntas omnino prædeterminari dicitur physica activitate a gratia præveniente; itaut, illa posita, non possit voluntas creata pro sua libertate illi resistere : quod facimus ducti auctoritate Tridentini concilii, ne illi contradicere videamur, ut alia testimonia et rationes omittamus.

SEXTA PROPOSITIO.

Quando dicit concilium Arausicanum Deum non expectare voluntatem nostram, ut purgari velimus, intelligitur, quod non expectat ante primam vocationem : nihilominus post illam Deus expectat liberum consensum. Ita dicit pag. 230, num. 11 et 12; et pag. 68, col. 2, num. 17 ait : *Necesse est Deum ita esse expositum ad cooperandum, ut solum quasi expectetur liberi arbitrii influxus.* Et pag. 280, num. 12 in fine ait : *Deus quasi expectat liberam cooperationem creatæ voluntatis.* Et pag. 579, col. 1, lin. 4 sic concludit : *Ex quibus nobis constat post vocationem expectare Deum, ut homo aperiat et consentiat.* Idem dicit pag. 65, num. 5.

RESPONSIO.

Doctrinam, locis hic allegatis contentam, et prout illis explicatur, catholicam et certam censemus, et oppositam dignam gravi

censura. Nam Scriptura expresse dicit : *Expectat Dominus ut misereatur vestri.* Isai. 30. Quid autem expectat nisi liberam hominis cooperationem? aut in quo est libertas, si Deus hanc non expectat? Unde Hyeronymus ibi : *Grandis*, inquit, *dementia Dei, ut expectet nostram pœnitentiam!* et infra : *Beati omnes qui expectant Dominum expectantem conversionem suam.* Unde huc etiam spectat, quod concilium Tridentinum ad hoc propositum affert : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Joel. et Zach. 4. Quid enim aliud significat quam Deum expectare liberam conversionem hominis, ut eum justificet?

Hæc etiam doctrina cum illam coincidit quam tradit D. Thomas 12, quæst. 112, art. 2 dicens ex parte hominis requiri præparationem ad habitualem gratiam, non vero ad gratiam prout dicitur, ex auxilio Dei moventis, quam nunc gratiam excitantem appellamus. Quia ergo ad hanc gratiam non requiritur hominis præparatio, ideo dixit concil. Arausic. Deum non expectare voluntatem nostram, ut a peccato purgemur, id est ut ad perfectam conversionem moveamur, per quam a peccato purgamur. Quia vero ad infusionem gratiæ habitualis requiritur præparatio libera ipsius hominis, ideo vere dicitur Deus expectare nostram conversionem, ut a peccato nos purget per habitualis gratiæ infusionem. Et simili modo quia ipsamet conversio, ut est ab homine cum gratia cooperante, libera est, ideo, ut Deus illam conversionem in nobis efficiat, nostram etiam cooperationem expectat. Et ob eamdem causam dixit concilium Tridentinum sess. 6, cap. 7, *justitiam unicuique infundi secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem;* hanc ergo Deus expectat, postquam hominem excitavit. Nec plane video, quomodo possit in hac doctrina catholicus doctor dubitare. Quod enim posset cuipiam scrupulum injicere, quod videamur gratiam facere nostri liberi arbitrii pedisequam contra Augustinum, epist. 107 et sæpe alias : hoc, inquam, expeditur ab ipso D. Thomas in 4, dist. 17, quæst. 1, art. 2, quæst. 2 ad 2 his verbis : *Voluntas nostra est omnino pedisequa respectu divinæ gratiæ, et nullo modo prævia, quia ipsa voluntas bona, quæ gratiam gratum facientem præcedit ex Deo nobis provenit, quæ gratuita sua voluntate nos ad hoc provocat, vel flagellis, vel aliquo auxilio interiori; nec tamen voluntas hæc est prævia, sed pedisequa respectu gratiæ gratum facientis, quia non est causa ipsius; sed aliqualiter ad ipsam viam parat.* Itaque voluntas semper est pedisequa, quia sequitur gratiam excitantem; numquam vero est prævia, quia numquam illam omnino antecedit : est autem cooperans respectu gratiæ, etiam cooperantis et quantum ad hoc liber ejus consensus expectatur.

SEPTIMA PROPOSITIO.

Pag. 171, col. 2 in fine, explicans, quid faciat in homine gratia excitans, quam postea in pag. 199, col. 1, lin. 25 docet nihil aliud esse secundum Augustinum et patres, quam gratiam cooperantem, ait quod hæc excitatio, inhærens animæ, excitat illam dormientem ut actu vigilet et attendat, ac si dicatur : *Exsurge qui dormis et illuminabit te Christus;* et pag. 164, num. 12 auxilium excitans non adjuvare pœnitentem, physice producendo actum voluntatis; quod etiam probat ibi aliquibus rationibus, et in discursu libri multoties repetit quod, quando sacra scriptura, concilia et sancti dicunt Deum operari in nobis ipsum velle et facere ut faciamus, et operari ut operemur, et convertere corda nostra et similia, solum verificantur ratione præteritæ excitationis. Ita dicit pag. 200, num. 5 in princ. ubi sic ait : *Hæc enim omnia quatenus aliqua ratione Deo tribuuntur, dicta sunt ratione gratiæ excitantis, et moraliter dirigentis et regentis gressus nostros, vocando, inspirando et excitando.* Videatur pag. 162, col. 1, num. 4, in fine et pag. 169, num. 5 et pag. 171, num. 10 et pag. 172, col. 1, in princ. et pag. 230, col. 1, circa medium. Et specialiter consideranda sunt, quæ dicit pag. 195, num. 7, ubi docet quod quando dicitur Joannis 6 : *Nisi pater traxerit,* illa vox *traxerit* significat metaphoricam seu moralem motionem, qua vel finis, vel rogans, aut persuadens impellit, seu movet voluntatem. Et post pauca subdit hæc verba : *In Scriptura sicut Deus dicitur trahere ad bonum ita et dæmon ad malum.* Apocal. 12. *Draco trahebat secum tertiam partem stellarum, non physica prædeterminatione, sed percussione.*

RESPONSIO.

Tota hæc propositia eadem est cum quinta : qua propter quod ad doctrinam attinet nihil est necessarium addere. Solum quod hic nobis tribuitur, gratiam excitantem nihil aliud esse, quam cooperantem, fortasse per errorem scriptum est, quia tum ibidem, tum alias in illo opere sæpe docemus gratiam excitantem esse operantem, et ratione illius Deum operari in nobis ut velimus, et facere ut faciamus et similia. Quod vero ulterius observatur et specialiter considerandum dicitur circa expositionem verbi *traho* quo Christus, Joannis 8, gratiæ efficacitatem significat : hoc inquam, nulla nova expositione indiget; nam interpretatio illa non nostra, sed Augustini est, quem ibi citamus simul cum Chrysostomo. Exemplum autem eodem loco a nobis adductum ex Apocal. 12, ubi de dæmone dicitur : *Trahit secum tertiam partem stellarum*, non est ad eum falsum sensum extorquendum ut æqualitas et omnimoda similitudo cogitanda sit; hoc enim præsumi non poterat, et ideo explicare illud non oportebat, nec ad rem de qua agebatur erat necessarium : solum enim hoc agebatur, et in hoc ponebatur similitudo, quod verbum *trahendi* non significat physicam prædeterminationem; quod plane illo exemplo convincitur : præter alia, quæ ex scripturis et patribus eodem loco adducitur, quæ satis, ut opinamur, veritatem prædictæ doctrinæ ostendunt.

OCTAVA PROPOSITIO.

Comparat efficaciam auxilii excitantis seu prævenientis efficaciæ morali, quam habet diabolus ad movendum hominem ad consensum in peccatum, significans non alia efficacia Deum movere hominem ad actus supernaturales, quam diabolus moveat ad peccatum pag. 189, num. 13 et pag. 190, num. 7 et pag. 118, col. 1, lin. 7 et pag. 224, col. 1, post medium, et pag. 193, num. 7.

RESPONSIO.

De hac propositione nihil addere oportet, præter ea quæ in proxime præcedenti notata sunt. Mirandum tamen est, quomodo censor abutatur exemplo quo nos utimur ad manu ducendum lectorem, ut intellectum elevet ad efficacitatem divinæ gratiæ intelligendam, tanto majorem, quanto intimiorem et a majori potentia et gratia proficiscentem. Quod nos in eisdem locis, quæ allegantur non tacemus, ut patet ex illa particula : *Multo magis Deus* lib. III, cap. 10, num. 5 et ex illa : *Multo excellentiori modo potest Deus* lib. III, cap. 14, num. 7; et ex illa : *Quod a fortiori patet* ibidem num. 16. Denique Augustinus tract. 26 in Joannem ad declaranda illa Christi verba : *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum*, et gratiæ efficaciam quam indicant, utitur illis exemplis : *Trahit sua quemque voluntas. Ramum viridem ostendis ovi et venit : nuces puero demonstrantur et trahitur.* Quid ergo mirum, quod nos illo exemplo utamur? quia inter res creatas maxima vis in illo demonstratur. Est etiam familiare sanctis patribus et omnibus sapientibus ex effectibus creaturarum excellentiam divinæ virtutis colligere, et per aliquam perfectam prudentiam et providentiam humanam perfectionem providentiæ convincere et ex libertate vel scientia humana similia Dei attributa expendere; non ut cogitetur æqualitas, quæ a nullo nisi amente excogitari potest, sed ut manuducatur intellectus, et ab inferioribus ad superiora excellentiori modo cogitanda ascendat. Quis ergo mirari potest quod nos illo exemplo usi fuerimus?

NONA PROPOSITIO.

Eadem vocatio respectu ejusdem hominis, eodem modo dispositi, quantum est ex se potest esse efficax, nihil ei addendo, vel subtrahendo ex effectibus gratiæ prævenientis pag. 180, num. 9, in fin. pag. 222, col. 1, lin. 22 ait : *Eadem omnino excitatio in uno potest esse efficax et habere effectum et non habere in alio, et ideo nihil in re includit ex parte hominis vocatio efficax quod non includat vel includere possit vocatio sufficiens, si homo illa uti velit.*

DECIMA PROPOSITIO.

Pag. 278, col. 2, lin. 17 ponit exemplum in duobus hominibus æqualiter a Deo vocatis, quorum unus habet difficile ingenium, et complectionem virtuti repugnantem, alius facilem, et tractabilem, vel quia

unus est vitiis magis assuetus, quam alius, et idem exemplum repetit pag. 279, col. 2 in fine, ubi ait : Constituamus ergo duos homines inæquales in ingenio seu naturali complexione, quibus Deus conferat æquales inspirationes et æqualem providentiam gratiæ, quantum ad auferenda cætera impedimenta. Et statim pag. 280 col. 1, lin. 10 subdit, in illis duobus fieri posse, ut ille qui minus aptam habet naturam, complexionem et conditionem, non resistat vocanti, quia illa difficultas non tollit libertatem: alter vero, licet expeditior videatur, pro sua libertate resistat; vel e converso, quamvis ille, qui difficiliorem habet naturam, intensius lumen ac delectabiliorem inspirationem accipiat, ut suæ naturæ difficultatem possit vincere : nihilominus potest vocatio in eo esse inefficax, a quo pauciora impedimenta auferuntur, vel qui cum minori suavitate, aut illustratione allicitur ad consentiendum.

UNDECIMA PROPOSITIO.

Pag. 170, col. 2, lin. 5 defendit theologos asserentes absolute, quod cum æqualibus auxiliis gratiæ ex parte Dei stat quod unus convertatur et alter non. Et pag. 276, num. 15 in princ. inquit, an in eo casu, quo ex duobus æqualibus Deo prævenienti unus credat, alius non credat, et col. 2, lin. 26 ait, quod ex suppositione, et juxta subjectam materiam, et solum respective loquendo, potest illa locutio a falsitate excusari. Et lin. 14 ait : *Clarum est in vero et catholico sensu dici, pro sola libertate hunc credere, quamvis alter non credat.* Et pag. 270, num. 4 in princ. ait : *Loquendo de auxiliis omnibus, quæ dantur, ut principia actus et ex se præscindunt ab actuali concursu, simpliciter verum censeo posse fieri, ut ex duobus habentibus æqualia auxilia, unus consentiat, credat, aut pœnitentiam agat, non alter.* Videatur pag. 278, num. 5, 6, 7 et 9. Videatur specialiter pag. 388, n. 67 et pag. 273, num. 8 circa fin. ubi ait posse intensius operari qui æqualem vel etiam minorem habet vocationem aut promotionem et gratiam, quia pro sua libertate potest unus minus illi cooperari.

RESPONSIO.

Doctrina in his propositionibus contenta eadem est, nec est a nobis nuper inventa, sed a multis antiquis, et recentioribus scholasticis tradita, et a pluribus etiam fidei defensoribus latius declarata et approbata, eo quod et nihil faveat Pelagianis et ad confutandos Lutheranos aptior sit. Habet enim doctrina hæc magnum fundamentum in concilio Tridentino, et antiquis patribus, præsertim Augustino; quæ omnia in lib. III *de auxiliis gratiæ*, cap. 20 et 21 late expendimus : ubi etiam declaravimus, quomodo vocatio, quæ in uno habet effectum, et non in alio, licet in illo non sit necessario major quoad suam entitatem et activitatem quam in posteriori, semper tamen sit major gratia, maj usque beneficium in eo, quia convertitur, quia datur ei gratia in auxilio opportuno. Quo modo declarata hæc sententia non potest censura aliqua notari, nec judicari non valde probabilis, saltem propter tantorum doctorum auctoritatem; maxime cum contraria sententia in antiquis scriptoribus non inveniatur, sed in uno, vel altero ex modernis, qui difficillime tuentur libertatem arbitrii in his, qui consentiunt gratiæ.

Cætera, quæ his locis dicimus ad explicandas locutiones aliquas virorum catholicorum in hac materia scribentium et præsertim illam : Ex duobus æque vocatis unum converti, alium vero non converti pro sua libertate; hæc, inquam, licet ab his censoribus insimulentur, et reprehensione digna judicentur, nihilominus esse censemus et rationi consentanea et ecclesiastico scriptore digna : nam sicut ad illius manus pertinet hæreticos confutare, ita etiam viros catholicos pie interpretari et ab errore defendere : præsertim ubi de vero illorum sensu constat et verba commodum sensum patiuntur. Nec enim expedit de solis verbis pertinaciter contendere : timendumque est, ne nobis contigat, quod alias dixit Gregorius Nazianzenus (orat. 21 in Athanasium ad fin.) : *Ut diversæ fidei speciem præbeat levis quædam et jejuna de vocum sono altercatio; quæ res esset valde ridicula, vel potius miseranda.*

DUODECIMA PROPOSITIO.

Pag. 234 refert sententiam, quæ asserit, voluntatem humanam concurrere in ordine ad actus supernaturales, ut causam in suo ordine principalem, non quidem primam, sed secundam, neque in eo ordine integram, sed partialem et minorem vim habentem; nam partialem virtutem etiam in

ratione causæ proximæ ad auxilium gratiæ esse contendunt : dicunt tamen necessarium esse, ut voluntas ex se habeat aliquam vim proportionatam iis actibus, saltem partialiter, ut possit in suo genere inchoare actionem et determinationem; et statim in eadem pag. col. 2, lin. 17 subdit : Atque hæc sententia non est digna aliqua censura; sed suam habet probabilitatem.

RESPONSIO.

Quamvis sententia hæc simpliciter nobis non placeat, non possumus censura notare, quam doctissimi et gravissimi viri defendunt. Qui vero tanta facilitate sententias, inter catholicos receptas vel probabiles reputatas, condemnant, qua id lege, vel ratione faciant ipsi viderint. Quod si nos velint censura notare, quia in hujusmodi rebus censuram non adhibemus, libentius hanc injuriam patiemur, quam ut aliis similem inferamus.

TERTIA DECIMA PROPOSITIO.

Pag. 175, col. 2, lin. 5 ait fidelem peccatorem habere sufficiens auxilium adjuvans, quod necessarium est per modum principii, quia habet Deum paratum ad adjuvandum ipsum, quotiescumque liberum ejus arbitrium per fidem excitatum sese ad suam conversionem applicaverit : nec refert sive hoc auxilium adjuvans, ut in actu primo sufficiens, ponatur inhærens, sive non inhærens, sed assistens. Et num. 7 circa finem ait : *Ex nostro arbitrio pendet quod auxilium generale ordinis supernaturalis ponatur vel non ponatur in actu secundo; nam voluntate nostra applicante se ad opus, statim etiam Deus influet ex vi suæ antecedentis voluntatis : si autem nostrum liberum arbitrium suum influxum continuerit, etiam concursus Dei actualis cessabit.*

RESPONSIO.

Duo sunt puncta, quæ in hac propositione notantur. Primum spectat ad propositionem tertiam supra tractatam et ad controversiam illam theologicam, an primus actus conversionis peccatoris procedat ab habitu, vel aliquo alio principio creato inhærente, an a sola voluntate mota a Deo per gratiam excitantem et adjuta per specialem concursum supernaturalem. In qua controversia nos eligimus hanc ultimam partem, ut probabiliorem; et hoc sensu dicimus gratiam adjuvantem respectu talis primi actus, ut distincta est in re ab excitante et ab actuali concursu supernaturali, non esse aliquid inhærens voluntati; sed Deum ipsum per se supplere vicem habitus in efficiendo primum actum, ut possit homo ad receptionem ipsius habitus se disponere. Quod ergo hæc opinio valde probabilis sit circa tertiam propositionem satis insinuatum est, adductis auctoribus, eorumque fundamento indicato. Quid ergo censura dignum hic notari prudenter possit non video? quamvis in re dubia et ad fidem non pertinente possint alii aliter opinari.

Aliud, quod in hac propositione tangitur, est de modo, quo datur voluntati, vel offertur concursus divinus actualis ad actus liberos etiam supernaturales. Nos enim dicimus ita offerri, ut sit in potestate nostra illam actu recipere vel non recipere, impedire vel non impedire. Quod non solum non veremur, ut sit dignum censura, verum etiam existimamus esse necessarium ad fidei dogmata defendenda et concilianda. Atque ita censuerunt probatissimi doctores, quos infra indicabimus, quia punctum hoc in sequentibus propositionibus iterum inculcatur. Nec vero propterea dicimus, voluntatem nostram esse priorem in sua determinatione, quam sit divinus concursus; id enim repugnat, ut sæpe in eodem opere declaramus : quia ipsa determinatio voluntatis essentialiter petit et includit divinum concursum : sed solum dicimus concursum Dei, ut actu in nobis receptum, non esse sine nobis libere influentibus, nec nostrum influxum esse posse sine concursu Dei, atque ita nos cooperari gratiæ Dei, et Deum nobiscum cooperari. Hic est enim modus loquendi sacræ scripturæ et sanctorum; qui non videtur posse commodius intelligi.

QUARTA DECIMA PROPOSITIO.

Pag. 176, col. 1, lin. 28 refert sententiam asserentium auxilium solum dici efficax ab effectu, quia homo de facto cum illo convertitur, vel consentit : unde negant esse ex se efficax, sed accedente tantum concursu libero voluntatis; a quo proinde omnino pendet, ut auxilium sufficiens fiat efficax, idem habeat effectum; et statim subdit, hanc sententiam non esse falsam

sed diminutam. Et col. 2, lin. 12, inquit : *Ut probabilius et verius statuimus, auxilium non solum dici efficax, quia facit; sed etiam quia vires præbet efficacissimas voluntati, ut Augustinus dixit de Grat. et lib. arbitr. cap.* 7, clare significans esse probabile quod auxilium prævenientis gratiæ solum dicatur efficax ab eventu et quod tale auxilium non præbeat efficacissimas vires voluntati.

RESPONSIO.

Miror citari locum, ubi hoc breviter attingitur et omitti alium, in quo ex professo hæc opinio declaratur, nimirum cap. 14, lib. III *de auxiliis*, in quo nihil reprehensione dignum ab hoc censore inventum est. In illo ergo cap. fuse declaramus quid in hac sententia verum sit, quid vero diminutum et a vero deficiens. Nam propter primum diximus in loco hic citato, non reprehendi illam opinionem, quia falsum dicat. Verum est enim gratiam posse dici efficacem, quia actu efficit; sed quia non solum ob illam causam dicitur efficax, sed etiam quia efficacitur facit, ut faciamus, secundum mentem Augustini et secundum veram rationem, ideo diximus illam sententiam esse diminutam et minus veram. Ab alia vero graviori censura abstinuimus, quia nec necessariam illam esse putamus, nec dari posse cum sufficienti causa vel ratione.

QUINTA DECIMA PROPOSITIO.

Videtur clare auctor sentire, quod Deus et gratia ipsius solum tribuat initium justificationis remotum, videlicet, primam excitationem; homo vero, supposita illa excitatione, incipiat prius natura liberam conversionem, per quam proxime præparatur ad gratiam; et posterius natura, quia homo voluit consentire, Deus adjuvet illum ad conversionem simultaneo concursu : etenim pag. 209, col. 1, circa fin. ait, quod multæ locutiones non solum sanctorum, sed etiam divinæ scripturæ non possunt satis intelligi et ad veram praxim reduci, si supernaturalis concursus, etiam supposita excitatione, et aliis ex parte hominis prærequisitis, inchoandus est ab illa efficaci Dei voluntate prædeterminata ad unum. Et pag. 283, col. 1, circa fin. satis aperte concedit quod Deus det initium remotum, homo vero initium proximum. Videatur pag. 33, in fine, ubi ait, quod omnis voluntas libera potest dici in suo genere proxima radix suæ determinationis; et pag. 76, col. 1, lin. 13, ait quod causa secunda, quantum ad determinationem actionis, est quodammodo prima radix determinationis actuum humanorum, *sit ipsum velle Dei. Videantur num. 8 adducenda propositione 16. * Videntur aliquot verba deesse.

RESPONSIO.

Sinistre interpretatur censor sententiam nostram; tantumque abest, ut videamur clare sentire, ut ipse ait, voluntatem prius natura inchoare liberum consensum quo se proxime disponit ad gratiam, quam gratia illam adjuvet, ut potius sæpissime in hoc opere declaremus, liberum consensum ita esse in potestate voluntatis, ut tamen sine divino influxu et cooperatione illum efficere non possit, ut videre licet lib. I, cap. 14, 15 et 17 et lib. III, cap. 5 num. 4 et 5 et cap. 22, et in hoc ultimo loco expresse refutamus ea, quæ hic nobis falso imponuntur : quod etiam breviter attigimus lib. I, cap. 8, num. 8. Doctrinâ ergo, quam veram existimamus, hæc est, initium salutis absolute et simpliciter, ut patres loquuntur, ex Deo solo esse, operante in nobis sine nobis; atque hoc initium seu exordium salutis a Dei vocatione sumi, ut concilium Tridentinum dixit sess. 6, cap. 5; post hoc autem initium, ut aliqua dispositio propinquior fiat, necessariam esse liberam cooperationem voluntatis, ut idem concilium eodem loco expresse docuit dicens : *Declarat præterea ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponantur;* deinde ad hanc cooperationem liberam non solum necessariam esse gratiam prævenientem, sed etiam cooperantem, ita ut actibus voluntatis non possit esse prior etiam natura quam influxus gratiæ adjuvantis seu cooperantis.

Unde falsum omnino est, quod in hac propositione 15 fingitur a nobis dici, vel cogitari, quia homo voluit consentire, ideo Deum juvare illum simultaneo concursu. Nam velle consentire, et consentire non

sunt duo in voluntate, sed unus et idem actus, si velle illud efficax est, prout nunc de illo loquimur. Quodsi fingamus esse actus distinctos, etiam velle consentire vocationi supernaturali est actus supernaturalis et non potest fieri sine gratia cooperante et adjuvante ad illum. Quapropter etiam respectu illius non est voluntas principium proximum unicum, vel principale; sed est principium secundarium, ut sic liceat loqui, cum gratia adjuvante et principalius cooperante ut in dict. cap. ult. lib. III explicatum reliquimus. Qui locus cum aliis, quæ in propositione 13 citantur, eamdem doctrinam continent, nimirum, sicut potentiæ vitalis est proxima et propria radix actus vitalis, ut vitalis est, ita voluntatem esse proximam radicem actus liberi ut vitalis ac liber est, etiamsi illum non eliciat sine divina cooperatione actui proportionata.

SEXTA DECIMA PROPOSITIO.

Tenet, quod concursus Dei, quantum est ex se, est indifferens ad quod determinatur ex influxu voluntatis creatæ, vel alterius causæ secundæ. Etenim pag. 74, col. 2, lin. 33 sic ait : *Divina potentia indifferenter applicata est, et ex vi hujus efficaciæ et illius voluntatis pro qua est ad concurrendum applicata, æque posset ad hunc vel illum actum influere, vel etiam ad nullum, si voluntas creata non influeret.* Et pag. 137 in fine concedit, quod actio transiens respectu Dei, seu quæ est extra Deum determinetur ad talem actionem ex concomitentia talis causæ secundæ.

RESPONSIO.

Hæc doctrina de divino concursu nec nova est, nec singularis, sed communis scholasticorum, quos retuli late lib. I, c. 14 et lib. II, cap. 3. Et quia res hæc metaphysica est potius quam theologica, non judicamus hoc loco esse plura necessaria præter ea, quæ statim notabuntur in propositione sequenti.

SEPTIMA DECIMA PROPOSITIO.

Docet Deum non voluisse ab æterno absoluta et efficaci voluntate actus bonos moraliter, qui in tempore fiunt ab homine et humana voluntate; sed sub conditione saltem implicita : *Si humana voluntas voluerit suum concursum præstare.* Etenim pag. 280, num. 12 in princ. ait concursum causæ secundæ ad actus liberos humanæ voluntatis non præberi necessario per hujusmodi voluntatem absolutam, et efficacem qua Deus velit actum liberum fieri a voluntate humana : sed ad illum sufficere actum, quo veluti sub conditione velit talem actum fieri et sic ad illum influere, si voluntas humana ad illum cooperari voluerit. Et pag. 73, col. 2 in princ. ait : quod ex vi actus voluntatis suæ quo Deus determinate ac definite vult cum humana voluntate cooperari ad actum in particulari, non vult talem actum absolute, sed cum dependentia ejusdem actus a proxima causa, seu voluntate creata et includendo in se implicitam conditionem, *si ipsa consentire voluerit.* Et pag. 312 col. 2, lin. 11 ait voluntatem, quam Deus nunc habet concurrendi cum humana voluntate libere operante, non potuisse esse omnino absolutam propter præscientiam conditionatam. Et pag. 313, col. 1, lin. 40 ait, quod illa voluntas, scilicet Dei, non est omnino absoluta, sed conditionem aliquam virtute includens, et dicit hanc esse communem theologorum sententiam. Et pag. 313, col. 1, lin. 44 id ipsum repetit. Et pag. 65, num. 5.

RESPONSIO.

Minus fideliter referuntur quæ locis hic citatis a nobis dicuntur, falsaque sententia nobis imponitur et vera tacetur. Numquam enim invenietur in toto nostro opere, Deum ex æternitate non voluisse actus bonos, qui in tempore fiunt et præsertim supernaturales, de quibus in primo loco hic adducto sermo est. Et de illis in lib. III, cap. 17 ex professo ostendimus esse ex æternitate a Deo prædefinitos ante præscientiam absolutam eorum. Prædefinitio autem est absolutum decretum divinæ voluntatis : quomodo ergo nos dicere possumus, Deum ab æterno non voluisse hos actus voluntate absoluta? Est ergo nostra sententia in locis hic citatis longe diversa, nimirum Deum non præbere concursum ad extra per illam voluntatem absolutam; sed per aliam quæ involvit conditionem, quia Deus non vult concurrere nisi cooperante voluntate creata, quod illi liberum relinquit, et ideo in objecto illius voluntatis divinæ includitur hæc conditio : *Si voluntas humana cooperetur;* et de hac voluntate locuti sumus in

omnibus locis quæ hic citantur : et signatim in lib. I *de scientia Dei*, cap. 6, num. 13, explicamus, quomodo Deus absolute velit supernaturales actus præfiniendo illos, quamvis ad illos per illam absolutam voluntatem non concurrat. Quod generalius etiam declaramus lib. II, cap. 7, num. 20 distinguendo secundum nostrum intelligendi et loquendi modum varios actus divinæ voluntatis, explicando quomodo velit Deus hos actus hominis absolute, quomodo vero sub conditione implicita, utroque vero modo ex æternitate.

Hæc autem doctrina, quantum spectat ad concursum Dei cum libera voluntate creata, quod non oriatur ex decreto omnino absoluto respectu actus futuri, sed includente in objecto conditionem, communis est theologorum, ut hic ex nobis refertur, quod non negamus : nam id ex professo ostendimus lib. I, cap. 14 in generali de concursu ad actus liberos; et lib. II, cap. 3 de concursu ad actus malos, de quibus eadem est proportionalis ratio, ut ostendo eodem lib. II, cap. 6. De concursu vero ad actus supernaturales, quod eodem modo detur, citantur auctores lib. III, cap. 13 in fin. Ex quibus solum hic repetam Dominici Soto testimonium, quia inter theologos mediæ ætatis et præsertim inter eos qui scholam D. Thomæ sequi profitentur, magnæ est auctoritatis, et quia tum sententiam, quam rationem ejus breviter exprimit. Ille ergo lib. I *de nat. et grat.* cap. 16, ut declaret concursum Dei non tollere usum libertatis, sic inquit : *Quocirca quidquid Deus vult voluntate absoluta, et quæ dicitur beneplaciti, fit juxta id : Voluntati ejus quis resistet? Quando autem cum libero homine concurrit, non vult illud fieri, nisi salva humana natura et libera voluntate, quæ idcirco resistere Deo potest.* Ego sentit illam voluntatem, qua Deus concurrit, non esse absolutam, neque includere talem motionem cui nos resistere non possimus. Unde inferius ait : *Sunt alia secundi generis opera, quæ ita in nobis Deus exercet, si nos tamen assensum præbeamus.* Ubi satis explicuit conditionem in illa voluntate Dei inclusam. Cui sententiæ adeo constanti et firmo judicio adhæsit, ut cum alias opiniones suas corrigeret vel declararet, in fine lib. IV sentit, quod ab hoc dimoveri non potuerit, quia necessariam illam existimabat ad libertatem arbitrii defendendam, ut his verbis satis notandis ipsemet declaravit : *Quidam vero hoc taxare voluerunt, dicentes, quod nimium tribuerim libero arbitrio in justificationis causa; et tamen, salva semper catholicæ ecclesiæ censura, arbitror necessario sic dicendum.* Et paulo infra : *Et ideo postquam dixit Christus Joan. 6 : Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui me misit, traxerit eum; subjunxit : Qui audit et discit, venit ad me, quasi in nostra potestate sit trahenti resistere, aut assentire.* Hæc Soto.

OCTAVA DECIMA PROPOSITIO.

Pag. 233, num. 3 refert sententiam quorumdam theologorum, qui negant Deum elegisse aliquem hominem efficaciter ad gloriam ante prævisa uniuscujusque merita, et perseverantiam in illis usque ad mortem; et eam confirmat rationibus et multis locis sanctorum Patrum. Et postea pag. 238 lin. 5 ait : Hæc sententia revera probabilis est et nihil involvit aperte impossibile, vel quod aliqua ex parte ad errorem Pelagii accedat.

RESPONSIO.

Negare non possumus controversiam hanc ad fidei dogmata non pertinere et sententiam hic relatam probabilem esse et nulla alia censura dignam; quia gravissimi theologi illam defendunt non solum ex modernis, sed etiam ex antiquis, ut constat ex Bonaventura 1, dist. 41, art. 1, quæst. 1, Okam, Gabr., Guillelmo de Rubione ibidem et Majore dist. 40, q. 1. Ut omittam Camerarium, Osorium, Turrianum, Javellum et alios. Ex quibus multi existimant dubiam esse in hac parte sententiam patrum : nam Græci huic præcipue sententiæ sæpe favere videntur. Et Augustini sententia non est adeo certa, quin aliquibus in locis hanc partem docere videatur. Quis ergo audebit huic sententiæ censuram aut notam inurere sine auctoritate vel definitione ecclesiæ? Maxime cum hic locum habeat, quod Cælestinus papa in epist. ad episc. Gallic. post commendatam doctrinam Augustini subjungit : *Profundiores vero difficilioresque partes occurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis resisterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere : quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere*

credimus, quidquid secundum prædictas regulas apostolicæ sedis nos scripta docuerunt.

NONA DECIMA PROPOSITIO.

Non est de fide Deum prædefinire proprie omnes actus supernaturales in particulari, pag. 246, num. 6 et 7. Item etiam pag. 77, num. 3 refert sententiam asserentium, quod Deus ante præscientiam visionis futuri actus liberi non potest prædefinire aliquem actum liberum, quia hoc ipso tolleret ejus libertatem. Et postea pag. 78 in princ. ait quod in hac sententia nihil est, quod apertam ac necessariam connexionem habeat cum aliquo dogmate certo fidei. Et pag. 77, col. 2 in fine ait : Quod potius esset hoc totum admittere, quam ponenda physica nostræ voluntatis determinatio ad singulos actus. Et pag. 193, col. 2, lin. 8 loquens de actibus bonis moralibus ordinis naturalis, ait probabilius videri aliquas ex his actionibus prædefiniri a Deo, non vero omnes. Et pag. 250, num. 17 in princ. ait esse probabilius actus supernaturales reproborum esse a Deo prædefinitos; et loquitur de prædefinitione actuum in particulari.

RESPONSIO.

Quod in præcedenti et in 12 propositione respondi, hoc in præsenti dicendum arbitror. Solum quia in fine totius propositionis advertitur, sermonem esse de præfinitione actuum in particulari, addendum etiam fuisset, sermonem esse de prædefinitione, quæ non solum secundum durationem æternitatis antecedat; sed etiam in ipsa æternitate secundum ordinem rationis ante præscientiam absolutam futurorum præcedat. Nam quod decretum æternum in Deo sit, consentiunt omnes theologi : disputant vero ut verbis Prosperi in simili causa utar, in epist. ad Augustinum, an præscientia sit obnixa proposito, et ita fit præfinitio, vel potius propositum supponat præscientiam et ita fit solum approbatio et acceptatio. In hoc ergo sensu non video, quo fundamento dici possit esse contra fidem negare hunc prædefinitionis modum, nec qua auctoritate possit notari aliqua censura dignum, esto ut minus probabile, ac simpliciter falsum illud rejiciamus.

Quamquam autem Censor male ferre videatur comparationem illam, quæ hic refertur, si necessarium esset vel hanc præfinitionem negare, vel ponere physicam prædeterminationem ad consensum voluntatis, potius illud esse negandum, quam hoc asserendum : nobis nihilominus maxime probatur, quia in priori puncto non est aperta repugnantia cum principiis fidei : in posteriori vero duo certissima dogmata labefactari videntur : unum est de usu libertatis in his, qui consentiunt, aliud de sufficientia gratiæ in his, qui non consentiunt. Ut in dicto opere latius prosecuti sumus. Hæc autem comparatio fit propter eos, qui putant necessarium alterutram ex illis sententiis eligere : quia inter prædefinitionem et prædeterminationem physicam nihil distinguunt. Nos vero distinguentes, et prædefinitionem admittimus et prædeterminationem physicam negamus.

VICESIMA PROPOSITIO.

Pag. 329, col. 2, lin. 40, Petrus potest facere, ut neque jam sit, neque umquam fuerit in Deo præscientia, qua præscivit Petrum peccaturum.

RESPONSIO.

Primum in loco hic citato non ego quidquam assero; sed multorum sententiam refero, quam statim improbo; minus ergo fideliter ac sincere hic locus notatur. Deinde materia hujus propositionis digna non erat, quæ in hoc loco poneretur, quia magis est dialectica, quam theologica quæstio, pertinensque ad usum verbi *potest* in sensu composito aut diviso, potiusquam ad rem aliquam, quæ doctrinam fidei concernat. Tota autem ea res fusius a nobis declaratur paulo inferius eodem loco num. 20 ubi absolute iterum improbamus illum loquendi modum, et proprium ac verum etiam ex mente Augustini proponimus.

II

PROPOSITIONES CENSURA DIGNÆ, DE QUIBUS REDARGUITUR ET RECONVENITUR IS, QUI SUPERIORES PROPOSITIONES EXCERPSIT, SCILICET DOMINICUS BANNEZ.

PRIMA PROPOSITIO.

Non potest Deus per suam excitantem gratiam, ita efficaciter movere hominis vel angeli voluntatem, ut immediate faciat illam elicere consensum vel motum vo-

luntatis plene liberum; sed necesse est ut prius illam moveat ad actum indeliberatum.

Continetur hæc propositio in secunda supra posita, in qua contradictoria hujus notatur, ut censura digna. Nos autem putamus potius hanc sententiam censura dignam, quia injuriosa videtur divinæ gratiæ, dum ejus efficacitatem nimium coarctat sine auctoritate vel ratione cogente.

Quodsi fortasse dicant, se non negare, quin Deus per absolutan potentiam possit hoc facere : interrogabimus, an interdum Deus utatur hac potestate necne. Si enim affirmant, nihil aliud est, quod in prædicto loco asseritur, quodque ipsi observant, ut censura dignum : tunc enim quando Deus utitur tali potestate, non sunt necessarii motus voluntatis indeliberati, et imperfecti. Si vero negent Deum aliquando uti hac potestate, ostendant ubi posuerit Deus hanc legem vel mensuram suæ potestati et voluntati, ut nullum aliter ad se trahat nisi præviis motibus indeliberatis : nec angelos, quibus tales indeliberati motus quodammodo repugnant, spectato perfecto modo intelligendi eorum absque discursu; nec B. Virginem, quæ excellentiori modo, quam ipsi angeli in Deum mota est, et conversa in prima sua justificatione et conceptione; nec Paulum, aut alium similem, quantumvis efficaciter et miraculose, ut D. Thomas loquitur, ad Deum conversum. Quod si nullo testimonio vel ratione probabili ostendere possunt Deum præfinisse sibi sua volnntate illum operandi modum, certe dum contendunt, illum esse necessarium, satis significant divinam gratiam ex se esse limitatam, nec habere majorem efficaciam; et hoc dicimus esse censura et correctione dignum. Nam licet ordinarie et regulariter Deus illum modum observet in excitandis et movendis hominibus, quia se accommodat naturæ et imperfectioni eorum, ut eodem opere *de auxiliis* (lib. III, cap. 4, num. 4, cap. 5, num. 3) late ostendimus : non est tamen modus ille ita necessarius, quin possit Deus aliter movere homines et interdum id faciat ex abundantiori misericordia et gratia, ut ex D. Thoma et aliis circa secundam propositionem notatum est.

SECUNDA PROPOSITIO.

Deus, postquam peccatorem excitavit, et vocavit, non expectat ejus liberam cooperationem, ut ipsum justificet, vel convertat.

Colligitur hæc propositio ex sexta a censore observata, in qua reprehendi et damnari vult quod nos diximus, Deum post primam vocationem expectare liberum consensum, influxum, seu cooperationem voluntatis hamanæ. Negat ergo expectare Deum liberum consensum, liberamve cooperationem hominis jam vocati. Hæc ergo propositio ibi continetur.

Eam vero putamus graviori censura dignam. Primum quia Scriptura illo modo loquitur : *Expectat vos Deus*, quod non potest intelligi nisi de homine jam vocato; nam ad vocandum non expectat, cum alibi dicat : *Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant. Et tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.* Et quamvis ibi expresse non declaretur, quid vel a quo Deus expectet, declaravit tamen Hieronymus dicens : Expectare Deum pœnitentiam hominis. Quod etiam sequentia verba satis declarant, scilicet, *ut misereatur nostri :* nam ut Deus misereatur hominis, nihil aliud expectat, quam conversionem ejus, juxta illud : *Convertimini ad me.* Deinde quia de fide est Deum postulare ab homine consensum, et relinquere illum in manu sua, ut illum præbeat, vel neget : hoc autem ipsum et nihil aliud, significatur per verbum illud expectandi. Quod etiam declarat Scriptura illa phrasi locutionis : *Ecce sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Quomodo poterat Spiritus sanctus clarioribus verbis, aut pulchriori metaphora significare, quod ad pulsandum, scilicet per vocationem et gratiam excitantem, nihil expectat; ad intrandum vero per sanctificantem gratiam, expectat ut homo aperiat per liberum consensum? Non quia hunc consensum possit voluntas, etiam vocata, sola sua libertate sine divina gratia adjuvante præstare : sed quia ipsamet gratia adjuvans illum non facit sine libera cooperatione voluntatis : hanc ergo Deus expectat.

TERTIA PROPOSITIO.

Non potest homo cum eadem Dei vocatione vel excitatione consentire, aut dissentire si velit.

Propositio hæc plane supponitur a Censore in his, quæ observat propositione 9, 10 et 11. Nam quoad hoc eadem ratio est, vel major de eodem homine, et de distinctis aliis æque affectis et dispositis. Nam distinctio personarum nihil refert, cum modus libertatis sit idem eademque gratiæ necessitas, atque eadem capacitas, aut impedimenta similia ad operandum. Cum ergo in illis propositionibus censor satis clare negare intendat, existentibus diversis hominibus æque affectis et vocatis ac excitatis, posse unum consentire vocationi, si alter dissentit; a fortiori idem negat in eodem homine, et simpliciter in quocumque homine, vel quibuscumque hominibus. Hoc autem, ut videtur, cum vero usu libertatis, et cum doctrina concilii Tridentini non potest consistere.

Propter hanc ergo causam, hanc tertiam propositionem putamus, gravi censura dignam, quia directe videtur repugnare verbis concilii Tridentini sess. 6, can. 4 : *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit; sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive, se habere, anathema sit.* Ubi necesse est concilium loqui stante eadem *vocatione*, cum ait, liberum arbitrium, a Deo motum et excitatum, ita cooperari Deo excitanti, ut possit dissentire, si velit. Nam si solum diceret posse dissentire, si Deus vocationem tollat, minuat, vel si omnino non det illam, hoc neque esset vere dissentire, neque quidquam referret ad libertatem arbitrii tuendam, quod concilium maxime intendit. Et hæc est ratio, ob quam dicta propositio a nobis judicatur censura digna. Nam si, vocatione posita, non posset homo dissentire, non esset liber consensus, cum nec vocatio sit libera, nec in hominis potestate; nec, illa posita, effectus, qui ex illa sequitur, sit indifferens respectu hominis jam vocati. Et e contrario si vocatio, cui homo dissentit, necessario talis est, ut homo non possit illi consentire, nisi majorem accipiat, jam talis vocatio non est sufficiens, et consequenter vocatio sufficiens non datur homini, qui dissentit. Et ita propositio illa videtur tollere, vel libertatem arbitrii in his, qui consentiunt vocationi, vel sufficientiam gratiæ in his, qui dissentiunt, vel certe utramque.

QUARTA PROPOSITIO.

Voluntas creata non habet a Deo paratum concursum indifferentem, sed determinatum ad unum.

Hæc propositio continetur aperte in observatione 13 et 16 propositionis nostræ. Eam autem correctione dignam censemus; quia juxta illam tollitur vera indifferentia in efficiendis actibus voluntatis. Quia voluntas sine devino concursu non potest operari : ergo si non habet paratum Dei concursum indifferentem, id est sufficientem ad varios actus consentiendi et dissentiendi, non habet potestatem proximam indifferentem ad operandum : sed si habet concursum paratum tantum ad unum actum, illum tantum operari potest, et non alium. Hæc enim ratio deducit ad aliquid contrarium fidei, et ita deducit, ut vix aut nullo modo possit consecutio inficiari, stante illa propositione. Merito ergo illa notatur, ut censura digna. Cujus etiam signum est, quia theologi fere communiter illa ratione moti, longe aliter sentiunt de divino concursu, ut circa easdem propositiones 13, 16 et 17 notatum est.

QUINTA PROPOSITIO.

Deus per gratiam illam excitantem, quæ ad concursum supernaturalem necessaria est, prædeterminat physice voluntatem creatam ad unum, ita ut non possit voluntas pro sua libertate tali vocationi vel excitationi resistere.

Hæc propositio non ita necessario infertur ex his quæ Censor notat, sicut aliæ hactenus a nobis propositæ. Tamen qui noverit statum et punctum controversiæ, facile intelliget hunc esse scopum harum omnium observationum ac censurarum. Præterquam quod hæc satis insinuatur in 19 propositione, in qua notatur, quod hæc physica prædeterminatio negetur; et in propositione 15 in qua prædeterminatio ad unum defenditur, et in aliis, in quibus non placet ut indifferentia voluntatis nostræ defendatur a nobis, facta omni suppositione, quæ ipsum actum liberum non includat.

Propositionem autem ipsam censura dignam censemus, propter illa duo dogmata cum quibus non videtur posse consistere. Unum est de libertate eorum, qui gratiæ

consentiunt, aliud de sufficientia gratiæ in his, qui non consentiunt. Quæ deductiones latissime traditæ sunt in dictis libris *de Auxiliis*, et ideo hic prolixiores non sumus. Abstinuimus autem ibi a censuris propter sanctissimi Domini nostri mandatum, a quo nunc discrepare non intendimus, et ideo etiam a particularibus censuris abstinemus; solumque justæ defensionis gratia quid periculi in hac doctrina esse possit insinuamus, idque in ordine ad informandum eumdem pontificem summum, cui scriptum hoc offerre intendimus.

SEXTA ANIMADVERSIO.

Ultimo loco necessarium judico in his propositionibus notari maximam quamdam licentiam inferendi censuras, et infamiam inurendi sententiis gravium doctorum et theologorum. Hoc enim ita esse apertissime constat ex discursu omnium propositionum, cum his quæ circa illas notavimus, et præsertim ex 15. Ortum autem videtur vel ex nimia pertinacia in propriis opinionibus tuendis : nam inde fit, ut, quidquid ab illis discordat, erroneum, vel temerarium videatur; vel ut timorem legentibus et addiscentibus incutiant, quia non putant se posse suas sententias tueri, nisi alias infament. Existimavi autem necessarium hoc advertere, et supremo judici proponere, ut si hoc ita esse perspexerit, nec his censuris quidquam moveatur, nec permittat tam facile infamari multos, qui pro sacra doctrina et sancta ecclesia pro viribus laborant.

DECLARATIO SECRETARII SOCIETATIS JESU.

Epistolam P. Francisci Suarez ad Clementem VIII pontificem maximum, et epistolæ subjunctas ejusdem responsiones ad propositiones notatas a M. Dominico Bannez, curavit reverendus admodum pater noster generalis Thyrsus Gonzalez fideliter referendas in huncce codicem ex monumento ms. quod servatur in archivo Romano societatis, et patri Gaspari Josepho Charonier, Roma in Galliam redeunti cum celsissimo et eminentissimo D. cardinali Buglionio, mandavit deferendas ad insignem bibliothecam collegii Lugdunensis, ad pignus aliquod suæ erga collegium benevolentiæ et mnemosynon perpetuum laborum et meritorum P. Francisci Suarez. Quod hisce declaro Romæ 7 Septembris 1690.

Ægidius Estrix, *secretar. soc.*

PRÆFATIO

IN DISSERTATIONEM R. P. FRANCISCI SUARESII DE IMMACULATA CONCEPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

I Inter monumenta tam edita quam inedita, quæ R. P. Budrioli Societatis Jesu circa finem sæculi superioris collegit, ut antiquam fidem de prærogativa Immaculatæ Conceptionis beatissimæ virginis Mariæ firmaret, propagaretque, reperitur *quæstio* seu *dissertatio inedita,* olim a P. Francisco Suaresio scripta, quæ publica luce prorsus digna videtur. Monumenta, a P. Budrioli collecta, quinque spissis voluminibus continentur, et hactenus in archivo domus professæ Societatis Jesu Romæ servata sunt. Dissertatio P. Franc. Suaresii in tertio volumine reperitur, et descripta videtur ipsa ætate auctoris.

II Porro opusculum hoc P. Franc. Suaresii fœtum genuinum esse dubitabit nemo, qui attente legerit atque contulerit cum sectione 3 disputationis 3 tomi II *de Incarnatione Domini,* quam P. Suaresius edidit ad instar commentarii in tertiam partem summæ theologiæ sancti Thomæ. Ibi enim quæstio iisdem fere verbis proponitur ac in dissertatione inedita; ita nempe : *An B. Virgo fuerit ab originali peccato præservata, et in primo suæ conceptionis instanti sanctificata* (pag. 22, ed. Mogunt. 1604). Eadem etiam fere argumenta in utroque libro proferuntur, plerumque iisdem verbis; cum hoc tantum discrimine quod in dissertatione inedita auctor nonnulla capita doctrinæ stringat, alia vero plenius evolvat, et eloquentiori quam in commentariis calamo scribere videatur. Ipsa methodus et scribendi ratio P. Suaresium auctorem opusculi esse manifestant; id fatebitur quisquis cætera scripta eximii doctoris jam attente perlegerit. Accedit quod auctor dissertationis num. 24 lectorem suum amandet ad disputationes supra habitas de scientia et gratia Christi, et ad præcedentem quæstionem de Beata Virgine; quæ nota probe convenit scriptis Suaresii, quippe qui in commentariis suis in tertiam partem summæ sancti Thomæ hæc doctrinæ capita ex industria tractat.

III Numquid igitur eximius auctor hanc quæstionem sive dissertationem de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, scripsit ut eam his commentariis insereret? Ex citatis verbis ita res se habere videtur, non eo quidem pacto, ut cæteris commentariis addatur, quum minime fieri possit ut eadem argumenta bis in eodem opere proponantur, sed ut locum sectionis 3 disputationis 3 occupet, eique substituatur. Huic opinioni obstat tamen primo quod num. 10 ineditæ dissertationis doctissimus auctor lectorem amandet ad *quæstionem sextam* præsentis operis, quum commentarii in III partem summæ sancti Thomæ non dividantur in quæstiones, sed in disputationes et sectiones; nec alludere possit ad quæstionem sextam ipsius summæ, in qua agitur de argumento prorsus alieno a doctrina quæ num. 10 dissertationis ineditæ expenditur. Obstat præterea quod ipsa dissertatio in collectione P. Budrioli inscribatur *Quæstio duodecima;* quæ quidem inscriptio commentariis in III partem summæ sancti Thomæ aptari nequit. Primam conjecturam firmat nihilominus usus P. Suaresii inserendi commentariis suis in summam sancti Thomæ scripta sua alias composita. Narrat nempe P. Josephus Massei quod, quum magister Joannes de Avila non sine publicoa pplausu prædicasset Beatam Mariam Virginem sanctitate in vita et gloria in cælo superasse omnes angelos et omnes sanctos præteritæ præsentis et futuræ ætatis, fra-

ter Fr. Suaresius, qui tunc temporis studiis vacabat et annum vigesimum secundum attigerat, a superioribus acceperit mandatum hanc thesim in honorem sanctissimæ Dei genitricis Mariæ scripto comprobandi; quodque id præstiterit cum tanta eruditione ac dicendi peritia ut omnibus admirationi fuerit. Porro P. Suaresius hunc tractatum, quem junior scripserat, postea inseruit commentario suo in III partem summæ theologicæ sancti Thomæ, in quo nunc legitur disp. 18, sectione 4. (Vid. *Vita del Ven. servo di Dio et esimio theologo P. Francesco Suarez, S. J.* scritta del P. G. Massei, cap. 4, pag. 27, Roma 1687). Nihil mirum igitur si eximius doctor hanc dissertationem scripsisset ut eam doctissimis suis Commentariis aliquando insereret.

IV Si quis inquirat qua occasione, et quo circiter anno P. Suarezius hanc lucubrationem ediderit, respondebo eam probabilius post annum 1615 scriptam fuisse, jam senescente auctore. Eo enim fere tota tendere videtur ut, propugnata pia sententia, prorsus evertat opinionem tunc cum magno animorum æstu in Hispania agitatam utrum nempe Beata Maria Virgo *debitum peccati originalis*, ut ajunt, *contraxerit necne?* Quamquam enim Catharinus ord. præd., Galatinus, Vigherius et alii nonnulli theologi jam a tempore concilii Tridentini scripsissent sanctissimam Dei genitricem non tantum a labe peccati originalis præservatam fuisse, sed etiam a debito illud contrahendi fuisse exemptam; hæc opinio tamen non fuerat ante in scholis propugnata, quam R. P. Franciscus De Fresne, ordinis seraphici alumnus, eam cum aliqua ostentatione in academia Toletana, defendendam suscepisset, anno tandem 1615, ut refert P. Th. Strozzi, in historia hujus controversiæ. (Vid. *Controversia della Imm. Concezione della B. Virgine descritta istoricamente* dal P. T. Strozzi, lect. 9, cap. 14, pag. 337, Palermo 1703). Narrat P. Strozzi hanc thesim paulo post susceptam fuisse a P. Consalvo de Albernoz, Societatis Jesu theologo, qui, postquam eam publice defendisset, et ab adversariorum criminationibus, ut putabat, liberasset, scripsit ad P. Franciscum Suaresium se cum felici exitu opinionem, tunc ut novam habitam, propugnasse. Rescripsit P. Suaresius se, etsi in hanc opinionem minime propenderet, scire tamen eam a multis viris doctis sustineri, et ex amore erga Beatæ Mariæ Virginis sincero natam esse. Epistolam utramque, P. Albernoz et P. Suaresii, servari in archivo Complutensi Societatis Jesu asserit P. Strozzi, loco citato (1). Hinc manifestum est P. Suaresium novæ opinioni minime favisse, sed jam tunc, quum ad ipsum scriberet P. Albernoz, stetisse pro sententia eorum qui asserebant Beatam Mariam Virginem omnino contraxisse debitum peccati originalis, quin sanctitas ejus inde vel minimum detrimentum acciperet. Atque hæc est ipsa eadem opinio quam P. Suaresius, in dissertatione inedita demonstrare conatur. Bene igitur cohæret doctrina hujus nostræ dissertationis, cum opinione P. Suaresii aliunde nota. Quum itaque controversia illa in schola Toletana anno 1615 nata sit, existimo P. Suaresium hanc dissertationem post annum 1615, paulo ante mortem scripsisse. Tomus II commentariorum ejus in III partem summæ sancti Thomæ, in quo mysteria Vitæ Christi Domini et Beatæ Mariæ Virginis explanat Suaresius, primum, ni fallor, lucem aspexit Lugduni anno 1594, et deinde alibi pluries. Intercedit igitur non exiguum temporis spatium inter editos commentarios in summam theologicam Angelici doctoris, et hanc postremam fere Suaresii lucubratiunculam.

V In præclaro hoc eximii doctoris opusculo, nævos non nullos occurrere fatendum est. Negamus tamen inde quidquam confici posse sive contra thesim quam tuetur, sive contra famam qua merito fruitur. Numero 18, exempli gratia, sub nomine sancti Cypriani laudat sermonem Arnoldi Bonævallis, scriptoris sæculi XII, in quo minime agitur de conceptione passiva Beatæ Virginis, sed de conceptione ejus activa qua concepit salvatorem mundi. Vas illud electionis non lacessendum fuit communibus injuriis, nempe quibus filiæ Adam afficiuntur in partu : nec communicavit culpæ voluptatis, qua eædem laborant in fœtu suscipiendo. Ita sentit Arnoldus Bonævallis et recte; sed hæc ad prærogativam Immaculatæ Conceptionis ne a longe

(1) Hanc epistolam Suaresii ad Albernosium, ex hispanico in latinum idioma conversam, insertam fuisse arbitror editioni ejus operum Moguntinæ anni 1629, sectioni scilicet IV disputationis IX tractatus de vitiis et peccatis. Certe ibi legitur longa et gravissima epistola de hoc argumento.

quidem spectant. P. Suaresius laudat etiam num. 20 homiliam Origenis, ut fertur, quæ Origenis non est, quandoquidem lacinias scriptorum sancti Hieronymi contineat. Sublatis autem argumentis, quæ his testimoniis nituntur, supersunt alia bene multa, quæ veritatem thesis nostri auctoris suadeant ac persuadeant. Insuper P. Suaresius loca scripturæ ex psalmis, ex cantico et cæteris libris sapientialibus laudat in sensu accommodatilio tantum, etsi, ut nos probavisse putamus, laudari possint in sensu mystico a Spiritu sancto intento, et ab ecclesia catholica intellecto : ex quo solida probatio, et non umbratilis tantum, petitur. Quando eximius doctor num. 3 scribit sententiam, quæ prærogativæ Beatæ Mariæ Virginis adversatur, *fuisse communem sententiam antiquorum scholasticorum*, D. Thomæ, Alberti M., Bonaventuræ, Richardi, Durandi, Alensis etc., id ita intelligendum est : sententiam eam fuisse communem in scholis sæculo XIII, saltem ad tempus, contradicentibus tamen nonnullis doctoribus, quos P. Suaresius ipse alibi recenset : adeo ut illa sententia non semper, imo nec diu fuerit communis, sed tantum aliquo tempore, quemadmodum fusius explicavimus in opere nostro *De Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis ut dogma fidei considerata;* et existimavit ipse P. Suaresius, ut ex universa ejus dissertatione patet.

VI Cæterum opusculum a capite ad calcem laude dignum videtur, tum ob doctrinæ copiam qua splendet, tum etiam ob methodum accuratam et nervosam qua quæstio discutitur et absolvitur. Argumenta ab auctore proposita, universim loquendo, solida sunt, et thesim omnino probant aut confirmant. Sententia ecclesiæ, quæ jam tunc *pia* vocabatur, hic præ minus pia defenditur. Eximius doctor sese opponit doctrinæ novæ, et, si minime erroneæ, tamen, ut videtur, aliquatenus temerariæ ac inutili; in qua tuenda major fortasse zelus quam scientia, juxta Suaresium, manifestatur. Ac ipse Suaresius proinde partes boni theologi hic suscepit. Notari etiam vellem quanta maturitate judicii et persuasionis vi eximius auctor, jam ante editas bullas Gregorii XV, scripserit piam sententiam a sede apostolica, quando ei placuerit, definiri posse; sententiam vero prærogativæ Beatæ Mariæ Virginis contrariam jam tunc ab ecclesia definiri non posse. Ego dico, ait, ecclesiam non posse definire Beatam Virginem fuisse conceptum in peccato, quia non potest definiri aliquid falsi. » Eam opinionem falsam esse asserebat, ut puto, quia Paulus V paulo ante prohibuerat nequis eam publice defenderet. Contra pia sententia, scribit Suaresius num. 27, « pervenire potest ad statum in quo ecclesia habeat sufficientia motiva ad eam definiendam; *neque enim requiritur semper expressa revelatio ab ipsa definitione distincta, sed interdum sufficit implicita revelatio vel sufficiens quædam propositio*, ut, addita ecclesiæ definitione, cum assistentia Spiritus sancti, efficiatur veritas de fide. » Id sibi dictum intelligant, aut incauti theologi, aut e schola Jansenii asseclæ, qui docuerunt vel docent sedem apostolicam definire non posse nisi dogmata quæ expressis verbis in scriptura sacra aut in monumentis traditionis scriptis continentur.

VII Liceat tandem animadvertere doctissimum Suaresium minime dissentire ab iis sententiis, quas nos ipsi in præcitato opere sustinuimus et defendimus. S. Bernardum et S. Thomam inter adversarios prærogativæ Beatæ Mariæ Virginis indubios sine ambagibus recenset, nec suspicari videtur rem in controversiam deduci posse. Sed affirmat piissimos illos ac peritissimos doctores, si nostra ætate viverent, vel saltem post ætatem suam vixissent, nobiscum omnino consensuros fuisse; quod nemo catholicus non facile credet, non libenter fatebitur. Opinionem eorum, qui Beatam Virginem eximunt a debito peccati originalis ex adverso impugnat Suaresius. « Ego puto, ait, eam opinionem esse falsam et non satis securam. » Deinde ostendit ex ea opinione sequi Beatam Mariam Virginem non esse mortuam in Adamo, etsi Apostolus asserat omnes posteros Adami in eo mortuos esse; ac argumenta a patronis hujus opinionis refellit ut *valde absurda*. Tandem concludit : « Hæc opinio nihil refert ad perfectissimam sanctitatem et puritatem B. Virginis. » Ita omnino sentimus et nos. Fac enim ut patroni illius sententiæ se expediant ab argumentis adversariorum suorum et demonstrent se nullam fidei veritatem offendere, in nullo dogmate impingere, nullam consequentiam erroneam admittere; nihilominus constabit eos sua doctrina ne minimam quidem gratiam, ne

tenuissimum quidem honorem Beatæ Virgini asseruisse, nisi fortasse in verbis, et quoad modum loquendi. Etenim Beata Virgo, priusquam in rerum natura existeret, neque contrahere debitum peccati originalis, neque ab eo liberari potuit, nisi hypothetice, nempe pro tempore quo exsisteret. Quis autem serio dixerit sanctam Dei genitricem aut dehonestari potuisse debito peccati hypothetico, aut honorari potuisse ejusdem liberatione hypothetica? Quomodo deturpari vel coli potest, qui non est? Statim ac creata est, gratia sanctificante juxta æterna Dei decreta a peccato originali præservata est. Hoc Dei donum illi gloriæ fuit; hoc illi sanctitatem perfectam procuravit et illibatam. Sed quod exempta fuerit a debito peccati originalis, quid illi gloriæ conferre potuit, antequam exsisteret? Quod ab eo minime exempta fuerit, quid detrimenti? Quantum ego intelligo, prorsus nihil.

At in laudem cessit B. Virginis, ajunt, quod a peccato originali redempta fuerit vi ipsius prædestinationis in ipsis Dei decretis æternis. Ita sit : quid inde? Vi prædestinationis obtinuit ut liberaretur a labe et culpa peccati originalis statim ac exsistere inciperet, in ipsa sua creatione; quod quidem ipsi contigit in hypothesi eorum, qui docent Beatam Mariam Virginem contraxisse debitum peccati originalis et in Adamo mortuam esse, non secus ac in hypothesi eorum qui B. Virginem ab hoc debito liberatam fuisse docent. Tota igitur hæc controversia est mera quæstio de verbis; et ideo mirati sumus theologum italum, sane doctissimum, qui scripta nostra ultra meritum laudavit, ægre tulisse quod scripserimus hanc controversiam inter ludos intellectus humani recenseri posse; et opinionem, quam P. Suaresius ut inutilem ad gloriam Beatæ Mariæ Virginis tuendam rejicit, veluti doctrinam magni momenti proposuisse. Cæterum quam difficile sit eam doctis viris persuadere colligi potest, vel ex ipsa disputatione doctissimi P. Ferdinandi Quirini De Salazar, qui postquam quadringenta et triginta sex columnas voluminis in folio impendisset ad probandam opinionem, quam Suaresius nec veram nec securam autumabat, concludit tandem eam non ita sibi esse demonstratam ut eidem adherere possit et velit; et quæstionem in medio relinquendam esse putavit. (Vid. Ferd. Quirini De Salazar S. J. *Defensio pro Immac. Deiparæ Virginis Conceptione* pag. 218, Paris. 1625.) Opinio quæ tot argumentis a docto viro congestis probari non potuit, qua tandem ratione vera et solida demonstrabitur?

VIII Ex dictis colliget lector opusculum ineditum P. Fr. Suaresii de Immaculata Beatissimæ Virginis Conceptione, quod nunc primum edimus, cæteris scriptis eximii doctoris non esse impar, atque adeo dignum esse, quod in commodum reipublicæ christianæ publica luce donetur.

Brugis 31 Augusti 1858.

† J. B. Episc. Brug.

UTRUM B. VIRGO FUERIT SANCTIFICATA

IN PRIMO INSTANTI CONCEPTIONIS, ATQUE ADEO AB ORIGINALI PECCATO PRÆSERVATA?

1 *Suppono primo non fuisse sanctificatam ante animationem, id est prius tempore quam corpus ejus fuerit informatum anima rationali.* Patet. Nam si loquamur de formali sanctificatione per gratiam, illius subjectum est ipsa anima rationalis, et hæc non est prius tempore quam informet corpus. Si vero loquamur de sanctificatione quasi in radice, quidam putarunt potuisse hoc fieri per quamdam seminis emundationem a quadam qualitate infectiva animæ; quæ opinio supponit peccatum originalem traduci per qualitatem morbidam in hæredem in semine, quæ opinio jam est expuncta ex scholis. Unde supponendum est peccatum originale contrahi hoc solo, quod aliquis per seminalem rationem ab Adamo descendit, in cujus voluntate ipse continebatur, cum peccavit Adam, et in illo præceptum accepit de non manducando de fructu ligni scientiæ. Hoc, inquam, solo, et ablato omni privilegio, contrahitur peccatum originale. Quo posito, impossibile est aliquem mundari a peccato originali in emundatione seminis; sed necesse est ex vi suæ originis in peccato concipi, nisi præveniatur; ut bene divus Thomas hic articulo 2 ad 4 et quæst. 27, art. 1; Alensis III part., quæst. 9; Bonaventura et alii in 3, dist. 3: dixi tamen oportere filium comprehendi sub lege et pacto Dei; nam per exceptionem a lege posset hic modus sanctificationis aliquo modo intelligi ut in fine quæstionis patebit.

2 *Suppono secundo fieri non potuisse ut in eodem instanti B. Virgo fuerit concepta in originali peccato, et sanctificata per gratiam,* quia hæc duo privative opponuntur; uti patet ex materia de originali peccato, et late in propositione g^a^. tractat Durandus dist. 3, quæst. 2 contra quosdam, qui contrarium dixerunt. In quo ex parte erravit Henricus quod lib. III, quæst. 15. Dicit enim, quod, licet ex parte subjecti, id est virginis, non potuerit in eodem instanti esse in peccato originali, et recipere gratiam; tamen ex parte agentis, id est Dei, inquit in eodem instanti fuisse datam gratiam, in quo ipsa erat in peccato originali. Nam interrogo quid sit dari gratiam ex parte Dei in illo instanti. Vel enim est, quod tunc vere Deus efficiebat gratiam; et tunc necesse esset gratiam in eodem instanti recipi in subjecto, quia non fiebat extra illud: vel solum est Deum esse paratum ad dandam gratiam immediate post illud instans; et hoc nihil refert ad propositum, quamvis fortasse non fuerit impossibile: quod omitto, quia pertinet ad quæstionem physicam. His positis,

3 Prima sententia ponit in virgine originale peccatum in primo instanti conceptionis et consequenter negat gratiam. Hæc fuit communis antiquorum scholasticorum in 3, dist. 3, D. Thomæ hic et ibi, Alberti Magni, Bonaventuræ, Ricardi, Durandi, Capreoli, Paludani, Alensis et Henrici supra, Gregorii in 2, dist. 30, quæst. 2, Antonini III part., tit. 8, cap. 2, Turrecremate, in opusc. de conceptione, Cajetani hic, et in simili opusculo, Ferrariensis 4 contra gentes, cap. 30, et omnium Thomistarum. Fundamenta sunt: primum generales locutiones scripturæ, in qua omnes dicuntur peccasse et fuisse mortui in Adamo ad Romanos 3 et 5, prima ad Corinthios 15; ad Ephesios 2. Non licet autem excipere a generali regula scripturæ sine auctoritate scripturæ, vel traditione patrum; propter quod Albertus supra contrarium videtur erroris damnare, et divus Thomas quæst. 4 de malo, art. 6, dicit esse errorem excipere a peccato originali aliquos descendentes ab Adamo per seminalem generationem. Secundum est ex similibus regulis, et propositionibus conciliorum Milevitani, Arausicani, Toletani etc. Et potest confirmari auctoritate Pii V, qui abstulit officium conceptionis, in quo virgo dicebatur immaculata et præservata. Tertium sumitur ex patribus. Citat Capreolus multos, Cajetanus quindecim, Cano dist. 7, cap. 1, addendo alios, dicit nullum sanctorum aliter sensisse, sed hoc ultimum postea videbimus. Quoad primum patres possunt distingui in tria capita. Primum continet generales locu-

tiones, inter quas tamen unam habent vim, qua concludunt omnes in peccato, et excludunt expresse solum Christum; ita Leo papa serm. primo de nativitate, Cyrillus Alexandrinus dialog. 1 de trinit., et lib. in Levivicum; Ambrosius lib. II in Lucam, quem citat et laudat Augustinus lib. II, contra Julianum; et lib. de perfectione justitiæ circa medium inquit *excipere alium præter Christum esse contra Paulum ad Romanos* 5. Idem lib. I, de peccatorum meritis et remissione cap. 29, lib. II, cap. 1, 10, 29, 33 et lib. III, cap. ultimo lib. I, de nuptiis cap. 24 et 35; lib. X Genesis ad litteram, cap. 27, I contra Julianum cap. 9, et tractatu 4 in Joannem; Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 3; Gregorius M. moralium cap. ult., et lib. XVIII, cap. 33, alias 27; Hugo Victorinus in summa, tract. 3, cap. 10 et 12. Secundum caput est eorum, qui in specie loquuntur de Virgine, sed non omnino clare. Primus est Augustinus lib. II, de peccatorum meritis cap. 24, ubi inquit: *Non sumpsit Christus carnem peccati, licet de materna carne peccati;* secundo in illud Psalmi 34: *Ego autem cum mihi molesti essent,* dicit Mariam ortam ex Adamo mortuam fuisse propter peccatum; tertio Ambrosius serm. 6 in Psalm. 118 dicit, carnem Christi in matre fuisse peccato obnoxia; quarto Eusebius Emisenus, serm. 2 de nativ. Domini dicit: *Ab originali nexu immunis, neque ipsa Dei Genetrix fuit.* Anselmus lib. II cur Deus Homo, cap. 16: *Virgo in iniquitatibus concepta, et cum originali peccato nata est, quia et ipsa in Adam peccavit.* S. Bernardus serm. 31 de Beata Virgine artic. part. cap. 4 dicit, per sanctificationem virginis remotum fuisse ab illa originale peccatum, et pronitatem ad malum. Vincentius Ferrerius serm. de concept. et nativ. Mariæ dicit, Christum in primo instanti conceptionis fuisse sanctificatum, B. Virginem eadem die vel hora. Chrysippus presbyter Hyerosolimitanus in serm. de B. Virgine in VII tomo bibliothecæ dicit: *Cum omnibus purgat de lapsu, in quo illam constituit vel etc. cognatio.* S. Maximus serm. de assumpt. ait B. Virginem fuisse mundatam ab originali peccato; Remigius in psalm. 21 similiter loquitur; Beda eodem modo, et habetur in glossa ord. Lucæque primo. Nazianzenus orat. de ressurect. et natali Domini dicit fuisse purgatam a S. Spiritu. Ultimo Fulgentius serm. de laud. Virginis dicit ex integro fuisse exclusam vim primæ sententiæ, et benedictionis gratiam restitutam. In tertio capite sunt qui expresse illud affirmant. Ego reperio duos tantum S. Bernardum epist. 174, et Rupertum abbatem in primo lib. super cantica sive ab initio. Citantur alii duo S. Antonius de Padua in sermone de nativitate et Erardus vel Gerardus episcopus et martyr in sermone de nativitate Mariæ. Quartum caput sumitur ex rationibus. Primo quia alias B. Virgo fuisset redempta a Christo; quam statim confirmabo. Secundo ex secunda ad Corinthios 5: Christus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, scilicet morte spirituali; sed Christus est mortuus pro virgine: ergo mortua fuit spiritualiter per originale peccatum. Tertio in virgine fuit propria radix et origo peccati originalis, videlicet conceptio ex libidine et concupiscentia, ut patet ex Augustino lib. V contra Julianum; ergo et ipsum peccatum. Quarto fuit in illa effectus originalis peccati; idest mors; ergo et causa. Quinto quia alias si B. Virgo ante Christum mortua fuisset, fuisset etiam statim beata, quod est absurdum; alioquin non fuisset illi apertus paradisus per mortem Christi. Sexto quia singulare et proprium privilegium Christi comunicatur virgini, quod est contra filii dignitatem.

4 Secunda sententia affirmat B. Virginem in primo instanti suæ conceptionis fuisse sanctificatam, et consequenter præservatam ab originali. Sic Scotus in tertio dist. 3, et Aurelius apud Capreolum ibi; Gabriel, Almaricus, Argentina, Mairones, Carthusianus, qui refert Alensem in fine vitæ mutasse sententiam; idem habet Abulensis peradoxo 1, cap. 21, in prologo bibliæ cap. 6, et exodi 34, quæst. 8. Driedo lib. III de dogmatibus cap. 4, propositione prima circa finem. Rossensis disp. 2 contra Lutherum et Clittoveus; opusc. de Virginis puritate cap. 3; Lippomanus in catena super 15 caput Genesis circa initium, Pighius contra Erasmum, Vigherius cap. 18 Instit. § 3, vers. 2; et Catherinus opusc. de concept. et alii fere omnes, qui scribunt contra Hæreticos pro beata Virgine; et quoniam citantur contra hanc sententiam canones plures, pro hac sententia multi citantur a Covarruvia in cap. Alma mater § 5, num. 2 et a Navarro præludio 8, num. 9.

5 *Dico primo. Beata Virgo ex vi suæ conceptionis, per se consideratæ, fuit obnoxia et debitum habuit contrahendi peccatum originale, quoniam in Adamo peccavit.* Hæc conclusio videtur omnino certa, quam probant fundamenta primæ sententiæ, præsertim illud, quia *Christus est universalis redemptor omnium*, prima ad Timotheum 2, et Actorum 4, et sæpe alias, et ab hac universali lege neminem, nec etiam virginem licet excipere; quod esse de fide sentit Augustinus lib. I de nuptiis, cap. 27 et 28; et lib. VI contra Julianum cap. 8, lib. III de peccat. merit. cap. 7, lib. II Hypognosticon, lib. XIII de civit. cap. 14; et videtur communis ecclesiæ consensio : nam per peccatum Adami totum omnino genus humanum lapsum est, et totius per consequens est mediator et redemptor; nam, inquit Augustinus lib. III contra Julianum, cap. 3 et epist. 157, ubi allegat Zosimum papam et lib. I de peccat. merit. cap. 17 et lib. I de peccat. orig. cap. 23, *nullus redimitur, nisi qui est aliquo modo servus peccati; nam ubi sonat redemptio, intelligitur pretium; ubi pretium captivitas, et servitus.* Ergo vel in re ipsa, vel saltem in jure ac debito. Confirmatur primo ex epist. ad Romanos 5 : Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Si ergo a priori regula excipienda esset virgo, etiam a posteriori; sed hoc consequens est contra fidem, ergo etc. Quæ ratio sumitur ex Augustino ex citatis locis contra Julianum, et de peccat. meritis et lib. de natura et gratia cap. 4. Confirmatur secundo, nam alioquin Christus non satisfecisset pro virgine, sed ad summum meruisset illi gratiam sicut Angelis; sed hoc non consonat principiis fidei. Alioqui si intelligamus post prævaricationem Adæ non statuisse Deum redimere homines per Christum, et intelligamus præterea generationes hominum pervenire usque ad virginem, illa fuisset concepta et nata sine peccato originali, et consequenter non indiguisset neque morte, neque passione Christi. Ultimo arguitur, quia B. Virgo vere fuit mortua propter peccatum Adæ, ita ut mors ejus fuerit pœna illius peccati. Ergo peccavit saltem in Adamo. Antecedens sumitur ex Paulo, qui dicit, mortem intrasse in mundum per peccatum nullus ergo moritur nisi ratione peccati : ergo vel ut satisfaciat pro aliis, quod est proprium Christi, vel quia peccatum ad ipsum aliquo modo pertinet. Unde Augustinus lib. IV contra duas epist. Pelagii, cap. 4, inquit : *Pati mortem sine meritis mortis de uno solo mediatore catholica fides novit, et hac ratione caro virginis dicitur caro peccati, quia ex vi suæ originis, et in pœnam peccati fuit mortalis.* Contra hanc conclusionem videntur sentire aliqui recentiores, de quorum sententia dicam commodius in fine quæstionis.

6 *Dico secundo. Cum hoc debito B. Virginis fieri potuit ut in re ipsa numquam contraheret peccatum, sed a primo instanti esset sancta per gratiam.* Conclusionem etiam ex auctoribus primæ sententiæ admittunt Bonaventura, Paludanus et Antoninus; et probatur quia non est repugnantia. Nam si per se consideretur satis, Deus potest in eodem instanti, in quo illam creat, infundere gratiam; et si consideretur B. Virgo ut concepta per talem originem, efficacior causa est gratia et omnipotentia Dei ad præveniendum, et impediendum originale peccatum, quam sit concupiscentia libidinosa ad immittendum peccatum originale : Ergo potuit etc.

7 Dicetur forte repugnare ex Dei immutabilitate, stante pacto ex lege posita Adæ; nam in illa lege voluit ut omnes posteri privarentur gratia, et in illa lege continebatur Virgo juxta præcedentem conclusionem : ergo stante illa voluntate immutata, non potuit illa excipi, sicut e contrario, posito illo pacto, si Adam non peccasset, impossibile fuisset aliquem hominem generari ex Adamo, et non in justitia originali, quia jam repugnabat ex promissione Dei, qui non potest negare se ipsum; et hoc videtur fuisse fundamentum D. Thomæ, et clarius Alensis et Ricardi. Sed nihilominus contra potest intelligi hoc fuisse possibile, primo excipendo virginem ab ipsa lege et pacto Dei, quod absolute loquendo evidens est fuisse possibile, ut D. Thomas etiam sentit in 3, dist. 3, quæst. 1, artic. 1, ubi ait potuisse virginem in parentibus præservari quod non potest alio modo vel ratione verificari. Neque desunt, qui putant ita de facto fuisse : sed hic modus privilegii vix posset consistere simul cum prima conclusione, ut latius dicam in fine quæstionis. Secundo intelligi potest ut præviso Adæ peccato, in quo concludebantur omnes posteri, Deus voluerit virginem in re ipsa

præservari, quod nullo modo est contra priorem voluntatem et immutabilitatem Dei, quia illud pactum et lex non includebat absolutam et efficacem voluntatem Dei, ut, si Adam peccasset, omnes ejus filii conciperentur sine gratia Dei absolute, et in re ipsa, sed solum ut perderent omne jus ad gratiam coram Deo; et ideo, quantum esset ex vi originis, conciperentur sine gratia; non tamen ademit sibi Deus libertatem miserendi cujus velit et quomodo velit; quod aperte patet : primo a simili, nam ex vi illius peccati omnes posteri Adæ sunt condemnati ad mortem temporalem, et nihilominus Deus potest præservare ab illa quem vellet; quod etiam jam cum aliquibus fecisse est probabilis sententia Hieronymi. Similiter ex vi illius pacti omnes noscuntur in peccato originali etiam extra uterum, et tamen ab hoc aliquis præservatur sine dubio. Secundo patet exemplo, nam si princeps fert legem sub pœna mortis, non statim habet absolutam et efficacem voluntatem, ut omnis transgressor legis re ipsa patiatur mortem, sed ut habeat debitum ejus; quam tamen mortem potest princeps condonare. Ex quo patet ad objectionem factam; et ad illud exemplum, quidquid sit de veritate, respondeo non esse simile, et posset evidenter instari in nativitate extra uterum. Ratio ergo diversitatis est, quia in bonis conferendis Deus utitur liberalitate, et promissione, et ideo nullum privat bonis promissis sine causa; et præcipue in spiritualibus bonis; quo modo debent dona Dei esse sine pœnitentia; et quia justitia originalis pertinet ad hujusmodi bonum, homine non peccante, Deus nullum privasset illa justitia, quia hoc per se non est amabile. At vero redditio pœnæ, seu privatio gratiæ est actus justitiæ vindicativæ, cujus remissio interdum est per se conveniens Deo et consentanea, vel maxime decens ad aliquem finem : Ergo etc.

8 Sed contra secundo, nam qui concipitur ex Adamo, prius natura est filius Adæ quam filius Dei : ergo prius natura est in peccato originali quam in gratia, ergo prius etiam duratione. Confirmatur primo, nam si B. Virgo fuit obnoxia peccato; ergo saltem in primo instanti suæ conceptionis : ergo in illo non potuit habere gratiam, quia gratia non potest esse simul cum illo debito, alias semper maneret simul. Confirmatur secundo, quia impossibile est ut in eo instanti, in quo aliquis actu peccat uno membro v. g. manu, illi remittatur peccatum : sed in instanti, in quo quis concipitur ex Adamo, se habet ut membrum Adæ actu peccans, uti constat ex materia de peccato originali, ergo non potest in eodem instanti remitti peccatum. Ad argumentum respondeo negando primam consequentiam : nam etiam filius Adæ secundum esse naturale, prout intelligitur ordo naturæ, prius quam sit sub culpa, oritur, quia natura supponitur sicut gratiæ, ita etiam culpæ; nam ad utrumque comparatur sicut substantia ad accidens. In illo ergo priori naturæ sub neutro statu intelligitur, sed tantum in sola natura; et naturaliter quidem secundum statum naturæ corruptæ futurum erat, ut statim in illa persona Adam influeret peccatum originis : Deus tamen potuit prævenire, sicut in aliis rebus difficilioribus facit. Ad primam confirmationem Catherinus, quem sequitur Cordubensis lib. 1, in quæst. 44, ad 9, dicit Virginem in se nunquam fuisse obnoxiam peccato vel habuisse debitum, sed in parentibus et in semine, quod debitum duravit extrinsece usque ad instans conceptionis, in quo incepit gratia. Secundo concedo etiam in primo instanti in sua persona fuisse obnoxiam peccato prius naturæ quam gratam, quia prius natura erat capax peccati; item omnes causæ proximæ et naturales ita erant dispositæ, ut in eo instanti illam essent infecturæ, nisi præveniretur a Deo; et hoc solum est esse obnoxiam; cum quo stat optime in eodem instanti fuisse gratam, et causas omnes illas fuisse impeditas ut per se, et ex dictis aperte patet : nec tamen inde fit semper manere obnoxiam, quia postquam infusa est gratia, jam nulla est causa quæ possit influere peccatum originis, cum omnes illæ causæ solum in primo instanti possint habere suam efficaciam, et si tunc frustrantur, prorsus evanescant, et hoc ratione omnis, qui quocumque modo liberatur ab originali culpa, liberatur etiam ab illo debito. Unde etiam intelligitur hoc debitum non esse proprie reatum, quia antecedit culpam; reatus autem est obligatio ad pœnam orta ex culpa. Est ergo solum quædam veluti infirmitas vel impotentia vitandi contractionem culpæ, et necessitas contrahendi illam inducta per voluntatem primi parentis, nisi Deus præ-

veniat. Unde ad secundam confirmationem respondeo ex doctrina Augustini lib. VI contra Julianum, non esse illam comparationem actualis peccati cum originali in omnibus retinendam, ut patet. Nam manente peccato in voluntate, non potest remitti peccatum in membro exteriori : at vero etiamsi Adæ non fuisset remissum peccatum illius, potuisset remitti posteris. Unde ratio differentiæ est, primo quia peccatum originale in filio est numero distinctum a peccato Adæ, et ideo potest tolli, vel impediri sine illo, vel aliter quam illud. At vero in eadem persona idem numero est peccatum voluntatis, et membri; imo formaliter actus exterioris membri habet rationem peccati ab actu qui est in voluntate, et ideo si interior sit malus, non potest non esse malus exterior, qui ab illo informatur. Unde secundo est alia differentia; nam peccatum originale in filio non formaliter, sed quasi effective est a peccato Adæ, et comparatur ad illud ut habitualis culpa ad actualem : unde sicut potest impedire Deus ne causa efficiens producat suum effectum, et ne actus inducat habitum, ita potest impedire ne peccatum Adæ influat originale peccatum in filium, præsertim cum actus ille Adæ jam præterierit, et originale nunc inducatur et suo modo fiat. Ad argumentum ergo negatur illa similitudo, sed potius se habet filius Adæ in instanti in quo concipitur tamquam subjectum passive recipiens peccatum ab Adamo, et ideo facile potest impediri influxus. Unde

9 *Dico tertio* : *B. Virgo in prima instanti suæ conceptionis fuit per gratiam Dei sanctificata atque adeo ab originali culpa præservata.* In probanda hac conclusione utor illis quatuor capitibus, quibus contraria opinio usa est, ut possint inter se conferri, et evidentius constet differentia opinionum et fundamentorum.

10 Probatur primo ex scriptura. Temerarium esset petere expressam et affirmativam auctoritatem, quia in nullo fere alio privilegio Virginis hoc expectatur ut credatur. Sufficit ergo auctoritas negativa, cum aliunde habeantur sufficientia fundamenta ut postea videbimus. Est autem omnino certum scripturam non negare Virgini hoc privilegium; primo quia vel negat expresse, et in particulari, et hoc ut per se constat vel in universalibus locutionibus, et hoc non juxta concilium Tridentinum sess. 5; ubi declarat Virginem non comprehendi sub sua difinitione generali, et hoc ipso declarat non comprehendi sub generalibus locutionibus scripturæ, quia illam fidem definit quæ in scriptura continetur; et idem sumitur ex Xisto IV definente non esse contra fidem, dicere virginem fuisse sine peccato conceptam; non est ergo contra scripturam : ergo scriptura non negat Virgini hoc privilegium. Id patet a simili de actuali peccato, nam universales sunt propositiones illæ : *Non est homo qui non peccet* lib. II Paralipomenon cap. 6; *In multis offendimus omnes* Jacobi 3, et *Nemo mundus a sorde*, etc. Job. 14, secundum septuaginta; et Augustinus lib. III de peccatorum meritis cap. 6 : *Et illud grave jugum super filios Adæ* eccl. 40. Quod sæpe intelligit Augustinus de peccato originali et sunt similia multa, per quæ non negantur Virgini privilegia sua; ergo pari modo, si aliunde sit sufficiens ratio et auctoritas; de quo videbimus. Tertio possumus hoc colligere ex ea gratiæ plenitudine, quam scriptura tribuit Virgini, in qua ex sententia patrum comprehenduntur omnes gratiæ, quæ decent matrem Dei. Unam autem ex iis fuisse perpetuam innocentiam et carentiam omnis peccati etiam originalis ut per se constat, et fiet postea evidens. Major patet ex divo Thoma artic. primo hujus quæst.; nam ex illa colligit postea caruisse omni peccato veniali et fuisse natam in gratia; et in hoc sensu valent etiam ad hoc confirmandum illa loca scripturæ, in quibus B. Virgo dicitur singulariter benedicta inter mulieres, quia habuit fructum benedictum, sic et verbum illud : *Quia fecit mihi magna, qui potens est*, omne privilegium indicat, quia mensura gratiarum Virginis est omnipotentia Dei, quæ maxime manifestatur tollendo peccatum et singulariter impediendo. Quarto non sunt contemnendæ scripturæ in sensu spirituali; quia licet per se non sit efficax, tamen supposito communi usu et accommodatione ecclesiæ, multum confert ut est illud canticorum cap. 2 : *Sicut lilium inter spinas*, et cap. 4 : *Tota pulcra es* etc., et cap. 6 : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora;* et illud Job III : *Neque ortum surgentis auroræ*. Quod D. Thomas hic intelligit de nocte culpæ originalis et per auroram intelligit Virginem, sed applicat ad

ortum ex utero; tamen æque potest applicari ad ipsam conceptionem. Facit etiam illud psalmi 45 : *Sanctificavit tabernaculum suum* etc.; quod divus Thomas hic ad primum intelligit de B. Virgine et Methodius serm. de purificatione. Indicatur autem ibi singularis et excellens sanctificatio, qualis decet thronum de quo in psalmo 88 : *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo;* quod de Virgine intelligit Damascenus lib. IV, cap. 15 et Damianus sermone de assumpta, ut dicit Virginem comparari soli, quia ita superat alios sanctos, sicut sol alia lucida, quæ in solis præsentia neque apparere possunt. Totus præterea psalmus 84 *Benedixisti Domine terram tuam* etc. ad hoc accommodari potest : de 86 diximus quæst. præcedenti et de 92 *Domum Dei decet sanctitudo.* Ultimo etiam ad litteram uti possumus verbis Genesis, tertio : *Inimicitias ponam inter te et mulierem;* nam illam mulierem ad litteram esse Virginem est communis sententia patrum, quos partim citavi supra quæst. 6, partim mox. Ibi autem probatur primo inimicitia perpetua inter dæmonem et mulierem; secundo quia mulier illa contritura esset caput dæmonis; ubi nomine capitis vel originale peccatum non incommode intelligitur, quia est radix omnium, vel tota ipsa potestas dæmonis : et ex his satis responsum est primo fundamento primæ sententiæ, quod solum sumebatur ex universalibus locutionibus scripturæ; de quibus plura dixi in materia de peccato originali.

11 Secundum fundamentum est ex auctoritate et consensione ecclesiæ; in quo est considerandum, olim patres occupatos in explicandis mysteriis necessariis fidei nihil fere de hoc ex professo dixisse; postmodum vero quando cœpit hæc res tractari ante 400 annos, quamvis in initio aliqui timuerint propter speciem novitatis, ita tamen cœpit statim insidere animis fidelium ut brevi tempore fere omnium consensione, paucis exceptis, firmata sit hæc veritas, præsertim a 200 annis omnes fere scriptores, episcopi, religiones et academiæ hoc docuerunt, et in aliquibus academiis magnæ auctoritatis non potest aliquis doctor theologiæ creari, nisi prius juramento promittat se defensurum hanc sententiam : non est autem credibile permissurum fuisse Deum in re tam gravi fere totam ecclesiam decipi.

12 Repones primo celebrari conceptionem, non quia sancta fuerit, sed quia fuit magnum Dei beneficium. Sed contra est primo : hoc modo neque ex festo nativitatis poterit colligi sanctitas nativitatis, quod est contra D. Thomam et patres; secundo id est contra sensum ecclesiæ, quæ celebrat illud festum non solum in honorem Dei sed etiam Virginis : non est autem digna tali honore, ut sic, id est concepta, si conceptio non fuit sancta.

13 Alii reponunt, non conceptionem, sed sanctificationem celebrari vel certe die conceptionis, non quia in primo instanti, sed quia intra illum diem sanctificata fuit. Sed contra : hæc responsio facit contrariam sententiam non esse omnino contra fidem : at parum consentanea est menti fidelium, et specialiter Xisto IV in extravaganti *præexcelsa* de reliquiis et veneratione sanctorum, ubi concedit indulgentias etc. celebrantibus immaculatam et miram conceptionem; et sanctus Bernardus epist. 174 docet, hunc fuisse sensum ecclesiarum, quæ cœperunt celebrare hoc festum; et in antiquo officio illius diei illud sæpe repetebatur, quod tamen etiam probavit Xistus IV. Dicet aliquis hoc argumento probari, Virginem fuisse sanctam in eo die quo fuit a patre genita, quia illum diem celebrat ecclesia, ut patet, quia novem mensibus abest a Nativitate. Respondeo negando consequentiam; etenim constat ex sensu omnium diem illum et instans celebrari in quo primum creata fuit et animata; deinde quia non est certum, quo die primum animetur fœtus in utero matris, ideo elegit ecclesia illum diem ad illam solemnitatem.

14 Facit tertio, quia hæc persuasio ecclesiæ dicitur sumpsisse initium a Dei revelatione, uti refert Bernardus supra, qui non dicit fuisse falsam revelationem, sed incertam; et Bonaventura et Henricus illam admittunt, sed nescio quomodo interpretantur. Marsilius supra refert tres alias revelationes graves, et miraculis confirmatas. Revelatio etiam, quæ dicitur facta sanctæ Brigittæ lib. I, cap. 3, et lib. VI, cap. 49 et 55, apud viros pios et doctos est magnæ auctoritatis, de qua minus pie loquitur Cajetanus, et ut illam extenuet, objicit contrarium fuisse revelatum S. Catharinæ Senensi; quod nunquam antea fuerat dictum ab iis, qui scripserunt vitam

ejus, Raymundo, et aliis; et Antoninus in loco, quem ipse citat, nihil tale habet, neque ubi scribit historiam illius sanctæ.

15 *Facit quarto esse in ecclesia religionem monialium institutam in veneralionem conceptionis,* in cujus regula cap. 3 dicitur, animam Virginis a primo instanti creationis fuisse sanctam; quam regulam, et ordinem probavit Julius secundus, Leo decimus, Alexander sextus concedendo privilegia.

16 *Quinto facit definitio concilii Basiliensis sess.* 36; ubi non difinitur simpliciter hanc sententiam esse de fide, sed esse piam et consonam fidei et sacræ scripturæ, et vetat contrarium doceri. Fateor tamen, illud concilium non esse legitimum, ut faciat fidem : satis tamen est fuisse totum constans ex viris catholicis, et ostendit magnam consensionem multarum ecclesiarum, et præter ea, quæ pertinent ad auctoritatem pontificis, in aliis habet magnam auctoritatem apud theologos.

17 *Sexto favet concilium Tridentinum excipiendo Virginem a sua generali definitione;* quo etiam solvitur secundum fundamentum contrariæ sententiæ; ita interpretatur decreta aliorum conciliorum, sicut suum, quod etiam per se est evidenter necessarium; nam alia concilia æque loquuntur de conceptione et de nativitate, uti patet ex Milevitano cap. 2 et 4. Illa autem Officii mutatio, a Pio V facta, nihil nobis obstat : non enim propterea id fecit, quia aliquid falsi contineret, sed quia voluit ad antiquum morem revocare officia, sicut etiam abstulit ex ordine officii S. Roccum et S. Annam, nihil derogando eorum sanctitati. In hoc autem multum favet huic sententiæ, quod eodem modo et eodem officio voluerit celebrari festum conceptionis, sicut nativitatis virginis, utramque sentiens esse sanctam.

18 Tertium caput sumitur ex sanctis, *et primo ex iis, qui in specie loquuntur de peccato originali et Virgine.* Damascenus serm. 1 de nativitate Mariæ multa habet de hac re. Sic enim inter alia dicit : *In conceptione Dei Genitricis ex matre naturam non fuisse ausam antevertere gratiam, sed tantisper expectavit dum gratia fructum suum produxit;* et infra : *Oh beatos Joachim lumbos, ex quibus immaculatum semen effluxit! oh præclaram Annæ vulvam, in qua formatus fuit sanctissimus fœtus!* et infra : *Forte illud Excelsi brachium, obtusum naturæ ligonem Spiritu sancto tamquam digito suo exacuens, vivam palam sibi ipsi condidit;* et infra : *Immaculata conservata in Dei sponsam.* Alia similia habet sermone secundo; inter alia dicit : *In ventre Annæ Deus sanctificationis arcam condidit :* in serm. 3, conceptionem virginis vocat *nostri generis excitationem et in integrum restitutionem;* similia habet orat. 1 de Assumpt., et inter alia : *Gratiæ abyssum invenit, quæ animam, non minus quam corpus virginem custodiret;* et oratione 2 : *Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit;* et infra vocat *immaculatam, quæ cum terrenis affectionibus nihil habuit commune;* et infra sic facit virginem loquentem ad filium : « Ani- » mam meam tibi caram accipe, quam a » peccati labe puram servasti. » Secundo S. Laurentius Justinianus serm. de annunciatione : *A sua conceptione*, inquit, *in benedictionibus prævenla dulcedinis atque a damnationis aliena chirographo.* Idem serm. de nativitate, et lib. de casto connubio verbi et animæ, et in fasciculo amoris cap. 9, et lib. de gradibus perfectionis. Tertio Idiota in lib. de contemplatione B. Virginis cap. 1 et 6, ex professo rem tractat et definit. Quarto est Cyrillus Alexandrinus, lib. VI in Joannem, cap. 15, inquit : *Excepto solo Christo, et beatissima ejus matre etiam excepta, omnes in peccato* etc. Hæc verba sunt expressa, et illis utitur Franciscus Feuardentius in scholiis super Iren. lib. III, 33. Sed debuisset admonere illum librum non esse Cyrilli, sed Clichtovei. Possumus hæc tamen utcumque supplere ex verbis citatis Cyrilli, in homilia 6, citata in Ephesino; inter alia, *salve* inquit, *S. Deipara, pretiosus totius orbis thesaurus, lampas inextinguibilis, per quam diabolus excidit* etc. Et concludit : *Quis umquam de architecto audivit, quod suum ipsius templum construxerit et in eo habitare prohibitus sit?* Citantur etiam pro hac sententia Sedulius lib. II. Carminum, et Arator lib. I, in Acta.

19 *Secundo utar testimoniis patrum, in quibus in specie loquuntur de Virgine et generaliter excludunt omne peccatum.* Primus est locus Augustini de natura et gratia cap. 16 : *Excepta,* inquit, *Virgine Maria, de qua cum de peccatis agimus, nullam prorsus volo habere quæstionem. Nos enim scimus*

quod plus gratiæ ei collata est ad vincendum omni ex parte peccatum, quia eum concipere meruit, quem scimus non habuisse peccatum. Hic locus solum potest evitari exponendo de actualibus. Sed primo est contra præcipuam intentionem Augustini in toto illo libro, in quo hoc vult evincere, nullum esse liberum ab omni peccato sive actuali, sive originali. Secundo si de actualibus tantum loqueretur deberet excipere multos etiam alios, scilicet omnes infantes innocentes, quia non loquitur specialiter de adultis. Tertio ponderanda sunt singula verba, nam prorsus dicit se nullam habere quæstionem : ergo neque de originali : item *ex omni parte,* quod in sermone quodam super canticum Salve Regina, nomine Bernardi, inter opera ejus exponitur, *ex parte actualis et originalis.* Item addit rationem, *quia concepit eum, qui nullum habuit peccatum.* Sed in hoc excludit originale et actuale, ergo et in priori parte. Quarto esto : loquatur de actualibus. Adjungo alium locum Augustini lib. v contra Julianum, cap. 9, ubi constituit hanc regulam, nullum esse in ætate adulta liberum ab omni actuali peccato, nisi qui in infantia fuit liber ab originali. Inde concluditur sic demonstratio : In doctrina Augustini omnis qui non habuit peccatum actuale, non habuit originale : sed beata Virgo non habuit peccatum actuale, ex loco quem tractavimus, ergo nec originale. Secundus in hoc ordine fit Cyprianus, in sermone de nativitate Christi, ubi de B. Virgine sic loquitur : *Non sustinebat justitia ut illud vas electionis communibus afficeretur injuriis, quoniam plurimum a cæteris differens, natura communicabat, non culpa;* et infra : *Matri plenitudo gratiæ debebatur, qua carnis et animæ integritate esset insignis.* Tertio Ambrosius serm. 22 in psalm. 118 circa id : *Quære servum tuum Domine,* inquit : *Suscipe me non ex Eva, sed ex Maria, ut incorrupta sit virgo et per gratiam ab omni integra labe peccati :* et de institutione Virginis cap. 3 : *Non de terra, sed de cælo vas sibi hoc per quod descenderet Christus elegit et sacravit templum pudoris.* Quarto Sophronius in epist. synodali, quæ habetur et probatur in 6 synodo, actione 11, vocat Virginem liberam ab omni contagione corporis, animæ et mentis, et in vaticano codice græco habetur, *ab omni labe.* Hieronymus quinto in illud psalmi 77 : *Eduxit eos in nube diei,* per *nubem* Virginem intelligens, quam dicit vocari *diei nubem,* quia semper fuit in luce et numquam in tenebris. Et quamvis dubium sit an auctor sit Hieronymus, tamen est gravis et antiquus. Idem tamen Hieronymus ecclesiast. 10, dum facit Virginem liberiorem ab omni culpa et cortice ejus, quam cæteros sanctos, hanc sententiam indicat. Sexto S. Brunus in psalmo 101 vocat ab omni *peccato liberam.* Septimo in eodem modo loquitur Richardus Victorinus cap. 26 et 42 in Cantica, et lib. 1 de Emanuele, cap. ultimo. Citatur etiam in quodam sermone de conceptione a Majori in 3, dist. 3. Ultimo Petrus Damianus, serm. de nativitate virginis : *Quid,* inquit, *vitii in illius corpore, aut anima vindicare sibi potuit locum, quæ totius divinitatis meruit esse sacrarium?* Et serm. de annuntiatione habet verba, quæ optimam indicant conjecturam. *Cum fecit,* inquit, *Deus omnia opera sua valde bona, hoc melius fecit consecrans sibi in ea reconciliatorium aureum, in quo se post tumultus Angelorum et hominum inclinaret, et requiem inveniret.*

20 *Tertio principaliter faciunt loca patrum, in quibus vocant Virginem prorsus immaculatam, incontaminatam, puriorem Angelis.* Quod ultimum maxime videtur requirere hoc privilegium, quia spiritualis puritas in privatione culpæ consistit. Primus sit sanctus Jacobus in liturgia, ubi immaculatam vocat, prorsusque puram, quæ habetur in 6 synodo, can. 32; similiter Chrysostomus et Basilius, in suis liturgiis. Secundo Andreas apostolus, uti refert Abdias lib. VIII historiæ, dicebat, *sicut primum Adamum, ita etiam secundum fuisse formatum ex terra virginea numquam maledicta.* Tertio in 7 synodo, actione 3, vocatur *immaculata et quolibet sensibili, et intellectuali natura purior.* Quarto concilium Fracofortiense, in epist. ad episcopos Hispaniæ, vocat *terram animatam et immaculatam, prorsusque puram.* Idem in lamentat. SS. Virginis. Sexto sic loquitur Origenes homil. prima ex variis. Septimo Gregorius Neocesariensis, in expositione salutationis Angelicæ, dicit *illam solam fuisse sanctam, et prorsus impollutam corpore et spiritu.* Octavo Andreas Cretensis, serm. de assumptione, similia habet, et concludit : *Tu es revera pulcra et macula non est in te.* Nono sic loquitur

Euthymius serm. de Zona Virginis. Decimo Augustinus lib. de assumptione Virginis dicit, *Christum fuisse formatum immaculatum de immaculata*. Undecimo Anselmus lib. de conceptu virginali cap. 18, sic ait: *Decuit virginem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequit intelligi;* quæ verba tractans D. Thomas in 1, dist. 44, art. 3, ad 3 dicit, hanc summam puritatem Virginis consistere in carentia omnis peccati originalis et actualis. Ultimo Theodoretus in cantica dixit, *unam electam et columbam esse Virginem, quæ puritate Cherubim atque Seraphim antecedit.*

21 *Quarto loco possumus uti illis testimoniis sanctorum, quibus affirmant omne donum vel privilegium gratiæ, concessum aliis sanctis, non esse negatum virgini.* Nam unum et maximum est perpetua innocentia, et creatio in gratia a primo instanti; quam rationem infra amplius urgebo. Nunc sufficiant verba Methodii orat. de purificat: *Qui dixit,* inquit, *honora patrem et matrem, ut decretum a se promulgatum observaret, omnem matri gratiam et honorem impendit.* Similia fere habet Athanasius serm. de sanctiss. Deipara, et alia citavi in quæst. præcedenti.

22 *Quinto etiam faciunt illa testimonia, quibus affirmant patres, per virginem destructum esse originale peccatum, imperium dæmonis* etc., de quibus nonnulla supra adduxi, et infra plura dicam. Nunc solum videntur notanda verba Hesychii concione 2 de Virgine, tom. VII bibliothecæ sanctorum patrum, in quibus vocat *Virginem præclarum naturæ nostræ ornamentum, gloriam luti nostri, quæ Evam pudore, Adamum comminatione liberavit, audaciam draconis contrivit, quam concupiscentiæ furnus non attigit, neque vermis voluptatis læsit.*

23 *Sexto facit quia, quæ in contrarium citantur partim nobis favent, partim exponi possunt, et denique pauci sunt, qui contradicunt.* Nam generales locutiones, quæ in primo ordine ponuntur, habent illum sensum, quem scriptura et concilia, omnes scilicet esse natura filios iræ, ut Paulus dixit ad Ephesios, 2; cum quo stat Virginem per gratiam fuisse filiam Dei ab initio, et eodem sensu excluditur solus Christus, quia videlicet solus ex vi suæ conceptionis et nativitatis fuit sanctus; in quo etiam est notandum, sacram scripturam, quam patres imitantur, interdum dicere, *eum solum esse talem, quia per se et natura sua talis est juxta illud: Nemo bonus nisi solus Deus, et illud: Qui solus habet immortalitatem, scilicet per se, et a se.* Quo modo dixit etiam Clemens Alexandrinus lib. 1 Pædagogi, cap. 2, *nihil omnino peccare Dei proprium esse.* Quo modo etiam loquitur Ambrosius lib. III de fide ad Gratianum, et August. lib. 1 de peccat. meritis, cap. 9. Confirmatur; nam patres non solum loquuntur illo modo cum agunt de peccato originali, sed etiam de actuali, ut evidenter patet in August. lib. v contra Julianum, cap. 9, et Ambrosio et Clemente supra: necesse est autem de peccatis actualibus sic exponi: Ergo etc. In secundo ordine citatur primo Augustinus, cui concedimus carnem Virginis posse dici carnem peccati; quia revera caro ejus fuit possibilis, quia in Adamo peccavit, et erat obnoxia peccato, non quia aliquando jacuerit sub peccato: caro vero Christi, non dicitur caro peccati, sed in similitudinem carnis peccati, quia non fuit possibilis ratione peccati, quod ad se aliquo modo pertineret, sed ut alios a peccato redimeret. Citatur iterum Augustinus, et non satis fideliter; dicit enim B. Virginem fuisse mortuam propter peccatum Adæ, quod verum est. Tertio Ambrosius non dicit etiam carnem Christi fuisse in matre obnoxiam peccato, sed in parentibus, quod solum est dictum propter peccatum Adæ, quamvis ea locutio non est usurpanda, sed explicanda pie, ut supra diximus. Quarto Eusebius Emisenus non etiam citatur fideliter, quia non dicit absolute neminem fuisse immunem a peccato originali, sed neminem per se fuisse immunem; in quo potius nobis favet; nam addendo *per se,* indicat per alium, id est Christum, fuisse immunem. Quinto ad Anselmum. Primo Respondeo illa verba non tantum esse de conceptione Virginis sed etiam de nativitate, et ideo ab omnibus vel rejicienda, vel exponenda sunt. Secundo illa verba non sunt Anselmi, sed Bosii, qui cum Anselmo loquitur; de quibus Anselmus postea nihil dicit, sed solum ait, Virginem ab omni labe fuisse mundatam, quod per præservationem potest intelligi, et respectu nativitatis necessario debet ita exponi: cur ergo non respectu conceptionis? Tertio idem Anselmus lib. de conceptu Virg. c. 7, videtur se exponere, posse dici aliquem in peccatis conceptum hoc ipso

quod per libidinem et concupiscentiam concipitur, non quia habet necessitatem contrahendi peccatum; et cap. 8, dicit etiam illum, qui descendit ex Adamo per seminalem rationem posse dici concipi in peccato, quia per se non potest habere justitiam, quam deseruit; et c. 18 subdit de Virgine verba citata : refertur etiam liber Anselmi de exordio humanæ salutis, ubi expresse et affirmat et confirmat nostram sententiam; dicitur etiam Anselmus fuisse primus, qui festum conceptionis introduxit; de quo citavi supra quamdam ejus epist. Sextus qui citatur est Bernardinus Senensis, qui nihil dicit expresse, et aperte præmittit se velle abstinere ab hac quæstione. Septimus erat Vincentius Ferrerius, qui certe noluit satis clare ibi ponere suam sententiam : dicit enim eodem die eadem hora sine mora fuisse sanctificatam; numquam tamen dicit expresse in eodem instanti, sed neque id negat, et potius habet verba, quibus id satis indicat : Nam, inquit, quando corpus gloriosæ Virginis fuit organizatum et lineatum, et anima conjuncta corpori per creationem, tunc Altissimus sanctificavit tabernaculum, et serm. 1 de nativitate Virginis, dicit tunc fuisse sanctificatam Virginem supra omnes sanctos et sanctas, et omnes Angelos; et bene accommodat illud psalmi 45. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Idem repetit in secundo sermone de nativitate Virginis, ubi ad illius conceptionem accommodat, illud : Fiat lux etc., et subdit : Non credatis quod fuerit, sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, sed statim ac anima fuit creata, et corpus formatum, fuit sanctificata, et statim Angeli in cælo celebraverunt festum conceptionis. In aliis testimoniis solum continentur illæ locutiones, Virginem scilicet fuisse mundatam, purgatam, etc.; quas Cajetanus fatetur in toto rigore verificari per præservationem, quando quis in parentibus fuerat infectus, et per concupiscentiam, et seminalem rationem concipitur; nam illa conceptio dicitur a Patribus immunda, et radix originalis peccati, et ideo illa sanctificatio, per quam sic conceptus sanctificatur, habet pro termino a quo non solam negationem gratiæ, sed privationem propriam, et peccatum originale, non quod re ipsa præcedat in subjecto, quod sanctificatur, sed quod revera inhæreret, nisi gratia Dei hominem præveniret, et ideo vocatur merito purgatio, ressurrectio, etc. Ad sanctos patres tertiæ classis, fateor Rupertum fuisse illius sententiæ; Gerardum non vidi, cum non extet. Antonius de Padua in concionibus, quæ exstant nunc, nihil tale habet. Sanctus vero Bernardus fuit vere auctor illius sententiæ, sed motus fuit quia timuit solum speciem quamdam novitatis, eo quod Romana ecclesia nondum eam sententiam amplectebatur, ut expresse dicit in ea epist. 174. Quare si nunc vidisset præsentis ecclesiæ faciem, non est dubium quin in hanc nostram sententiam descendisset, ut satis ipse indicat; et idem puto certe de D. Thoma, qui ubique multum defert consuetudini ecclesiæ, et illam præfert quorumcumque doctorum sententiis, uti patet ex 2. 2, quæst. 11, art. 12, q. 64, art. 7, quæst. 88, art. 11, quæst. 93, artic. primo; et tertia part., q. 68, art. 10, et quodlibeto 2, art. 11; et eodem modo fuisse opinatum S. Bonaventuram constat in 3, dist. 3, quæst. 4.

24 QUARTO LOCO UTENDUM NOBIS EST RATIONIBUS, QUÆ SUMUNTUR EX DECENTIA REI; qui locus arguendi in theologicis est efficassimus, quando præcipue decentia talis est ut contrarium aliquo modo videatur non decens, ut recte docet Cano lib. XII de locis, cap. 14; et constat ex usu sanctorum et theologorum omnium; nam sæpe hoc loco tamquam præcipuo fundamento nituntur ad confirmandas multas perfectiones de Christi anima vel de B. Virgine, uti patet ex dictis supra de scientia et gratia Christi Domini, et in præcedenti quæst. de B. Virgine; et fundatur in dicto S. Augustini lib. LXXXIII quæstionum, in q. 30; et lib. III de lib. arbitr. cap. 5 inquit : *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, id scias fecisse Deum;* quod intelligitur, quando res ita est melior, ut contraria videatur non decere Deum, jam vero hanc rem, de qua agimus, esse talem probatur 1° ex parte Christi, quatenus Deus est et verus filius Virginis; maxime enim decebat Dei puritatem ac sanctitatem, ut quam sibi elegerat matrem, faceret perpetuo sanctam et perfectissime puram, atque adeo ab omni peccato immunem; ad quod a fortiori valent omnia, quibus D. Thomas probat in Virgine non fuisse peccatum veniale; et quæ ad hoc propositum citat, ut illud : *Quæ conventio lucis ad tenebras?* 2° ad Corinth. 6, et illud proverb. 17 : *Gloria filiorum parentes eo-*

rum, et cap. 1 : *Nec habitabit in corpore subdito peccatis :* nam magis subditur anima dæmoni magisque, separatur anima a Deo per originale peccatum, quam per veniale; et confirmatur : nam si esset in potestate hominis, qui est amator nobilitatis, condere sibi parentes, sine dubio faceret omni ex parte nobiles, quantum potest. Ergo pari modo, cum Deus sit amator sanctitatis et puritatis. Dicetur fortasse hoc solum probare de eo tempore, quo B. Virgo fuit mater Dei, nam tunc debuit esse omnino pura et libera a peccato. Sed hoc non recte dicitur, quia ad dignitatem filii non tantum pertinet dignitas, quam habet mater cum concipit filium, sed etiam perfectio et dignitas in sua conceptione. Deinde illa ratione probaretur ante filii conceptionem non habuisse Virginem omnem sanctitatem et puritatem ab aliis peccatis : denique eo instanti quo Virgo concipiebatur, jam erat illa persona, quæ futura erat filius Virginis, et ideo ad illius sapientiam, et providentiam pertinebat habere curam sanctitatis et puritatis ejus, ab illo instanti; sicuti si filius regis decrevisset sumere sibi in sponsam filiam alterius principis, quantum posset, curaret, ut honestissime et nobilissime educaretur. Dicetur forte hoc verum esse, sed aliunde obstare hoc, quia derogat majori Christi dignitati, ut redemptor est. Sed hinc sumitur secunda ratio, nam ad dignitatem Christi, ut redemptor est, maxime pertinebat, ut hanc gratiam matri suæ concederet : duplex enim est modus redemptionis, alter erigendo lapsum, alter est, prævenindo jam casurum, ne cadat; quo modo dicit David psalm. 134 : *Redemisti servum tuum de gladio maligno;* et hic secundus modus est sine dubio majoris beneficientiæ et potentiæ, ut per se constat, et ex Dionysio cap. 8 de divin. nominibus, et Augustino in illud psalmi 85 : *Eruisti animam meam ex inferno inferiori;* ergo etc. Confirmatur. Nam vel ad hoc valebant Christi merita, vel non. Hoc secundum impium est; esset enim præferre Adæ peccatum Christi merito : ergo primum; ergo decuit ut illa merita haberent talem effectum maxime et singulariter in matre, propter singularem et propriam conjunctionem cum redemptore, cum præsertim ipsa ex suo sanguine quasi dederit pretium redemptionis; propter quod, quamvis Christus omnium sit salus, singlariter tamen vocat illum Virgo *salutare suum* Lucæ primo; ad quod etiam potest accommodari illud Isaiæ 61 : *Gaudens gaudebo in Domino* etc. et illud quod dicit S. Bernardinus serm. 51, quando dicit *Christum potius pro virgine redimenda in carne mortali venisse, quam pro omnibus simul aliis hominibus*, citans glossam in illud cantic. 4 : *Vulnerasti cor meum soror mea;* et ideo vocat Virginem primogenitam redemptoris. Ex quo obiter soluta relinquitur prima ratio primæ sententiæ, et tertia etiam; quia efficacior causa est Christi meritum, quam concupiscentia conceptionis, et ideo gratia Dei ex merito Christi potuit impedire aliam causam præveniendo, et inducendo suum effectum. Sexta etiam hinc soluta relinquitur. Tertia ratio principalis sumitur ex munere, et dignitate B. Virginis, nam ut supra ostendi, Deus dat unicuique gratiam, eo tempore et modo, et in ea perfectione quæ conveniens est dignitati et officio, in quo a Deo ipso constituitur; prima autem et præcipua dignitas Virginis est esse mater Dei, cui filius debebat summum honorem et amorem, et ideo etiam libertatem ab omni ignominia culpæ : decebat etiam ut omne obstaculum perfectæ similitudinis inter filium et matrem, quantum fieri posset, tolleretur e medio : erat item indecens, ut quæ futura erat mater Dei, vel uno momento esset subdita dæmoni. Secundo sunt alia munera, quæ hanc dignitatem consequuntur, ut fuisse Virginem singulari modo cooperatricem cum Christo ad hominum redemptionem, ut loquuntur patres. Hieronymus in epist. ad Eustochium : *Mors per Evam, vita per Mariam.* Idem Augustinus serm. 35 de sanctis, et serm de Assumptione virginis, Irenæus lib. III, cap. 33, Innocentius tertius serm. secundo de Assumptione, Epiphanius hæresi 78. Andreas Cretensis orat. de dormitione Virginis : *Sola,* inquit, *præter naturam fuit electa ad naturam renovandam.* Sunt optima verba Bernardi sermone secundo Pentecostes : *Hinc,* inquit, *operabatur salutem in medio terræ, in utero videlicet Virginis, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur; ad eum enim sicut ad causam, sicut ad medium* etc. Hinc etiam B. Virgo dicitur domina, et regina omnium; præcipue Ephrem. orat. ad B. Virginem; optime Anselmus opusc. de excellentia Virginis caput 9 inquit : Sicut Deus omnia creando

pater est et Dominus omnium, ita B. Virgo suis meritis cuncta reparando mater est, et domina rerum. Jam vero nihil potest esse his muneribus et dignitatibus magis contrarium et indecens quam peccatum, præcipue quod privat gratia Dei et facit servum captivum dæmonis. Quarto arguitur principaliter a simili, quia non propter majorem decentiam, neque propter efficaciores rationes docent PP. et theologi de Virgine alia privilegia, quæ jam certa sunt ex consensione fidelium, ut immunitas ab omni peccato actuali, perpetua virginitas post partum, corporis post mortem incorruptio et resurrectio et similia; cum tamen illud de quo agimus sit revera majus, et magis necessarium, ut esset idonea mater Dei; quod ita explico : nam si Virgini daretur optio quid magis vellet, vel numquam a primo instanti caruisse gratia Dei, vel ut corpus suum post mortem servaretur incorruptum sine dubio illud primum esset electura : immo addit Cordubensis lib. 1, quæst. 49, si Virgini daretur optio quid potius vellet, carere peccato originali, vel esse mater Dei; si alterutrum tantum habere posset, potius fuisse electura carere originali, quia potius est eligendum carere culpa et inimicitia Dei, quam habere quamlibet dignitatem creatam, quod certe esset verum, nisi cum illa dignitate esset conjuncta gratia Dei perpetua. Unde etiam confirmatur, quia negando Virgini hoc privilegium, enervatur omnis ratio affirmandi quodlibet aliud simile.

25 Dicetur fortasse, alia privilegia semper niti aliqua majori auctoritate; sed contra primo, nam nunc non agimus de pondere auctoritatis, sed de vi rationis. Secundo tempore v. g. Hieronymi et Augustini assumptio Virginis in corpore et anima non habebat majus fundamentum auctoritatis, quam nunc habeat hæc sententia de peccato originali; et tamen Augustinus propter vim rationum, inquit, se ita convinci, ut non possit aliter sentire; et Cano supra bene etiam dicit de integritate post partum, licet nulla esset auctoritas, rationibus fieri certam. Denique, ut visum est, etiam hic non deest auctoritas multo etiam major, quam pro parte contraria, quod satis est, ut rationes suam vim retineant. Dicetur forte secundo in aliis privilegiis semper esse aliqua similia et exempla, ex quibus a fortiori similia concludantur de Virgine; sed contra, non loquendo de puris hominibus, major assumpta est falsa, quia nullus homo purus, adultus, præter Virginem fuit immunis ab omni peccato actuali. Item nullus statim post mortem resurrexit ad perpetuam gloriam corporis et animæ. Secundo minor ibi subintellecta in rigore falsa est; ex quo argumentor, nam esse creatum in gratia est donum quoddam concessum primis hominibus : esse item perpetuo conservatum in gratia cum perfecta innocentia est donum datum Angelis sanctis : ergo juxta principium positum in præcedenti quæstione utrumque est datum Virgini, quæ tanto melior est Angelis effecta, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Dices nullum fuisse præservatum a peccato jam ex necessitate contrahendo; sed contra, nam hoc non refert; solum enim ostendit B. Virginem indiguisse magis hac gratia Dei, et ideo majori misericordia fuisse præventam; et secundo aliquid majus concedendum est matri, quam servis; unde confirmatur primo, nam supra ostendebamus non decuisse, ut mater Dei futura vel uno instanti minus diligeretur quam Angelus; ergo multo magis erat indecens, ut etiam odio haberetur. Secundo confirmatur, nam sancto Joanni propter munus præcursoris data est sanctificatio in utero, sed dignitas matris infinite superat munus præcursoris; ergo debuit Virgini illa sanctificatio concedi, non solum ut matri, sed etiam quasi cum privilegio quasi alterius ordinis et rationis, quia jus maternum altioris est rationis; et confirmatur tertio hæc et præcedens ratio : Christus dispensavit cum Virgine in aliis legibus, in dolore paries, in pulverem reverteris etc., magis ergo decuit in hac lege peccati dispensari, tum quia magis hoc spectabat ad honorem matris, tum ne videretur minus potens ad dispensandum in hac lege, quam in aliis. Faciunt ad hoc verba Ulpiani in L. *princeps* ff. de legibus; inquit : *Princeps legibus subditus non est; Augusta vero licet sit subdita, princeps tamen eadem illi privilegia concedit, quæ ipse habet.* Sexto argumentor ex aliorum hominum parte et totius status beatifici; multum enim spectat ad hominum gloriam, et quasi ad complementum beneficiorum Dei, ut sit non solum aliqua humana natura in Christo, sed etiam aliqua persona creata humana in B. Virgine perpetuo innocens, et numquam captiva dæ-

monis; quod etiam suo modo pertinet quasi ad complementum gloriæ regni beatorum, tum ob dignitatem reginæ, tum etiam ut in illo regno splendeant omnia genera gratiarum et misericordiarum Dei. Unde addo septimo; nam Deus non permittit lapsum in culpam, nisi propter majus aliquod bonum, ut tradit Dionysius cap. 4, de divin. nomin. et Augustinus in Enchiridio, et per se constat ex bonitate Dei : sed permittere in Virgine hunc lapsum in B. Virgine non solum non afferret majus aliquod bonum, sed etiam impediret multa, et perfectissima bona, quæ in præcedentibus rationibus explicata sunt. Dicetur forte : propter humilitatem Virginis permisisset hoc; sed contra, primo quia illa ratione deberet etiam permitti Virgini, actualiter aliquando peccare, quia est major occasio humilitatis, quia habet magis de proprio defectu voluntario : deinde cum humilitas oriri possit ex experientia culpæ, vel ex perfecto lumine supernaturali, et cognitione Dei, et propriæ conditionis et naturæ; in B. Virgine non ponendus est prior modus, sed posterior, qui est multo perfectior, qui etiam fuit in Christo Domino, cui oportuit Virginem esse maxime similem. Octavo, argumentari possumus, quia etiam ex concessione adversariorum B. Virgo fuit sanctificata paulo post conceptionem; et certum est eadem die; fere omnes etiam fatentur eadem hora; multi immediate post primum instans conceptionis. Sed nulla est ratio ponendi hanc dilationem, et Deus eadem facilitate poterat infundere gratiam in primo instanti, et erat multo dignius, et perfectius; et confirmo quod maxime declaratur : nam Deus ut pararet viam adventui Christi, communicarit hominibus gratiam innumeris annis ante incarnationem et quosdam homines, quos voluit esse quasi ex primariis progenitoribus Christi, quibus etiam specialius adventum suum promisit, magnam etiam gratiam ante multos etiam annos communicavit : cur ergo, vel ob quid in matre sua eas moras protenderet? Sumi potest argumentum ex effectibus originalis peccati, sunt enim duplices : quidam vel sunt culpæ, vel ad illam inclinant, vel quamdam indecentiam continent ex illa contractam : alii sunt effectus, qui pertinent tantum ad malum pœnæ sine indecentia ulla. Priores non fuere in B. Virgine; unde nec umquam actualiter peccavit, neque passa est fomitem, neque corpus ejus post mortem in cineres est redactum : ergo neque habuit ipsum peccatum, quod est horum causa tum ex sententia Augustini citata, quod inter peccatum originale et actuale est certa et infallibilis consecutio, tum etiam ex ratione, quia, si effectus tolluntur propter solam indecentiam, vel propter habitudinem ad culpam, multo magis ipsa culpa. Neque refert, quod posteriores effectus non fuerint ablati, quia, sicut remissa culpa non aufertur semper omnis effectus ejus, ut patet in baptizato puero; ita impedita vel præventa Virgine a culpa, non fuit necesse omnem illius effectum impediri, neque decuit, vel oportuit in iis quæ nullam habent indecentiam, et conferunt ad conservandam fidem, ad augmentum meriti, ad majorem cum Christo similitudinem, et similia, ut prosequitur Damascenus duabus orationibus de assumptione. Decimo sumitur ratio moralis, nam ecclesia nobis concedit ut possimus ita sentire de Virgine sanctissima, et recta ratio ac pietas postulat, ut quantum fieri possit optimam existimationem de illa habeamus, et uniuscujusque voluntas debet ad illam esse ita affecta, ut, si in ejus esset potestate et arbitrio, illi faceret hanc gratiam et hoc privilegium. Ergo multo magis, ut id judicet ecclesia. Et per hæc responsum satis est rationibus contrariæ sententiæ, præterquam secundæ et quintæ, de quibus statim.

26 Duo enim oriuntur ex dictis dubia in hac quæstione. Primum est, quia si rationes factæ valent aliquid, non solum probant ultimam conclusionem, sed etiam improbant primam. Videtur enim ex his omnibus pari ratione effici Virginem neque peccasse in Adamo, neque fuisse obnoxiam peccato, sed in ipso pacto, et lege posita Adæ fuisse exemptam, idest ita voluisse Deum omnes voluntates posterorum Adæ constituere in voluntate primi parentis, quoad observationem vel transgressionem illius præcepti, ut simul voluerit ante prævisionem originalis peccati B. Virginem ab illa generali regula excipere, idque propter Christum, et merita ejus jam prævisa. Prima sequela patet, quia hoc cedit in majorem dignitatem et sanctitatem Virginis, sic enim est liberior et magis aliena ab omni peccato : item est major gratia, et consequenter major innocentia et puritas

in Virgine beatissima. Deinde nihil videtur derogare Christo, nam nisi obstaret hoc privilegium, B. Virgo fuisset comprehensa sub illa lege, unde fuisset obnoxia peccato; per Christum autem fuit liberata, et præventa altiori modo, unde dici potest etiam redempta, sicuti si venderetur mulier in servam cum omnibus filiis futuris, quos esset parituram et in ipso contractu venditionis exciperetur primogenitus, vere posset dici vindicatus, et redemptus a servitute et captivitate, ergo pari modo etc. In hanc sententiam descendunt Catharinus lib. de peccat. originali, cap. ult. et lib. de concept. ad synodum Tridentinam, part. I, cap. 2; Galatinus lib. VII, cap. 10; et Vigherius supra; qui propterea sentiunt mortem in B. Virgine non fuisse pœnam peccati Adæ, sed propter alias congruentias; alii vero catholici omnino damnant hanc sententiam, nec desunt qui putant esse errorem vel hæreticam. Lege Cordubensem lib. I, quæst. 44. Ego puto esse falsam et non satis securam; primo, quia consequenter omnino negandum est Virginem peccasse in Adamo, quod revera est contra patres antiquos citatos, maxime Augustinum, qui non dubitavit dicere esse contra fidem lib. II de peccatorum meriti, cap. 20-29 et 55, propter generales locutiones Pauli, quibus non potest convenienter accommodari exemptio per privilegium, præsertim propter illum locum 2, ad Cor. 5, cit. in secunda ratione etc.; divum Thomam : *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui*. Necesse est enim distributionem esse æqualem in antecedente et consequenti, ne sit aperta æquivocatio : sed esset contra fidem excipere Virginem ab illo antecedenti : *Si unus pro omnibus mortuus est;* ergo et a consequenti *ergo omnes mortui sunt;* quod aperte intelligitur de morte peccati in Adamo, ut patet ex contextu; ex quo soluta est secunda illa ratio Thomistarum; oportet tamen advertere, ex hoc loco velle Cajetanum teneri nos etiam in nostra sententia absolute concedere B. Virginem fuisse mortuam morte spirituali, quod nullo modo est concedendum, quia absolute numquam caruit vita spirituali, et propositio illa singularis in determinata persona absolute prolata significat in sese aliquando habuisse spiritualem mortem : secus vero est cum illo addito *in Adamo*, quia illud tantum est secundum quid, et in altero; nec refert quod Paulus non ponit illud additum, cum dicit : *ergo omnes mortui sunt;* quia et ex textu et ex universali locutione distributiva id facile poterat intelligi, et ex alio loco : *omnes in Adamo peccaverunt*. Secundo hinc consequenter fit B. Virginem non fuisse obnoxiam peccato originali, neque habuisse debitum de facto, sed solum quod futura fuisset obnoxia, nisi sic fuisset exempta, sicuti si quis vendat arborem reservando sibi fructus illius anni, illi fructus numquam sunt debiti, neque obnoxii emptori; consequens autem est valde absurdum, uti patet ex abductis in prima conclusione. Tertio consequenter fit non fuisse vere, et proprie redemptam, quod est omnino falsum. Neque satis est dicere habuisse aliquid majus vel æquivalens redemptioni, quia uti constat ex scriptura et patribus, oportet servare hic veram et propriam redemptionem. Sequela vero patet primo ex dicto illo Augustini et Zosimi papæ : Ubi non est captivitas aliquo modo, neque redemptio : qua ratione Christus non redemit angelos. Secundo, hic declaratur exemplo ancillæ venditæ; nam, si quis postea redimeret illam mulierem servam a servitute, nullo modo posset dici redimere primogenitum ejus, quia ille per se nasceretur liber, neque indigebat redemptione. Tertio ita id patet, nam si fuisset factum cum Adamo illo modo cum illa exceptione, etiam si Deus post prævisum Adæ peccatum non decrevisset homines redimere, neque Christum pro illis mori, nihilominus B. Virgo fuisset concepta sine peccato, et in gratia, quia non peccavit in Adamo; signum est evidens non indiguisse mediatore neque morte Christi, quod dicere est hæreticum, August. epist. 28 ad Hieronymum. Quarto pari modo sequitur Virginem non contraxisse mortem ex Adamo, sed assumpsisse illam, et cum mors non sit nisi propter culpam, teste Paulo, vel propriam ut in nobis, vel alienam ut in Christo, sequitur Virginem assumpsisse mortem propter culpam nostram; quod esse absurdum et contra Christi dignitatem tradit Augustinus lib. I de peccatorum meritis, cap. 4. Ad dubium ergo principale respondeo negando sequelam, quia quod B. Virgo fuerit hoc modo exempta, omnino nihil refert ad perfectissimam sanctitatem et puritatem ejus, et ita fuisse contentam in Adamo, non est imperfectio derogans gratiæ, sed solum

pertinens ad ordinem naturæ, et ostendens originem ejus. Quod ita breviter explico : nam supposita electione Virginis ante prævisum originale peccatum ad dignitatem matris Dei, dicendum est primo, etiam ante illam præscientiam voluisse Deum, ut Virgo haberet talem gloriam ita perfectam, et talem gratiam a primo instanti sui esse, et perpetuam innocentiam; nam hæc secundum rectam rationem sunt omnino conjuncta cum illa dignitate; in quo differunt a perfectionibus corporis, ut sunt immortalitas, impassibilitas etc., quas propterea oportuit in eo signo efficaciter prædefiniri, et simili modo in eo signo ante præscientiam peccati, non intelligimus definita omnia media, per quæ Deus voluit B. Virginem consequi totam hanc perfectionem, quia nostro modo intelligendi, intentio finis antecedit electionem mediorum. Unde secunde dico : cum Deus voluit communicare justitiam originalem Adamo et in eo toti posteritati, in eo dedisse etiam Virgini; non enim decuit ut B. Virgo excluderetur a communi dono totius naturæ. Hinc tertio positum fuit in voluntate Adæ, ut posset eam justitiam sicut conservare, ita etiam perdere Virgini; nam hoc videtur postulare æquitas : item qui si in hoc non dependisset aliquo modo Virgo ab Adamo, nullo modo intelligeretur recepisse justitiam in illo : item ab effectu, quia in illo recepit immortalitatem et impossibilitatem, et ideo in eodem hæc perdidit. Quarto, postquam vidit Deus, Adamum, quod in ipso erat, et sibi et Virgini perdidisse jus ad justitiam; ut primum Dei propositum firmum maneret, ordinavit Christi redemptionem, et per Christum dare gratiam Virgini, qua ab originali peccato præservaret illam : est enim hic modus divinæ providentiæ ut interdum ad finem intentum applicet medium sufficiens, sed quod non semper et infallibiliter habet effectum, et illo deficiente adhibet aliud, ut tandem voluntas ejus infallibiliter impleatur, sicuti intelligendum est factum esse in proposito. Ex quibus constat primo B. Virginem tam in mente ac voluntate Dei, quam in re ipsa semper fuisse sanctam et innocentem, et solum in radice, et primo parente perdidisse justitiam, quod nihil derogat perfectioni ejus : dicit enim Augustinus lib. VI contra Julianum, capite 4 : Peccatum originale, quamdiu consideratur in actione alterius, alienum est : fit tamen proprium contagione propaginis : quare sicut peccatum alienum non minuit sanctitatem et innocentiam, ita neque peccasse in Adamo, si re ipsa non contrahitur peccatum; et aliunde fuit melius Virgini, ut Christus moreretur pro ipsa, quam ut ipsa non moreretur in Adamo; pertinet hoc etiam ad dignitatem redemptoris et propterea hoc posito modo optime omnia consonant. Secundo sequitur secundum legem ordinariam, si B. Virgo mortua fuisset ante Christum, non fuisse visuram Deum usque ad Christi mortem; ita communiter theologi, Bonaventura, Scotus, et alii in 3 dist. D. Thomas infra quæstione 33, art. 3, ad 3, Alensis III parte, quæst. 9, memb. 3, art. 2, Cordubensis lib. I, quæst. 47; ubi refert Gersonem serm. de concept. docuisse contrarium. Ratio vero est, quia ad Hebræos 10, et ad Ephesios 4, dicitur Christus aperuisse omnibus januam regni; nam Adam peccando toti naturæ et Virgini clausit cælum, ut ex dictis patet, et ideo donec pro tota natura esset plene satisfactum, nulli patebat. Dixi autem *de lege ordinaria;* nam dubitari potest, an dispensasset Deus cum Virgine in eo casu; videtur enim pars affirmativa, quia indecens est ut Dei mater, finita via et tempore medii, non statim consequatur præmium in cælesti regno; aliunde vero non videtur necessaria illa dispensatio, quia illa dilatio præmii solum esset quædam temporalis pœna, quæ nihil derogaret perfectæ sanctitati. Ego vero dico, Deum consulto providisse, ne ille casus interveniret : quid autem facturus esset in eo casu, omnino nesciri; et per hæc patet ad sextam rationem primæ sententiæ, quæ sola solvenda supererat.

27 Difficultas secunda est, quia videtur ex positis fundamentis præcipue ex secundo capite, hanc sententiam esse de fide, vel proximam fidei, et tam certam, quam est certum sanctum canonizatum esse vere beatum, quia canonizata est conceptio. In hoc dubio vitanda sunt duo extrema; primum dicendum est nostram sententiam esse de fide, quod tenent Parisienses propter concilium Basileense, Almainus de potestate ecclesiæ, cap. 16; Clichtoveus super Damascenum lib. III, capite 2, dicit contrariam sententiam esse impiam, et contra definitionem ecclesiæ. Titelmannus Joannis secundo dicit non sine impietate

defendi contrarium. Alterum extremum est ecclesiam non posse definire hanc controversiam : ita innuit Cajetanus d. opusculo, cap. 5, et clarius Cano, lib. IV, cap. 4, lib. VII, cap. 3, conclusione 4, lib. XII, cap. 11. Fundamentum est, quia in hac re nihil habetur ex revelatione, vel traditione, aut scriptura : ecclesia autem potest solum uti his regulis ad definiendum. Ego vero dico primo, ecclesiam non posse definire B. Virginem fuisse conceptam in peccato, quia non potest definire aliquid falsi. Secundo, posse definire hanc controversiam, et consequenter nostram sententiam. Hoc videntur supponere tamquam certum Xistus IV, et Pius V in extravaganti et Bulla de conceptione; ita Abulensis; et Cajetanus tandem ad hoc magis inclinat; et probatur, quia est veritas supernaturalis, ad pietatem et utilitatem ecclesiæ multum spectans, et pervenire potest ad statum, in quo ecclesia habeat sufficientia motiva ad id definiendum; neque enim requiritur semper expressa revelatio ab ipsa definitione distincta; sed interdum sufficit implicita revelatio, vel sufficiens quædam propositio, ut addita ecclesiæ definitione cum assistentia Spiritus sancti, efficiatur veritas de fide; in proposito autem habet vim implicitæ revelationis, veritatem hanc variis modis esse in scriptura insinuatam, ab antiquis patribus et (ut creditur) etiam ab apostolis traditam, universali ecclesiæ consensione ita exponente plenitudinem gratiæ Virginis acceptatam, et longo tempore firmatam, quod sufficere ad definitionem constat evidenter ex similibus. Primo hoc modo definitum est, quosdam libros esse canonicos, de quibus prius dubitabatur; gratiam esse habitum infusum; item B. Virginem caruisse omni peccato veniali, quod proprie definitum est : ad quod valet, quod docet Gregorius homil. 26 in Ezechielem, et Tertullianus lib. de velandis Virginibus, Spiritum sanctum paulatim ecclesiam suam docere et illustrare. Tertio tamen dicitur nondum hanc veritatem esse ab ecclesia definitam : ita asserunt Xistus IV et Pius V, quia concilium Basileense in hac parte non habet infallibilem auctoritatem. Neque obstat festi celebratio : quia ecclesia ipsa declarat, festum illud præcipue et per se primo fundari in Virginis sanctitate; et quamvis etiam credatur illam sanctitatem habuisse in primo instanti, hoc tamen non esse certum, sed pium, et probabile : revelationes autem, quæ in hoc dicuntur factæ, non ita proponuntur ecclesiæ ut obligent ad hoc tenendum de fide. Unde quarto dico, contrariam sententiam neque temerariam, neque impiam dici debere, quia habet sua fundamenta probabilia, et Xistus IV et Pius V satis indicant docentes non esse peccatum mortale ita opinari : esset autem grave peccatum, si esset temerarium vel impium. Quinto tamen dico, tempore hanc nostram sententiam esse tam certam, quantum in latitudine opinionis theologicæ esse potest, ut adducta fundamenta convincunt. Ultimo addo ex præcepto Pii V non licere vulgari sermone et coram plebe hanc controversiam disputare; ubi non prohibetur, quin possit simpliciter doceri et confirmari, sed solum ne fiat id modo disputationis et controversiæ.

PRÆFATIO

IN LIBROS R. P. FRANCISCI SUARESII DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

I Cum cæteris operibus ineditis R. P. Francisci Suaresii, jam prodit in lucem elucubratio ejus *de immunitate ecclesiastica*, quam rogante Paulo V, summo pontifice, anno 1606 scripsit, quæque hactenus in codicibus latuerat, quamquam utiliter edi potuisset.

II Totum opus tribus constabat libris : quorum primus, qui de immunitate in genere agebat, in bibliothecis Romanis non est repertus : sed eo sine magno dispendio carebimus, si quidem auctor idem argumentum anno 1613 pro more suo tractavit in *defensione fidei catholicæ*, quam, jubente summo pontifice, ad refellendum regem Angliæ scripsit.

III Secundus liber versatur circa controversiam, initio sæculi XVII inter summum pontificem Paulum V et rempublicam Venetam agitatam, de immunitate tam personali quam reali ecclesiæ in Italia et in ditionibus reipublica Venetæ. Hanc immunitatem dux et senatus Veneti audacter et pertinaciter violaverant, quin vel juris publici, vel sacrorum canonum tunc vigentium, vel juris ipsius naturalis ullam rationem haberent, ut passim probat P. Suaresius.

IV Aciem contra pontificem et ecclesiam catholicam ducebat frater Paulus Sarpi, Servita, orbi notissimus fallaci illa et insidiosa historia concilii Tridentini, quæ hæreticis adeo placuit, ut eam in variis linguis translatam propriis typis ediderint, et quaqua versum in odium ecclesiæ catholicæ transmiserint. Etsi reipublicæ Venetæ principes fide catholica et sincera veneratione ergo sedem apostolicam, ut ipsi gloriabantur, essent conspicui, ad tuendam malam suam causam principia hæretica proposuerunt, quæ si tolerata fuissent, totum statum ecclesiæ, ut animadvertit P. Suaresius, subvertere potuissent. Contendebant nempe auctoritatem civilem esse juris divini positivi : se suam potestatem immediate a Deo accepisse; eam potestatem esse summam et indefinitam, adeo ut ipsi ecclesiæ Dei dominarentur, et de rebus spiritualibus pro arbitrio disponere possent. Quibus erroribus plus minusve excæcati, interdictum pontificis contempserunt; negarunt pontificem potuisse hanc censuram ferre; quasi non fuissent ipsi spiritualiter subditi in rebus fidei, morum et disciplinæ ecclesiasticæ; eoque devenerunt ut mortem minarentur iis, qui interdictum pontificium servarent.

V Causa autem præcipua totius litis erat lex, qua respublica negabat ecclesiis et piis institutis jus recuperandi umquam dominium utile illorum bonorum, quæ in emphyteusim tradiderant; et prohibebat iisdem institutis, ne bona immobilia acquirerent, sine licentia reipublicæ, raro aut numquam, ut videbatur, concedenda. Insuper reipublica carceri mancipaverat duos viros ecclesiasticos, gravis delicti reos, quos juxta leges tunc vigentes judici ecclesiastico tradere debuisset.

VI Denegando ecclesiis et piis institutis facultatem jungendi umquam dominium utile, ad tempus alienatum, cum dominio nudo, respublica spoliabat ecclesiam juribus suis, imo bonis suis, sine censensu pontificis, cujus est de alienandis bonis ecclesiasticis judicare. Contractus jam multo tempore sancitos, et jure tam publico quam privato firmatos, arbitrarie abrumpebat in favorem laicorum et in detrimentum ecclesiarum. Legi suæ vim retroactivam attribuebat, obstantibus prorsus principiis juris, et contra pia instituta ea decernere

non verebatur, quæ sine summa injustitia contra privatos decernere non potuisset.

VII P. Suaresius causam ecclesiæ cum moderamine ipsi consueto et magna sinceritate egit. Ostendit quid juxta jus tunc receptum lex civilis posset in bona ecclesiæ, quin immunitatem ecclesiasticam læderet (num. 44); aperte declarat bona immobilia, quæ donantur ecclesiis, ab ipsis accipi debere cum oneribus suis, nec ab iis liberari, nisi consentiente domino vel principe (num. 47); fatetur aliquando facultatem acquirendi bona immobilia ad certos limites arctari legitime posse, dummo summus pontifex consentiat (num. 49); quod si hujusmodi necessitas manifesta sit, demonstrat rem a solis principibus sæcularibus definiri non posse, quin pontifex et supremi prælati judicium suum interponant (n. 51). Non impugnat itaque eximius doctor, nisi usurpationem potestatis ecclesiasticæ, quam respublica Veneta sibi attribuerat, contra omnia jura tam ecclesiastica quam civilia tunc vigentia.

VIII Porro notandum est P. Suaresium causam hanc totam tractare, juxta jura illius temporis quibus profecto respublica Veneta tunc subjiciebatur, neque quidquam temere affirmare. Quum ipse inclinaret ad asserendam immunitatem ecclesiasticam juris divini, statim lectorem monet hanc doctrinam minime controversiæ limites excedere, et libere impugnari posse. « Multi auctores negant, ait, immunitatem clericorum esse juris divini (num. 12). » Demonstrat eam tunc fundatam fuisse saltem in jure publico, legibus civilibus, et sacris canonibus, qui vim legis civilis habebant in republica Veneta; quod profecto causæ suæ tuendæ abunde sufficiebat. Num. 44, denuo observat auctores inter se dissentire, circa fundamentum illius immunitatis; sed rempublicam Venetam in omnium opinione errasse. Ex quo liquet primo P. Suaresium illam immunitatem non proposuisse tamquam esset juris absoluti, cui proinde ipsa ecclesia numquam renunciare posset; atque secundo doctrinam ejus ex adverso non pugnare, cum jure quod ecclesia his nostris temporibus vel admittit, vel tolerat; quum jam non sine tacito vel expresso consensu supremæ potestatis ecclesiæ jus antiquum, in quo doctrina Suaresii tota fundatur, mutatum sit.

IX In libro III de immunitate ecclesiastica Eximius auctor conqueritur de editoribus Venetis qui tractatum suum de censuris ecclesiasticis fœde truncarant, in iis locis, in quibus auctoritati pontificiæ et libertati ecclesiasticæ præcipue favebat. Inde constat, ut rem obiter notem, defensores potestatis laicæ, jam ab antiquo libenter adversariorum suorum libros truncasse. Etsi eminentissimi cardinales congregationis indicis editionem illam mutilam supprimi jussissent, utpote mala fide editam ad injuriam auctoris et ad incautos lectores decipiendos, nihilominus R. P. Suaresius novis argumentis confirmare voluit loca ab editoribus Venetis suppressa, ne quis crederet illa legitime e libro suo fuisse excisa. Tertius ille liber de immunitate ecclesiastica est igitur veluti commentarius operis sui de censuris, quod quinto tomo commentariorum ejus in tertiam partem summæ theologicæ S. Thomæ continetur.

X In hoc tertio libro Eximius auctor, veluti probabilem tuetur sententiam eorum, qui putarunt subditos obedientiam civilem denegare posse aut debere principi excommunicato. Doctrina hæc, mutatis temporibus et juribus, jam nullius momenti esse videtur, nec ulla ratione statui rerum publicarum nostra ætate posse applicari. Medio ævo in jure publico omnium gentium, quæ Christo nomen dederant, fundata erat, et principibus æque ac populis erat acceptissima, ut innumeris documentis facile esset probare. Ætate Suaresii adhuc in scholis tradebatur, ut ipse auctor notavit, sed tantum ut doctrina probabilis. P. Suaresius, lib. III, num. 10, eam improbare videtur; num. 36, allegat argumenta quibus demonstratur probabilis, et eam tuetur, ut opinionem tunc controversam, maxime ab auctoritate scriptorum celeberrimorum, qui illo tempore florebant. Laudare etiam potuisset doctrinam confœderationis Gallicæ, vulgo *La Ligue*, cujus institutio hac opinione nitebatur, et quam nuper omnibus persuadere conata erat. Porro, opinionis hujus applicatio practica tot conditionibus arctabatur, ut vix ullum periculum rebellionis principibus crearet. Et re quidem vera, quoties ab illa ætate ad nostram usque principes e suis soliis ejecti sunt, minime propterea regno spoliati fuerunt, quod obedientiam in rebus spiritualibus summo pontifici denegarent, aut censuras ecclesiasticas contemnerent. Porro periculum etiam

remotissimum, si quod esset, prorsus averteret doctrina quam nuper publice professus est S. M. Gregorius XVI summus pontifex : nempe populos christianos nullo sub obtentu rebellare debere contra principes etiam dyscolos, ut legere est in Brevi Gregorii XVI ad episcopos Poloniæ et in ejusdem celebri Encyclica data mense Julio anni 1832, cujus fragmentum infra transcribetur. Sententia pontificis ibi enunciata veluti doctrina sedis apostolicæ hac nostra ætate habenda est. Nulla igitur est ratio ob quam liber P. Suaresii nunc non edendus fuerit.

XI Nemo, hos Suarezii libros perlegendo, singularem auctoris modestiam et tenerum ergo sedem apostolicam amorem non mirabitur. Ubi enim retulit edictum, quo S. Congregatio Indicis editionem operis sui de censuris ecclesiasticis, Venetiis truncatam, recitavit, gaudet quod illustrissimi patres, « sui nominis, *qui inter omnes minimus et novissimus est*, tantam curam et sollicitudinem habuerint, » ut non rogati defensionem, ejus nulla interposita mora, susceperint. In calce autem operis, postquam declarasset « se in hoc opere scribendo, primaria academiæ (Coimbricensis) prælectione distentum, proximos tres menses expendisse; » statim subjungit : « Expenderem, si opus esset, longissimos vitæ annos, si illos mihi Dominus condonasset. Quum enim ecclesiæ causa agitur, cum pontificis potestas in dubium revocetur, ingratus essem filius, si matrem ecclesiam, si patrem pontificem pro mea tenuitate non defenderem. » En veros P. Suaresii sensus; en quo filiali animo scripta hæc exaravit!

XII Non mirum igitur si opus hoc R. Pontifici fuerit gratissimum. Mox, quum illud accepisset, Paulus V ad pium auctorem Breve gratulatorium transmisit, quod quia raro est obvium, hic ad litteram transcribendum esse censemus, prout legitur in vita Eximii Suaresii italice conscripta a R. P. Massei, cap. 15, pag. 120. Est autem sequentis tenoris :

« Dilecto filio Francisco Suarez, presbytero Societatis Jesu, S. Theologiæ doctori et in gymnasio Conimbricensi professori primario. PAULUS PAPA,

» Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

» Quam sit magnus Deus noster ejusque virtus et sapientia, ex ea, quam ecclesiastica libertas elapsis mensibus perpessa est, procella, perspicue apparet. Conati fuerunt nonnulli tenebrarum amatores errorum noctem offundere veritati improbis scriptis suis. Sed pestiferam noctem tam multi fideles Christi servi ac tam feliciter sanæ doctrinæ lumine dissiparunt, ut hæc nox Spiritus sancti gratia illuminata plane fuerit. In servis istis numerat te in primis volumen apostolatui nostro a te missum. Multum in eo diligentiæ ac doctrinæ, nec minus ardoris asserendæ catholicæ veritatis et divinæ B. Petri tuendæ auctoritatis elucet; usque adeo ut opus universum theologum eximium exprimat ac pium. Est igitur, cur in Domino gaudeas et gratias agas patri luminum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit. Nobis autem non potuit nisi gratissimum esse beneficium, et tale beneficium apud ecclesiam sanctam humilitati nostræ commissam opportune a te positum. Quapropter oramus Dominum Nostrum Jesum Christum, ut in dies de sponsa sua ita bene mereri secundum divitias bonitatis suæ tibi tribuat, ac retribuat; atque apostolicam benedictionem iterum impartimur. »

XIII Plura fortasse de historia celeberrimæ illius contentionis inter sanctam sedem apostolicam et rempublicam Venetam agitatæ disseruissemus, nisi notam viri cujusdam docti, qui ea quæ a nobis dicenda erant præoccupavit, feliciter nacti essemus, quam notam libenter adoptavimus, et hic in gratiam eruditi lectoris subjiciendam esse existimavimus.

Brugis, 4 Septembris 1858

† J. B. Episc. Brug.

NOTITIA HISTORICA

DE LIBRIS P. F. SUARESII DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA A VENETIS VIOLATA ET A PAULO PAPA V JUSTE ET PRUDENTISSIME DEFENSA.

Quamquam ipse Suaresius passim scriptioni suæ insperserit narrationem rerum gestarum, quæ huic de immunitate ecclesiastica controversiæ locum dederunt, juverit tamen eas initio præmittere; quo facilius innotescat lectori quodnam sit horum librorum argumentum. Quod ut fiat quam fidelissime, nil opportunius videtur quam ut ipsa potissima documenta hic exhibeantur; quorum prius est diploma, quo pontifex rempublicam Venetam interdicto feriit, quodque in hæc verba sonat : « Paolo papa V a' nostri venerabili fratelli patriarchi, arcivescovi, vescovi dello stato di Venezia, a' loro vicari generali, ed a' tutti gli abbati, priori, primiceri, archidiaconi, arcipreti, decani, curati, rettori, ed altre persone ecclesiastiche, tanto secolari che Regolari, costituiti in dignità ecclesiastica nello stato di Venezia, salute ed apostolica benedizione.

» Da qualche mese in qua ci è venuto à notizia, che ne' anni passati il doge ed il senato di Venezia ânno fatto ne' loro consegli molti decreti contrari all' autorità della S. Sede, alla libertà ed immunità ecclesiastica, come altresi repugnanti alli concigli generali, a' sagri canoni, ed alle constituzioni papali. E trà gli altri uno delli 23 Maggio dell' anno 1602, coll' occasione di certa discordia nata trà il dottore Francesco Zabarella d' una parte ed i monaci di Praglia dell' ordine di S. Benedetto della congregazione di monte Cassino dall' altra; col quale è vietato a' que' monaci, ed à tutti gli altri ecclesiastici dello stato, secolari ò regolari, come altresi alle monache ed agli spedali d' acquerire per l' avvenire beni immobili sotto pretesto che ne sono padroni diretti, od altrimente, senza pregiudicare al diritto del loro diritto dominio. Un' altro delli 30 Genaro 1603, passato nel Pregadi, il qual porta : Che il divieto fatto altre fiate di fabricar chiese, conventi, spedali ed altre case religiose in Venezia senza licenza del senato fosse osservata per l' avvenire in tutte le città e luoghi dello stato sotto pena di bando di prigione perpetua, e della vendita de' fondi à profitto del publico contro quegli, che violarebbero l' ordine. Un terzo delli 26 Marzo 1605, col quale il doge ed il senato, fondati sovra un' altro decreto del 1536, che per quanto dicono vietava sotto certe pene di lasciare ad ecclesiastici per testamento, ò donazione trà vive, beni immobili in Venezia per opere pie, nè d' impegnarle od aglienarle sotto qualsisia pretesto, se non per un tempo determinato, (il che non era stato ben' osservato sino à quel tempo) non solamente ânno rinuovato questo stesso divieto, mà l' ânno steso in tutte le città e terre dello stato loro, dove l' ânno fatto publicare da' rettori, e podestà che le governano, sotto le stesse pene portate nel decreto del 1536. Oltre ciò noi abbiamo saputo che il doge ed il senato ânno fatto imprigionare Scipione Saraceno, cononico di Vicenza, e Brandolino Valdemarino, gentiluomo del Friuli, abbate di Nervesia nella diocesi di Treviso, persona costituita in dignità ecclesiastica per certi delitti che s' imputano loro; pretendendo che ânno tal potere in virtù d' alcuni privilegi concessi, per quanto dicono, da alcuni de' nostri predecessori. E perche tai decreti roversciano i diritti, che la chiesa gode in virtù de' trattati e convenzioni fatte co' prencipi e fanno gran pregiudicio all' autorità della S. Sede apostolica ed alla nostra, agli antichi statuti, e diritti delle chiese, ed altri privilegi, ed immunità ecclesiasti che, (il che tende alla perdita delle anime del doge et de' senatori come altresi allo scandalo di molti) gli autori di queste leggi sono incorsi nelle censure ecclesiastiche ordinate da' sagri canoni, da' concigli generali, e da' sommi pontefici, e nella privazione di tutti li feudi e beni, ch' eglino tengono dalle chiese, delle quali censure e pene non possono esser' assoluti nè liberati che da noi ò nostri successori, sendo anche inabili ed incapaci di ricevere l'assoluzione, se non rivocano prima le leggi, che ânno fatte, co' nuovi editti e decreti, e non rimettono tutto nello stato primiero.

Mà come il doge e senato, doppo varie rimostranze ed esortazioni paterne che abbiamo loro fatto da qualche mese in quà, non si sono ancora posti in dovere di rivocare le loro leggi, e ritengono tuttavia il canonico Saraceni, e l' abbate Brandolini nelle prigioni, senz' aver mai voluto consegnarli, come lo dovevano, al nostro diletto fratello Orazio, vescovo di Jeracea, nostro nuncio residente appo d' essi : Noi che non dobbiamo tolerare in modo alcuno, che la libertà ed immunità ecclesiastica sia violata, nè che l' autorità della S. Sede e la nostra sia dileggiata, conformandoci a' decreti di molti concigli generali, e secondo le vestigia d' Innocenzo III, Alessandro IV, Clemente IV, Martino IV, Bonifacio VIII, Bonifacio IX, Martino V, Nicolo V ed anche alcuni altri papi, nostri predecessori, di cui alcuni ânno revocato à tempo loro simili statuti fatti contro la libertà ecclesiastica, come di ragione nulli, invalidi, e senza effetto, e li ânno dichiarati per tali; e gli altri ne sono venuti sino à publicare scommuniche contro i facitori di tai ordini; doppo averne deliberato maturamente co' nostri venerabili fratri, li cardinali della S. C. R. quantunque tai decreti ed editti del senato sudetti siino da se stessi nulli, invalidi, e senz' effetto, col conseglio però e consenso di detti nostri fratelli, noi dichiariamo ancora di nuovo con questo breve, che sono nulli, invalidi, e senz' effetto, e di niuna forza e valore e che alcuno è tenuto ad osservarli. E di più, coll' autorità di Dio onnipotente, e de' beati Apostoli Pietro e Paulo, e colla nostra noi scommunichiamo, e denunciamo per iscommunichati il doge ed il senato della republica di Venezia, che sono oggidì, e saranno nell' avvenire, come altresi i loro fautori, consiglieri, ed aderenti tutti in generale e ciascuno in particolare, quantunque non nominati particolarmente; volendo che i loro nomi e cognomi siano tenuti come espressi con queste presenti, se nel termine di 24 giorni à cominciare dal giorno dalla publicazione delle presenti che si fara in Roma (de quali assegniano gli 8 primi per il primò termine, gli 8 secondi per il secondo, e gli ultimi otto per l' ultimo e perentorio, e per un' ammonizione canonica) il doge ed il senato non rivocano, cassano ed annullano i detti decreti, e quanto è stato fatto in virtù di quelli, senz' eccezione, scusa nè pretesto veruno, e non li fanno scancellare da' loro archivi e libri, dove sogliono registrare gli atti publici; se non fanno sapere in ogni luogo della loro giuridizione, dove saranno stati publicati, che sono rivocati, cassati ed annullati, e che niuno è tenuto ad osservarli; se non ristabiliscono tutto nello stato primiero con promessa di non far più per l' avvenire simili decreti contrari alla libertà, immunità e giuridizione ecclesiastica, alla nostra autorità ed à quella della S. Sede apostolica; dandoci contezza della revocazione, cassazione, soppressione, dichiarazione di nullità fatta a' loro soggetti, e dello ristabilimento delle cose nello stato primiero; ed in fine se non rimettono e consegnano effettivamente il canonico e l' abbate prigionieri trà le mani del vescovo d' Jeracea, nostro nuncio. E non potranno essere assoluti da questa scommunica sotto qualsisia pretesto ò ragione, che da noi ò nostri successori, se non in articolo di morte; ma talmente che se alcuno, avuta l' assoluzione, si risani, ricaderà nella stessa scommunica, purche non ubbidisse quanto potrebbe a' nostri commandi; e che quegli, che moranno doppo l' assoluzione, non possino però essere sotterrati in terra santa, sinche non si sia ubbidito al contenuto del monitorio. Che se doppo i 24 giorni il doge ed il senato persistono ancora trè giorni nella loro ostinazione (il che non piaccia à Dio) aggravando questa sentenza di scommunica, noi mettiamo da questo momento, e come faressimo allora, la città di Venezia, e generalmente tutti li luoghi, che ne dependono in interdetto; si che ned in Venezia, ned in alcuna città ò luogo del suo dominio, ned in alcuna chiesa, oratorio particolare, ò capella domestica, non si potrà dire la messa, nè celebrare l' ufficio divino, ned in particolare, ned in publico, eccettuato nel caso permesso e concesso di diritto commune, ed allora ciò non si potra fare altrove, che nelle chiese, ed ancora à porte chiuse, senza suonar campane e senza ammettervi le persone interdette. E gl' indulti, e privilegi di qualsivoglia natura e qualità non potrano servire al contrario, ned alle chiese secolari, ned alle regolari : ned anche à quelle, che dependono immediatamente dalla S. Sede, ò che sono del padronato del doge e del senato per fondazione, od al-

trimente; quando anche sarebbero tali, ch' elleno non fossero contenute sotto la legge generale, e che ne bisognasse fare menzione speciale ed individua. Di più noi priviamo e dichiaramo privati anche d' adesso il doge ed il senato, e ciascuno in particolare ed in suo nome privato, d' ogni bene ecclesiastico, che tengono in feudo dalla chiesa romana ò d' altre chiese, come altresì d' ogni privilegio, indulto, che ânno ottenuto da' nostri predecessori, e specialmente del potere di procedere contro i chierici in certi casi e delitti. E se il doge ed il senato continuano nella loro contumacia e nelle loro ostinazione, Noi ci riserbiamo ed a' nostri successori d' aggravare, e riaggravare le censure, e le pene ecclesiastiche contro d' essi, e loro aderenti, fautori e conseglieri, e di ordinare ancora altre pene ed impiegare altri rimedi, secondo la disposizione de' sagri canoni, non ostanti tutte le constituzioni, ordini apostolici, privilegi, indulti e brevi contrari à questo, concessi al doge ed al senato in generale, od in particolare di non poter' esser' interdetti, sospesi, nè scommunicati. I quali noi deroghiamo con queste specialmente ed espressamente per questa volta.

» Ed affinche questo monitorio venga in cognizione di ciascuno, noi vi commandiamo ed imponiamo con queste lettere a' tutti unitamente, ed à ciascuno in particolare, patriarchi, arcivescovi, vescovi, vicari generali, ed altri, in virtù di S. ubbidienza, per il timore del guidicio divino, e sotto pena di sospensione e di privazione delle vostre entrate, ed anche delle vostre dignità, benefici, e carichi ecclesiastici, come altresì delle voce attiva e passiva, e tutte le altre pene, nelle quali poteser' incorre à nostro riguardo, che doppo aver ricevuto le nostre lettere, od averne avuto avviso, le publichiate ò facciate publicare nelle vostre chiese, quando vi sara concorso di popolo, e poi affiggere alle porte delle stesse chiese. In fine noi vogliamo che sia data fede alle copie anche stampate, che saranno soscritte da un notaro, e suggellate col suggello di qualche persona costituita in dignità ecclesiastica, come agli originali, che vi dirizziamo, e che la publicazione di tal monitorio fatto in Roma, dove è stato affisso secondo il solito alle porte delle chiese di S. Giovanni laterano, e del principe degli apostoli, ed à quelle della cancellaria apostolica, ed in Campo de Fiore, ubblighi tanto il doge, il senato e tutto il clero dello stato di Venezia, come se fosse stato presentato, ed intimato à ciascuno d' essi, e di voi in particolare. Dato in Roma sotto l' annello del pescatore li 17 Aprile 1606, il primo del nostro pontificato.

M. Vestrius Barbianus. »

At quum animi Venetorum exacerbati essent et a Paulo Sarpio aliisque pessimi ingenii viris ad resistendum obfirmati, Leonardus Donatus, reipublicæ dux, die sexta Maji proxime sequenti irritam declaravit pontificis Romani sententiam et brevi post senatus in lucem dedit publicas literas, quibus quæ sibi sua viderentur jura palam significavit. Has hic accipe quo alterius quoque partis præcipua argumenta cognoscas: « Avendo Dio stabiliti li prencipi per esser vicari, e suoi luoghitenenti in terra, ed in tal qualità governare gli uomini, e conservare la società civile, ciascuno ne' suoi stati particolari; così com' egli solo governa tutto l' universo per la sua bontà, e per la sua prudenza infinita; la republica di Venezia, esatta sempre nel sodisfare al suo dovere verso i popoli, ha voluto per un' affetto paterno, che hà per tutti gli abitanti delle città dello stato suo, che sono suoi propri membri, farli consapevoli di tutte le leggi, e' statuti ch' essa hâ stimato poter loro essere d' utilità, non essendole meno a cuore l' interesse di queste città, che quello della stessa città di Venezia. Come vi è dunque un ordine antico fatto, gia sono molti secoli, col quale è vietato d' alienare, impegnare, ne vendere beni immobili ad ecclesiastici in Venezia e nel ducato, perche non essendovi più speranza che tai beni ritornino mai nelle mani de' laïci, quando ne sono una fiata usciti, importa molto al ben publico d' impedire gli acquisti continui, che quei fanno à grave danno di tutti li cittadini, che in fine non potrebbero più supportare i carichi dello stato, nè contribuire quanto devono alla patria siasi in pace od in guerra, se si spogliassero delle loro possessioni ed immobili. A che volendo la Ser. Republica di Venezia remediare, di paura che un' abuso, introdotto con tanta confusione, non si stendesse nelle altre città e luoghi della sua ubbidienza, dove gli ecclesiastici ânno tanto fatto colla loro scaltrezza, aiutati dalla simplicità

delle persone pie e devote, che il quarto, ed anche il terzo de' fondi ed altri beni immobili è stato loro alienato; il senato hà ordinato, che tal legge, che prima non era che per lo ducato di Venezia, sia adesso osservata in tutte le città e terre del suo stato, stimando esser' ingiusto, che voi portiate incessantemente i carichi, ed imposizioni publiche, mentre le persone, che non servono à niente, od almeno à poca cosa, godino quietamente e senza far niente i beni, che i vostri antenati ânno acquistato col proprio sangue. In che il senato s' uniforma all' esempio di tutti gli altri prencipi christiani, che ânno fatto simili ordini. Questo non risguarda che i soggetti ed i beni laici, e non isminuisce in modo alcuno i beni spirituali e degli ecclesiastici, à chi la republica lascia la libertà dotale d' acquistare e di ricevere doni in danari contanti, od in ogn' altra cosa mobile equivalente; ed anche beni immobili, purche sia con licenza e consenso del senato. E come i beni ecclesiastici sono difesi e conservati da' prencipi à spese del publico, così egli è giusto, che gli ecclesiastici ne faccino parte a' prencipi, comme ânno giudicato li concigli nelle necessità publiche, siasi in pace od in guerra. Succede altresi sovente, che sotto mantello di religione s' introducono nelle città forme d' uomini stranieri, che fabricano chiese, case, ed oratori in luoghi sospetti, e scommodi alla sicurezza publica, ed i quali, oltre che seco loro portano costumi ed usi contrari a' quelli del paese, producono cativissimi effetti, quando altro non sarebbe che di dividere le limosine, che non ponno bastare ad un numero si grande di religiosi, à grave danno delli conventi antichi de' religiosi, i cui meriti ed orazioni mantengono e fanno prosperare lo stato; abuso, al quale non poteva il senato remediare, che col vietare la fabrica di tali e simili edifici, senza distruggere però li vecchi, che si trovano in maggior numero nel nostro stato, che in qualsisia altra provincia della christianità. Mà come il senato, à chi tocca la cura della sicurezza e della commodità publica, è informato bene delle nuovità che s' introducono ogni giorno, e vede che i suoi ordini sono stati trascurati, negletti e posti in oblio per mancamento de' suoi ufficiali, gli è parso necessario di rinuovarli e publicarli, stimando che si tratti del servizio di Dio d' assicurare il riposo, e la libertà de' popoli commessi alla sua custodia dalla Maestà divina. Oltre che è impossibile di vivere in pace in uno stato, se non si vigila incessantemente sovra i ribaldi e faziosi, frà quali si trovano sovente (cosa manifesta à tutti) religiosi, ed ecclesiastici, che à misura, che crescono di numero e ricchezze, divengono altresi più licenziosi, e più insolenti, intorbidano non solamente le famiglie particolari, mà ancora tutte le città, andando alla caccia de' testamenti, successioni de' ricchi, litigando i loro vicini, e mettendo laici all' onore ed alla vita degli altri per sodisfare alle loro concupiscenze insaziabili, senza anche isparagnar' il ferro, ed il tosco contro i loro più congiunti per farsi strada alle lore diaboliche intraprese. Che d' altrove tai malfattori, quantunque religiosi ed ecclesiastici, sono stati in ogni tempo gastigati da nostri antenati, secondo leggi divine et umane, senza che i papi l' abbino mai trovato sdecente; al contrario sendovene stati molti, che li ânno lodati co' loro brevi, e bolle.

» Avendo dunque voluto continuare in quest' uso antico, come e giusto e ragionevole, e servirsi de' nostri statuti contre persone accusate di misfatti enormi, è successo che Paolo V, oggidi sommo pontefice, dando orecchio a' nostri nemici, che lo lusingano e gli applaudiscono, è stato fraudolosamente persuaso d' impedire le nostre azioni ed i nostro giudici, d' interrompere i nostri usi vecchi ed i nostri privilegi originari, e di prescrivere i limiti che gli piace al caso de' nostri ordini più giusti. Chosa che niun prencipe, nè republica hà ancora osato tentare da mille e ducento e più anni in quà, non più che d' impedirci di fare tai leggi, che ci piacerebbero per la conservazione de' nostri beni, nè di gastigare quegli, che vi offendono ed intorbidano il vostro riposo.

» Che se è permesso à ciascun particolare di governare la sua famiglia à suo capriccio, e di rispignere le ingiurie, che gli vengono fatte, con maggior ragione ciò sara lecito ad una republica, stabilita da Dio per aver cura delle vostre persone e de' vostri beni; ad una republica libera, che non hà mai conosciuto altro superiore, che la divina Maesta; che ha impiegato i suoi tesori e sparso il sangue de' suoi cittadini e de

suoi soggetti per difesa della chiesa Romana e de' papi, che l' ânno sovente onorata co' loro elogi e favori. Ma Paolo V, molto lungi di voler' udire le nostre ragioni, che gli abbiamo fatto esporre dal nostro ambasciatore à Roma col debito rispetto e sommissione, rendendo male per bene, ha fulminato contro di noi brevi, e monitori rigorosi lo stesso giorno di natale, quando andavamo à communicarsi, e che marino Grimani nostro doge era in agonia. Oltre ciò S. S. hà fatto varie doglianze ingiuste di noi nel concistoro de' cardinali, ed in tutte le corti de prencipi. Noi altri al contrario, rimanendo ne' limiti del solito respetto per darle segni manifesti della nostra sommissione, e trovar' i mezi per acquetarlo, le abbiamo mandato un' ambasciatore straordinario, mà senz'effetto. Stando che in vece di temprare il suo stremo rigore verso di noi, si è ancor più inasprito à trattarci male, avendo impiegato ingiustamente l' interdetto, e tutte le sue armi spirituali contra la nostra republica. Perciò, carissimi ed amatissimi, nella sicurezza che abbiamo, che la nostra causa è buona e giusta dinanzi à Dio, e che per conseguenza le scommuniche di S. S. non ci ponno nuocere in modo alcuno, per pruova del nostro affetto e di benevolenza paterna verso di voi, vogliamo bene darvene contezza, persuadendoci che doppo aver conosciuto, che tutto ciò non ci è arrivato, che per aver voluto mantenere i vostri interessi, e difendere il vostr' onore senza pregiudicio alcuno, nè della chiesa, nè del servizio divino; voi concepirete un giusto sdegno d' un procedere si ingiusto e rigoroso, ed in ogni caso non mancarete all' ubbligazione indispensabile, che voi avete di sostenere constantemente le ragioni communi della nostra republica, e le vostre particolari. »

Atque in his vertebatur celeberrimarum illarum litium cardo. Quis earum deinde fuerit modus et finis huc non pertinet; adeoque si quis universam hanc historiam nosse voluerit, is ablegandus videtur (ut auctores pontifici addictos omittam) ad librum LXXI historiæ ecclesiasticæ Berrault-Bercastel, quem omnes norunt Romanorum pontificum in principes et respublicas sæculares auctoritati non favere; ad paragraphum 12 libri VI historiæ Romanorum pontificum, quam Lutheranus Leopoldus Ranke in lucem dedit; et demum ad librum XVII historiæ Venetæ Andreæ Mauroceni, qui utpote senator Venetus harum omnium rerum pars magna fuit. Atque ex his scriptis facile intelliget lector quantum passim a vero aberret comes Daru, qui libro XXIX historiæ suæ Venetæ has quoque controversias prosecutus est. Exemplo sunto quæ de earumdem fine hic perhibet, scilicet senatum numquam passum esse ut a censuris absolveretur, ne eas validas fuisse agnosceret; dum tamen ex literis cardinalis Jojeusæ, qui absolutionem dedit, et ex narratione Mauroceni, qui eam accepit, luculente constet de modo ejus largiendæ prius pactum esse eamque concessam fuisse, non quidem in loco omnibus patenti, sed in collegio. Sed jam ad Suaresii scriptionem proprius deveniendum est.

Dum itaque anno 1606 et sequenti controversiæ illæ ferverent, ex utraque parte innumeri conscripti fuere libelli. Quum R. P. Gretserus S. J. in hac quoque causa suum strinxit calamum, penes se habebat triginta octo opuscula quibus interdicti valor propugnabatur et viginti octo scripta pro Venetis, præter minutiores tractatulos, ad modum satyrarum compositos. Collibitum quoque fuit Suaresio suam conferre symbolam ad tuenda ecclesiæ et Romani pontificis jura; scripsit itaque tres libros, quorum primus est de immunitate ecclesiastica in genere; secundus de immunitate ecclesiastica a Venetis violata et a pontifice juste ac prudentissime defensa; tertius de tuenda ecclesiastica immunitate contra mutilatores tomi sui V de Censuris. Ipsi Paulo papæ V oblatum fuit id opus; neque voluit pontifex id illaudatum abire. Quocirca literas die 2 Octobris anni 1607 ad auctorem dandas curavit, quas integras recitat Antonius Ignatius Deschamps (1) et ex quibus id unum comma decerpere visum est : « Multum, ait Paulus V, in eo [opere] dili- » gentiæ ac doctrinæ, nec minus ardoris » asserendæ catholicæ veritatis et divinæ » beati Petri tuendæ auctoritatis elucet. » Typis tamen data non fuit hæc lucubratio, quoniam jam pluribus mensibus ante, scilicet die 21 Aprilis, censuræ, quibus ligati fuerant Veneti, amotæ fuerant et pax

(1) Vita Suaresii, part. III, cap. 10.

inter Venetos et pontificem redintegrata.

Ad hanc itaque usque diem in tenebris latuit is Suaresii partus; atque primus quidem liber, quem de immunitate in genere fuisse dixi, periit aut saltem nondum repertus est. At non tanta hæc perditio quanta primo conspectu forte videatur; toto enim libro IV Defensionis fidei catholicæ et apostolicæ adversus Anglicanæ sectæ errores per triginta quatuor capita de nulla alia re agitur quam de immunitate ecclesiastica seu exemptione clericorum a jurisdictione temporalium principum; qui quum a Suaresio scriptus fuerit post diremptas controversias Venetas (censoribus enim oblata est Defensio anno tantum 1612), nequaquam dubitandum est quin in hac ipsa Defensione habeamus quæ olim adversus Venetos ille idem theologus disputaverat; immo illustrata magis et copiosius tractata.

Verumtamen quidni potius periit liber tertius, quo vindicat plura loca Suaresius, quæ editores suorum operum Veneti de suis in censuras disputationibus detraxerant? Nam, ut lector facile intelliget, plura hic occurrunt quæ doctrinæ in ipsa Societate Jesu receptæ non conveniunt. Imprimis P. Claudius Aquaviva, Societatis præpositus generalis, ut (quantum cum Romanorum pontificum gratia posset) suos per oppositos obices averteret ab agitandis controversiis de auctoritate ecclesiastica in imperium civile, die 2 Augusti anni 1614 « in virtute sanctæ obedientiæ commen» davit provincialibus ne in sua provincia » quidquam quacumque occasione aut lin» gua evulgari paterentur a nostris, in quo » de potestate summi pontificis supra reges » et principes ageretur, nisi prius recogni» tum Romæ et probatum sit; » quo nil opportunius fieri potuit, quum optimi etiam catholici de ea re inter se dissideant nec quidquam boni ex hoc disputationum genere oriri posse videatur.

Præterea qui legerit hunc tertium Suaresii de Immunitate ecclesiastica librum, is præ oculis habeat literas, quas mense Julio anni 1852 ad episcopos Poloniæ dedit Gregorius papa XVI, et alias encyclicas, quas XVIII kalendas septembris ejusdem anni idem pontifex destinavit ad omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos, et in quibus leguntur sequentia : « Cum autem circumlatis in vulgus scri» ptis doctrinas quasdam promulgari acce» perimus, quibus debita erga principes » fides atque submissio labefactatur, faces» que perduellionis ubique incenduntur : » cavendum maxime erit ne populi inde » decepti a recti semita abducantur. Ani» mavertant omnes *non esse* juxta apostoli » (ad Rom. XIII, 2) monitum *potestatem* » *nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordi» natæ sunt. Itaque qui resistit potestati,* » *Dei ordinationi resistit; et qui resistunt,* » *ipsi sibi damnationem acquirunt.* Quo» circa et divina et humana jura in eos » clamant, qui turpissimis perduellionis » seditionumque machinationibus a fide in » principes desciscere ipsosque ab imperio » deturbare connituntur. Atque hac plane » ex causa ne tanta se turpitudine fœda» rent veteres christiani, sævientibus licet » persecutionibus, optime tamen eos de » imperatoribus ac de imperii incolumitate » meritos fuisse constat, idque nedum fide » iis, quæ sibi mandabantur religioni non » contraria, accurate prompteque perfi» ciendis, sed et constantia et effuso etiam » in præliis sanguine luculentissime com» probasse; » quæ dein pontifex S. Augustini, S. Mauritii martyris et Tertulliani verbis fusius explicat et confirmat. Neque ab his latum unguem discedendum esse suaderet, nunc Suaresius, neque ipse discederet.

Atque his monitis, superest ut ostendatur opus illud vere Suaresii esse. Jam vero supra ex literis Pauli V intellectum est scriptionem a doctore eximio paratam fuisse adversus Venetorum pertinaciam; præsentem vero lucubrationem hanc eamdem esse ex multis locis colligitur. Lib. II, num. 78 hæc leguntur : « Secundo vero adjungo » legem etiam esse nullam ex defectu » æquitatis, honestatis et communis utili» tatis, in ipsamet materia et dispositione » talis legis invento. Hoc imprimis ostendi » potest ex eo, quod templi Dei ædificatio» nem prohibet; quod de se opponitur di» vino cultui et spirituali utilitati fidelium; » atque ita est alienum a traditione eccle» siæ, ut constat ex dicto cap. *Futuram* » *ecclesiam* 12, quæst. 1 et ex cap. *Boni* » *principis*, dist. 96, et ex aliis multis quæ » de hac re adduximus in tertio tomo de » sacramentis, disp. 81, sect. 1 et 2; » num. vero 106 ejusdem libri, ubi docet denuntiationem excommunicationis sufficienter fieri per promulgationem publicam in loco

ubi quis excommunicatur, sic concludit : » Ut latius tractavimus in tomo V de Censu- » ris, disp. 3, sect. 13 a n. 4 et latius disp. 9, » sect. 2, ubi plures auctores retuli; » et num. 108, ubi adhuc tractat de censurarum publicatione, iterum adhibet hæc verba : « Ut late tradimus in tomo V (de Censuris), » disp. 4, sect. ultima, præsertim in fine, » ubi jura et doctores attulimus; » demum in proœmio libri tertii et per sequentia capita pluribus agit hujus scriptionis auctor de mutilatione qua Veneti editores opus suum de censuris affecerant; jam vero ut nemo alius quam Suaresius hæc omnia scribere potuit, sic quoque ipse hæc circa libros suos de sacramentis et de censuris recte dixit et scripsit, quemadmodum unicuique indicata loca cum impressis tomis conferenti continuo manifestum fiet.

Claudam hæc demum monendo exemplar Barberianum operis, non Suaresii manu, sed coæva exaratum fuisse : utinam innumeris conspurcatum non esset mendis !

LIBER SECUNDUS

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA A VENETIS VIOLATA

ET A PONTIFICE JUSTE AC PRUDENTISSIME DEFENSA.

PROOEMIUM.

1 Nemo credo admirabitur latius nos superiori libro (1) in proponenda ac dicenda ecclesiastica immunitate fuisse spatiatos, cui illud in mentem venerit Basilii : ita abditum et inventu difficilem esse veritatem ut ad eam pervestigandam vel syllabarum apices excutere necesse sit. Et quidem eo consilio plura dixi quam temporis ratio postulabat, etsi pauciora quam causæ dignitas exigebat, ut, ea doctrina) quæ verissima est) constabilita ad caput præsentis controversiæ, inoffenso pede et plana ut ajunt via properarem. Ut tamen causæ status et hujus libri discursu plane et plene intelligatur, ut eximia summi pontificis in infligendis censuris æquitas et judicii integritas innotescat, facti (prout contigit) proponenda est veritas, quæ nec melius nec certius poterit enodari quam si petatur a literis pontificiis, quas D. N. papa Paulus quintus decimo septimo Aprilis præteriti anni expedivit. In iis ergo Venetæ reip. excessus et duplex totius controversiæ ac censurarum præcipuum caput assignatur. Primum quod ex ducis et reipub. imperio duæ ecclesiasticæ personæ, Scipio Saracenus, canonicus Vicentinus, et Brandolinus Valdemarius, abbas monasterii de Nervesa, carceribus occlusi tenebantur. Alterum caput eas civile leges continet quas contra ecclesiæ immunitatem et libertatem ediderunt. Tres præcipue in literis pontificiis referuntur, quas de industria hic non appono, quod plura de his in toto libri discursu sim dicturus. Deinde vere salubres apostolicæ sedis monitiones et contra illas contumaces reip. spiritus referuntur, ac tandem pœnæ ac censuræ a summo pontifice merito latæ continentur. Cum enim paternæ admonitiones nihil proficerent, nec mitia ecclesiæ medicamenta obdurata Venetorum pectora emollirent, accerbiore usus disciplina, ducem et suos in hac re consiliarios et fautores gravissimo excommunicationis vinculo irretivit. Venetam vero urbem ac regiones suo subjectas imperio, supposuit interdicto.

2 Ex hac ergo facti narratione multæ enascuntur difficultates, quas brevitatis causa ad tres reducam, quæ capita sint reliquarum. Prima continet æquitatem quam in infligendis censuris summus pontifex observavit; quæ tota pendet ex censurarum causa. In secunda requiram utrum Veneti vero aliquo aut saltem apparenti titulo excusari queant, quominus pontificiis censuris irretiti teneantur. In tertia explicabitur an censurarum violatione novas incurrerint pœnas aut censuras. Ita ergo tres dubitationes et capita difficultatum attingam breviter in hoc libro; in prima tamen quod relinquarum sit fundamentum aliquanto lentius immorabor; et ante alia quid injuriæ factum illud contra ecclesiasticorum in criminalibus immunitatem continet, eo consilio declarabo, quod res evidens pene sit ex iis quæ præcedenti libro (1) excussimus: expedite itaque tractabitur. Singulas postea leges diligentius examinabo; ac tandem de reliquis nonnihil attingam, semper tamen consulens brevitati. Quia vero Venetiis libelli aliquot perniciosam doctrinam continentes prodiere in lucem, in toto hujus libri discursu quidquid ad nos fuerit delatum, notando errores et falsam et pestilentem doctrinam impugnantes, indicabimus. In quo nullo prorsus humano fine, sed solum Dei gloriam, ecclesiæ defensionem et veritatis notitiam intendentes tantum insudabimus, quantum exigui ingenii vires, divina sufflante gratia, potuerint promovere.

(1) De immunitate ecclesiastica, qui liber hic omissus est, vide Monitum prævium.

CAPUT I.

Possitne sæcularis princeps supremus excusari a gravi culpa, sua auctoritate capiens clericos, et carceri tradens ac detinens, resistente pontifice summo?

3 Si hæc libertatis ecclesiasticæ violatio in solo uno facto unaque violentia constistisset, ægre quidem utcumque tamen tollerari potuisset. Tamen quia id, quod factum est a rep. Veneta, ita ab illa defenditur, ut sibi etiam inde licere dicat, non potuit ullo modo summus pontifex connivere, nec tantum malum, quod in ecclesiam universam invehi incipiebat, permittere. Nam illa resp. usurpare conatur potestatem et jurisdictionem ad judicandum indifferenter (hoc enim est ejusdem reip. verbum) de criminibus ecclesiasticorum et laicorum hoc solo titulo, quod suprema in temporalibus est. Quæ ratio, si ab ecclesiæ capite et gubernatore admitteretur vel permitteretur, omnibus ecclesiæ monarchiis licentiam daret totum ecclesiasticum statum insolenter perturbandi. Hanc igitur fuisse Venetorum mentem ex eorum rationibus, quas hic proponam, aperte constabit. Sumo autem illas ex quibusdam litteris, ab ipso senatu Veneto ad omnes populos sibi subjectos super hoc negotium scriptis, quæ magna ex parte desumptæ videntur ex octo propositionibus, quas occultus ille Theologus, cujus superiori libro mentionem fecimus, in defensionem hujus causæ pro Venetis evulgavit. Referam igitur rationes singulas afferendo verba et fundamenta, quæ potius indicent, quam explicare audeant. Prima ratio est, quia expedit ad quietam et pacificam vitam reip. exsequi indifferenter justitiam in malefactores et perturbatores communitatis et scandalosos homines: ergo est in rep. temporali potestas ad hanc justitiam indifferenter faciendam. Indifferenter autem ajunt, tam in ecclesiasticos quam in laicos; unde ad probationem illationis subjungunt hos perturbatores ac scandalosos homines, ut omnibus notum est, sæpissime inveniri inter religiosos et ecclesiasticos homines, et hac occasione in eos invehuntur, dicentes eorum multitudinem crevisse nimium, ac propterea et propter abundantiam divitiarum et propter otium factos esse insolentes, et in suis moribus nimia uti licentia, pravaque vita exemplum aliis præbere non solum civibus, verum etiam civitatem ipsam perturbantes, vitæ, honori, et fortunis proximorum insidiantes, et alia quæ referre pudet: nimium enim et præter catholicorum morem hæreticos potius imitando hoc exaggerant, ut simplicibus populis persuadeant (quod inferre et concludere intendunt) necessarium esse reipub. temporalem jurisdictionem habere in hujusmodi malefactores, etiamsi clerici sint, ut possit conservari; quia sunt in tanto numero, et tam audaces, et potentes, et liberi, ut aliter coerceri non possint.

4 Secundo, pro fundamento intentionis suæ inveteratam consuetudinem allegant. Sunt autem verba eorum notanda, quæ ad verbum ex vulgari italico transferam: « Etsi (inquiunt) nominentur religiosi et ecclesiastici, a prædecessoribus nostris, qui pie ac catholice rempub. gubernarunt, semper puniti fuerunt, permittentibus hoc omnibus legibus divinis et humanis, ad Dei et ecclesiæ honorem et afflictorum levamen; » et infra subjungunt: » Cum igitur nos per supradictam inveteratam justitiæ consuetudinem possimus et debeamus eamdem consuetudinem retinere, maxime in præsenti tempore contra personas prædictas, et majoribus criminibus assuetas. » Non possumus (tacite subinferunt) juste impediri etiam per pontificem, qui persuasus et ab adulatoribus deceptus, actionem justam et reip. necessariam impedire tentat.

5 Tertio, indicant etiam se habere privilegium, cujus virtute id facere possunt. Et quidem in bulla supradicta sanctiss. D. N. expresse dicitur Venetos hoc fecisse prætextu privilegiorum, quæ a sede apostolica se habere dicebant. At ipsi in illa epistola cum magna cautione loquuntur. Prius enim dicunt consuetudinem illam, a se allegatam, a multis sanctissimis pontificibus per breves et bullas pontificias diversis temporibus semperque fuisse laudatam et approbatam. Itaque non dicunt habuisse privilegium ad introducendam illam, sed illam per se quidem et bonam fuisse, ideoque a pontificibus fuisse laudatam. Et infra conqueruntur de præsenti pontifice, quod suam antiquissimam consuetudinem interrumpere, et nativa privilegia impedire voluerit: ubi attente considerandum est verbum *nativa;* non enim allegant ponti-

ficia privilegia, sed illa quæ veluti intrinseca et connaturalia sunt potestati supremæ temporali, et ideo statim subjungunt, se habere principatum supremum et nemini umquam subjectum, etc.

6 Quarto etiam allegare videntur jus defensionis justæ. Nam privatæ, inquiunt, personæ licitum est repellere injurias sibi allatas : ergo multo magis poterit respublica repellere injurias, quæ suis subditis fiunt; quæ posita est a Deo ad custodiam et defensionem ac protectionem suorum civium; ideoque illi non solum permissa, sed etiam præcepta est, cum ad hoc sit illi data potestas regendi et protegendi talem populum. Vindicta autem et punitio sic delinquentium et perturbantium rempub. solum ordinatur ad injurias repellendas : ergo est licita reipub., nec impediri juste potest quominus illam faciat. Itaque ita concludunt, se non teneri ad obedientiam pontificis contrarium præcipientis, nec ad timendas censuras ob hanc causam latas.

7 Hæ sunt rationes, quibus senatus ille factum suum cohonestare arbitratur; eædemque rationes esse videntur, quas dux illius senatus in quadam epistola ad universos episcopos sui status, italice scripta, in qua easdem manifeste appellat validissimas et insolubiles rationes. Ex iisdem vero liquet sæculares principes, quorum non est dogmata fidei vel sacra jura rimari, aut exacte ac penitus habere perspecta, a falsis prophetis, ad palatum principum loquentibus, esse deceptos. Talis vero fuisse videtur ille innominatus theologus, qui octo illas propositiones in lucem emisit, ex quibus fere omnes hæ rationes desumptæ sunt. Verumtamen tota illa doctrina satis a nobis est in præcedenti libro confutata, et ex ibi dictis facile est demonstrare, rationes has non solum nihil persuadere, sed etiam plenas esse erroribus, sanæ et catholicæ doctrinæ contrariissimis. Interrogo enim a theologis vel doctoribus, qui has rationes excogitarunt : an dux et senatores Veneti teneantur credere obediendum esse sacris canonibus, a summis pontificibus, vel conciliis generalibus rite confirmatis, vel editis, et ab universa ecclesia receptis, necne? Si negent, a vera fide deviant; si vero confirment, evidenter convincuntur futiles esse rationes et excusationes quas afferunt, ac proinde nec a culpa in facto ipso, nec a contumacia in non obediendo pontifici, et consequenter nec a censuris ab eo latis, quantum ad hoc caput, excusari posse. Majorem, quæ dilemma per immediatam contradictionem continet, subterfugere non possunt; sed necesse est ut alterutram partem eligant.

8 Probo vero minorem quoad priorem partem : quia de fide est teneri omnes fideles baptizatos ad obediendum legitimis ecclesiæ pastoribus. Obedite præpositis vestris et subjacite ipsis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, dixit apostolus ad Hebr. 17; nec minus id probant verba ejusdem Pauli ad Rom. 17 (quibus adversarii temere abutuntur) : Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; et ita D. Thomas ibidem utrumque locum conjungit, alterum ex altero declarans. Sicut enim hæc posteriora verba probant secundum fidem Christianos teneri ad obediendum justis civilibus legibus suorumque principum sæcularium; ita etiam probant secundum eamdem fidem teneri omnes christianos ad obediendum justis canonibus suorum legitimorum principum ecclesiasticorum, quorum caput est summus pontifex, sive solus, sive cum generali concilio legem condat. Nam pastores ecclesiæ non minus sunt potestates sublimiores in suo ordine, quam sæculares principes in suo; nec minus sunt constituti a Deo; imo altiori et diviniori modo ac ordine illos suæ ecclesiæ præposuit, dicente Paulo Act. 30 : Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Si autem illi tenentur ad regendum, subditi ad obediendum obligantur; nam hæc correlativa sunt et necessaria ad debitum ordinem. Quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt; atque hoc ipsum convincunt verba Christi dicentis Matt. 16 : Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælo etc.; et c. 18 : Qui ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus; si enim ad Israelitas dixit, Matt. 23 : Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi, quodcumque dixerint vobis facite; a fortiori christianis præcepit, ut obediant pastoribus sedentibus in loco suo; seu vicem ejus gerentibus, sicut ipse etiam dixit : Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit; quod etiam adnotant Chrysost. hom. 7, 3 in Matt. et alii patres his locis; quæ doctrina est adeo nota in ecclesia

Christi, ut eam catholicis probare supervacaneum esse videatur.

9 Non omittam tamen ante oculos ponere tum gravissimam sententiam Gregorii VII, in cap. Si qui sunt dicentis : Peccatum paganitatis incurrit, qui dum christianum se esse asserit sedi apostolicæ obedire contemnit; tum et definitionem fidei Bonifacii VIII in extravag. Unam sanctam tit. de Major. et obed.; cujus verba superiori libro capite ultimo, retuli. Sed fortasse dicent, se quidem credere obediendum esse canonibus sacris, justa tamen præcipientibus. Ego vero non contradico; sed assero ulterius teneri catholicos ad credendum sacros canones, quando sufficienter universæ ecclesiæ proponuntur, ut lati a legitimo concilio vel pontifice, loquente ex cathedra et formaliter vel virtute approbante quod præcipit, justos esse, et errorem in moribus non continere, præsertim postquam totius ecclesiæ consensu et approbatione recepti sunt. Hoc sentiunt catholici omnes scriptores in discursu libri superioris allegati, idque late demonstrant, præsertim illi qui de potestate papæ nostris temporibus scripserunt, ut sunt Waldensis, Bellarminus Victorinus, Cano, Valentia, Sanderus et alii innumeri; qui omnes docent pontificem ita non posse errare in moribus, sicut non potest errare in rebus fidei, quando utrasque universæ ecclesiæ auctoritate sua proponit. Unde Nicolaus papa in cap. 1, dist. 19, simul hæc conjungit : Quæ pro catholica fide et sanis dogmatibus, et quæ pro variis ecclesiæ necessitatibus et fidelium moribus diverso tempore scripsit apostolica sedes; de quibus subjungit omni debere honore præferri, et ab omnibus prorsus reverenter assumi. Et ad hunc modum loquuntur alia decreta, quæ supervacaneum est referre. Ratio vero est evidens, quia non minus est necessaria ecclesiæ honestas morum quam fidei integritas; æque ergo indiget ad utrumque vere certa et infallibili regula. Item sicut ex variis opinionibus circa credenda potest scindi ecclesia, ita etiam turbari potest ex variissimis judiciis circa mores; ergo ad unitatem ecclesiæ conservandam æque necessarium est, ut sit aliqua bona et certa regula obvia utrorumque judiciorum; quæ non est nisi summi pontificis dignitas vel per se vel cum generali concilio. Quocirca licet in usu præceptorum eorumque observatione possit esse in ecclesia varietas vel defectus particularis, tamen in judicio de ipsis præceptis et legibus canonicis, per universam ecclesiam approbatis, omnes sentire videntur non continere injustitiam nec iniquitatem, et esse factas ex legitima potestate; neque in hoc potest esse dissensio inter eos, qui de fide vera recte sentiunt : alias orientur schismata, et obedientia ecclesiastica prorsus evertetur et omnia confundentur.

10 Hoc vero loco necessarium est animadvertere theologum illum innominatum in 6 et 8 propositione varios miscuisse errores, huic doctrinæ ac veritati repugnantes, quibus facile decipi possunt vel simpliciores, vel qui hujusmodi doctrinis, quibus humana potestas vel status augeri videtur, aures, libenter porrigunt. Primo ergo verbum illud, quod in 6 propositione posuit, *nè per canone ricevuto*, id est nec per legem canonicam receptam, et in facto falsitatem, et in jure gravem errorem continet. Docet enim habere rempublicam Venetam jurisdictionem in clericos ad puniendos illos propter delicta eorum, quia nec se privavit voluntarie tali potestate, nec potuit privari per canones, non quod illi non sint, sed quia illos non acceptavit. Quæ doctrina, præterquam quod facto ipso evidentem falsitatem contineat, ut infra ostendam, perniciosissima est et scandalosa, ac plane erronea, nam inde sequitur canones in hac materia disponentes, ex se non habere vim ad obligandum fideles principes; sed esse in potestate eorum vel acceptare, vel repudiare illos; ac subinde vel non esse leges, quia non habent obligandi vim; vel esse injustas, cum expresse præcipiant et cogant per censuras ad aliquid, ad quod alii obligari non possunt, nisi velint cedere juri suo. Atque hic error fundatur in alio quem in eadem propositione indicat : scilicet potestatem Venetorum non recognoscere superiorem in temporalibus, solo Deo excepto. Nam licet hoc posset habere bonum sensum, si intelligeretur de sola subjectione seu ad superiorem habentem directam jurisdictionem in temporalibus; (admittimus enim hoc modo rempubl. illam non habere superiorem in temporalibus;) tamen in hoc sensu non deserviisset intentioni illius theologi, ut constat; et ideo mens ejus fuisse videtur Venetam rempubl. nullo modo recognoscere superiorem in temporalibus extra Deum, nec directe, nec indirecte.

Nam si ille admitteret saltem indirecte submitti debere alteri potestati creatæ, etiam in temporalibus, quando in spiritualibus ratio id postulat, non inde inferret habere nunc Venetos potestatem jurisdictionis in clericos criminosos, aut potuisse privari per canones, quos ipsa respublica pro suo arbitratu non acceptaret. Nam ut oppositum verum sit, satis est quod subjiciatur in temporalibus saltem indirecte supremæ potestati ecclesiæ.

11 Alius vero error valde perniciosus in illa propositione contentus est, nullum principem sæcularem agere contra legem aliquam carcerando clericum, vel illum puniendo; id enim affirmat de republica Veneta, quæ non est in hoc majoris prærogativæ quam sint omnes reges et principes christiani supremi in temporalibus. Nullus ergo illorum peccaret contra leges extendendo manus in clericos prætextu jurisdictionis temporalis : ergo canones sacri non sunt leges, nec principes christiani illis parere tenentur. Nam quod sacri canones illam actionem prohibeant, satis superque in superiori libro demonstratum est, et statim paucis ostendetur. Denique doctrina illa redolet multum errores Joannis Wicleffi et Joannis Hus, qui dixerunt totam dignitatem et potestatem pontificiam, esse solum ab imperatore; qui damnati sunt in concilio Constantinensi. Item sapit doctrinam Marsilii Patavini, qui dixit imperatorem habere potestatem in pontificem; et ipsum pontificem non habere potestatem in imperatorem, nisi quatenus imperator illam concessit; qui sicut eam dedit, ita etiam revocare potest, quæ est doctrina damnata a Joanne XXII, ut Turrecr. et alii referunt. Tandem ex illa doctrina absolute sequitur personas ecclesiasticas non esse exemptas a jurisdictione principum laicorum; nam si principes sine ullo peccato et sine usurpatione jurisdictionis illos punire possunt in casibus gravibus, arbitrio eorum determinandis, quæ superest exemptio? Illa autem propositio jure ac merito damnabilis est ut hæretica, sicut in superioribus dixi et omnia adducta probant.

12 Neque illi auctori quicquam juvat, quod in eadem 6 propositione subjungit, liberum esse unicuique christiano sequi opinionem probabilem, etiamsi unius tantum auctoris sit, dummodo sit catholica. Nam licet admittamus hoc principium, ex illo condemnatur ejus auctoris doctrina; nam illa quoad has assertiones, quas proxime damnavimus, probabilis non est, nec patronum habet catholicum theologum, vel juristam, qui intra catholicam ecclesiam et revelata facie dicere ausus sit, non esse peccatum laico judici aut principi incarcerare et punire clericum sua auctoritate et potestate in quocumque gravi crimine, vel prout ei placuerit, vel clericos aut religiosos non esse ita exemptos, quin possint principes sæculares licite quando voluerint in illos manus extendere; quod satis ex discursu superioris libri intelligi possit; deberetque ille theologus auctorem catholicum et probatum prodere, cujus auctoritate in his assertionibus niteretur, ut eas faceret probabiles; Navar. enim, Covar. et Sot., quorum auctoritati se multum tribuere profitetur, nec alii, quos in suis propositionibus allegat, similia facta alicubi proferunt, nec talem doctrinam probabilem esse dixerunt. Ipse igitur solum ex eo, quod multi auctores probabiliter negant hanc exemptionem clericorum esse de jure divino, inferre conatur reliquam doctrinam moralem, quam ipse ex suo capite infert, esse probabilem : in quo valde deceptus est; quia veritas moralis practica et catholica, quam modo defendimus, videlicet peccare laicum principem usurpando jurisdictionem in clericum criminosum, vel (quod perinde est) clericos esse exemptos a jurisdictione temporali laicorum etiam suprema, non nititur in illo principio, prout ab illo intelligitur de actuali exemptione omnium clericorum; sed firmius fundamentum habet, nimirum sacros canones qui circa hoc disponunt esse leges justas et servandas ab omnibus fidelibus, etiam a supremis principibus temporalibus. Quod principium non est sub opinione inter catholicos, sed certum ac indubitatum est, et ex illo evidenter efferuntur propositiones illæ et damnantur contrariæ, ut satis demonstratum est.

13 Quocirca maxime considerandum est, esse posse sub opinione utrinque probabili an aliquid liceat nec ne, stando in solo jure divino, quod interveniente jure ecclesiastico sit de fide certissimum simpliciter non licere, saltem ex vi ecclesiastici juris, ut v. g. ante concilium Trident. erat sub opinione, an is qui habet conscientiam peccati mortiferi, et vult Eucharistiam reci-

pere, teneatur præmittere confessionem ex vi juris divini, vel sufficiat conteri? Demus ergo fuisse tunc probabilem opinionem, quæ negabat esse talem obligationem, (exemplorum non requiritur veritas), nihilominus interveniente tali præcepto ecclesiæ, ut in eo casu præmittatur confessio si fieri possit, hæreticum esset dicere non obstante tali præcepto posse aliquem sine novo peccato accedere ad Eucharistiam cum conscientia commissi criminis, non præmissa exomologesi, etiamsi possit. Nam qui hoc asserit, eo ipso affirmat præceptum illud ecclesiæ non obligare in conscientia; quod dicere hæreticum est. Unde, esto semper sub opinione maneat an illud peccatum sit contra jus divinum immediate necne, tamen quod sit peccatum, et quod saltem mediate jam repugnet juri divino, præcipienti obedire præpositis ecclesiæ, non manet sub opinione, sed de fide certum est. Ita ergo est in præsenti. Nam esto sit probabile, stando in solo divino jure, non peccare regem temporalem castigando clericum; nihilominus, supposita lege canonica, absolute asserere hoc non esse peccatum, contra fidem est. Hæc autem est illius occulti theologi assertio. Adde, licet uno tempore aliqua opinio probabilis sit, interveniente pontificis præcepto vel auctoritate illam prohibente, fieri illam practice improbabilem; ut apud catholicos manifestum est, et in materia de fide et auctoritate papæ quoad clavim, jam tractatum est.

14 Tandem ex dictis etiam perspicuum esse arbitror non satis habuisse perspectam præsentem controversiam, vel illam voluisse callide occultare theologum illum, cum in propositione 8 dixit: Unde aliqui decipiuntur, existimantes controversiam hanc esse de fide, cum solum sit de moribus; et subjungit intolerabilem errorem dicens: Et si aliquid est in sacra scriptura expressum, quod posset facere fidei certitudinem, est opinio Serenissimæ Reipub., quia expresse (ait) Paulus docet: nam quod ad priorem partem attinet non est putandum doctrinam fidei ita distingui a doctrina morum, ut hæc etiam ad fidem non pertineat; fides enim non consistit in cognitione speculativa tantum (ut sic dicam), sed etiam in agendis nos illuminat et instruit. Quapropter non minus incurritur hæresis negando principia moralia fidei, quam negando speculativa dogmata, imo regulariter solent homines, præsertim his temporibus, contemnentes bonos mores et ecclesiæ non obediendo, circa fidem naufragari. Controversia enim an usura illicita, vel an fornicatio sit jure natura prohibita de moribus est; tamen jam ad fidei dogmata revocatur. Ita ergo in præsenti, licet principium controversiæ fuerit de moribus, tamen jam ad fidei dogmata revocatur, videlicet an sit peccatum in tali materia non servare leges canonicas, et an summus pontifex habeat potestatem reservandi sibi causas clericorum, et alia similia quæ in sequentibus capitibus attingemus. Oportet ergo ut Veneti senatores attente considerent, ita esse quæstionem hanc de moribus, ut fidei doctrinam attingat, et se in evidenti periculo versari errandi in christiana fide, si talibus doctoribus humanam fidem adhibeant; sufficiensque hujus veritatis argumentum est, quod doctor ille in posteriori parte suæ sententiæ adjungit Paulum expresse docere opinionem, qua ipse vel quispiam similis senatui persuasit, quod non sit peccatum ecclesiasticam jurisdictionem usurpare et immunitatem violare, cum tamen hoc hæreticum sit. Est enim hæreticorum mos uti errores suos in scripturis contineri profiteantur; valde autem ridiculum est in verbis Pauli errorem illum fundare, ut superiori libro capite 2 evidenter, ut arbitror, ostendi: ubi hujus novi expositoris ignorationem detegimus. Nam Paulus docet unumquemque debere suo superiori obedire; sed non ait jus naturale præscribere ut omnes cives sint subjecti magistratibus civilibus, ut ibi latius explicatum est.

15 Satis ergo, ut existimo, ostensum est non posse absque errore in fide quempiam opinari non teneri Venetos ad credendum se esse obligatos ad tenendum ecclesiasticas sanctiones et leges ecclesiæ universæ, legitime propositas. Quod si (ut ostensum est) dux et senatus Veneti vere profitentur firmiter retinere dogmata fidei, etiam quæ ad mores pertinent et quæ docent obediendum esse ecclesiæ pastoribus et legibus eorum; statim, ut credo, sine difficultate intelligent excusationes omnes, quæ afferunt ad honestandum factum illud, in eo cum contumacia contra jussa pontificia persistendo, vana esse. Quod ostendemus aperte, discurrendo per singulas rationes suprapositas, revocando prius in memoriam nonnulla ex decretis canonicis, ex quibus talia

decreta damnantur. Unum est generale in cap. 2, de for. compet. : Nullus judicum neque presbyterum, neque diaconum etc., per se distringere, neque condemnare præsumat. Quod si fecerit, ab ecclesia Dei, cui injuriam irrogare dignoscitur, tam diu sit sequestratus, quousque reatum suum cognoscens emendet. Estque hoc decretum concilii Parisiensis approbati per pontifices. Aliud est in cap. Clerici, de judiciis : Cum imperator dicat quod leges non dedignantur sacros canones imitari; in quibus generaliter traditur, ut de omni crimine clericus debeat coram ecclesiastico judice conveniri. Non debet in hac parte, canonibus ex aliqua consuetudine præjudicium generari, estque hic canon Lucii III pontificis. Præterea in capite Cum non ab homine, de judiciis, expresse proponitur quæstio, utrum liceat regi vel alicui sæculari personæ judicare clericos cujuscumque ordinis sive in furto, sive in homicidio, sive quibuscumque fuerint criminibus deprehensi. Responsio autem est, non licere donec per proprium prælatum et potestati sæculari tradatur. Estque illa definitio Cælestini III pontificis. Quam ita confirmat Innocentius III, in c. Ut famæ, de Sent. excom., ut hæc verba adjungat : Laici vero citra excommunicationis sententiam capere clericos, et ad judicium tradere possunt, si oporteat, etiam violenter, dum tamen id mandato faciant prælatorum; et infra hæc adjungit verba : Dum tamen non amplius eorum violentia se extendat quam defensio et rebellio exigit clericorum. Et similia sunt sexcenta in jure. Qui ergo crediderit hos canones esse legitimas leges et obligare per se loquendo fideles omnes, dubitare non potest quin etiam obligent Venetos, et consequenter graviter peccasse illos violando; videamus tamen quales sint excusationes quas allegant.

16 Prima sumebatur ab utili; quia ita expedit reip. Atque hoc duobus modis accipi potest. Primo quod expediat reipub. omnia crimina indifferenter, idest sine exceptione personarum, vindicare, tam in ecclesiasticis quam in laicis. Secundo quod expediat potestatem ad hanc vindictam faciendam esse indifferenter et generaliter in laicis, et quasi ex priori necessitate posteriorem potestatem inferendo. Prior sensus est verissimus et certissimus; sed ex illo non infertur secundus qui est intentus. Nam eo quod aliquid expedit alicui, hoc est, illi est utile vel commodum, non recte colligitur potestatem illud faciendi sua auctoritate ei convenire. Nam etiam expedit reipub. habere divitias et potentiam, et tamen non ideo licet rapere aliena, ut illas habeat; et unicuique privato expedit recuperare res suas, quas alter possidet, et non licet illi auctoritate sua accipere; et unicuique expedit, ut injuria sibi facta vindicetur et castigetur, et tamen non propterea licet unicuique vindictam sumere sua auctoritate. Ita ergo in præsenti licet reip. expediat puniri crimina etiam ecclesiasticorum, non inde sequitur esse in laicis potestatem ad vindicanda illa, nisi ex alio principio ostendatur et probetur. Si autem propositio sumatur in secundo sensu, ad hanc possumus negare illationem; quia esto id expediret reip. temporali, non expediret spirituali, cujus major ratio habenda est, utpote dignioris ex suo genere et statu : et ad divinum cultum propinquius destinatæ quam temporalis.

17 Secundo vero negatur assumptum in sensu prædicto. Dicimus enim ipsimet reipub. temporali, vel certe toti reipub. ut compositæ ex utroque statu non expedire ut laici habeant potestatem et jurisdictionem in clericos quoad criminalia. Primo quia quod non expedit ad divinum cultum, simpliciter non expedit reipublicæ, nisi quis, veritate evangelica relicta, cum novis politicis potius sentiat quam cum Paulo dicente : Omnia in gloriam Dei facite 1, Corint. 10. Quod autem ad divinum cultum magis expediat clericos habere sui ordinis judices reservatos, in superiori libro cap. 4, satis, ut existimo, ostensum est. Deinde adversarii intendunt omnino confundere jurisdictionem, aut auferre penitus distinctionem fori in criminalibus, totamque jurisdictionem revocare ad laicos, vel intendunt saltem expedire in gravioribus et extraordinariissimis occasionibus, ut laici magistratus hanc habeant potestatem suo arbitrio diffiniendam. Utrumque autem infinitam pareret confusionem in quacumque repub. Christiana; non ergo illi expedit. Minor applicata ad priorem sensum, adeo est evidens ut persuaderi non possem illam esse senatus Veneti mentem aut intentionem; nam procul dubio, si clerici passim ad criminalia tribunalia laicorum traherentur, vilescerent et pro nihilo haberentur, et inde laici majorem peccandi licentiam ma-

jusque scandalum acciperent, et ex parte clericorum infinitæ essent quærelæ, eo quod laicos sibi infestos et suspectos habeant; ac denique vel illud esset denuo introducendum in universam ecclesiam, vel reipub. Venetorum specialiter permittendum. Quis autem non videat quanta incommoda et absurda ex quolibet dictorum membrorum sequantur? Jam vero probatur minor propositio in alio sensu intellecta : quia ex illa sententia laicorum pro gravibus casibus eorum judicio determinandis sequerentur quotidianæ contentiones et lites ac dissensiones, quæ multo magis perturbarent rempubl., quam quod unum vel aliud grave delictum clerici minus severe puniatur; itaque si jurisdictiones illo modo perturbentur ac confundantur, augentur lites, multiplicantur peccata et inimicitiæ ac odia immensum crescunt. Exemplo potest hoc facile intelligi; nam reipub. temporali expedit, ut laicorum civium crimina impunita non maneant; et tamen si contingat criminosum limites regni egredi et in aliud sese recipere, non expedit, ut alius princeps possit sua auctoritate ingredi regnum alterius, ut suum criminosum civem comprehendat et puniat; quia hoc magis regna perturbaret : et potius permittendum est, ut aliquod crimen impunitum maneat, quam ut jurisdictiones confundantur, quia illud minus malum est : ita ergo est in præsenti.

18 Eo vel maxime quod, si veritas etiam ad factum pertinens sincere et sine exaggerationibus tractetur, ordinaria et (ut ita dicam) humana crimina clericorum satis convenienter possunt per ecclesiasticos judices puniri : graviora autem crimina præsertim publica et perturbantia remp. rariora sunt quam adversarii in ratione sua exaggerant, (ut apparet) ad populum indignandum et in suam sententiam trahendum. Et pro illis casibus jus ipsum pontificium providet, quo modo ecclesiastici judices uti debeant auxilio brachii sæcularis; et quando inferiores prælati in hoc essent negligentes, facile possent catholici principes superiores prælatos commonere, vel, cum opus est, ad summum pontificem accedere, ut tali malo provideat. Quod si hic ordo convenienter servetur, raro evenire potest ut delictum clerici, vergens in commune reipub. detrimentum vel publicum scandalum impunitum, vel absque convenienti remedio relinquatur, et præsertim in regno, quod tam facilem habet accessum ad Romanam sedem, sicut habet Veneta respub.; ac denique, licet in uno vel alio casu aliquid incommodi pateretur respub., minus malum id esset, quam usurpare jurisdictionem ordinariam, vel (ut ita dicam) quasi in habitu illam retinendo, ut possint eam in actum reducere pro suo arbitrio. Nam fieri non potest, quin ex hoc gravissima incommoda, et perturbationes sequantur, etiam cum scandalo totius orbis christiani, ut in præsenti casu experimento cognitum est.

19 In secunda ratione quæ ex consuetudine sumitur : inprimis magna reprehensione digna sunt illa verba : Et his, licet nominentur religiosi et ecclesiastici; quasi nomine tantum, et non re fateantur illos esse religiosos et ecclesiasticos; ac si esse desinerent veri religiosi et clerici propter crimina, sicut Joannes Hus et Wicleffus dixerunt papam et prælatos malos æquivoce dici papam vel prælatos, id est nomine tantum. Sed permittamus verba illa solum esse dicta per exaggerationem, certumque sit, non obstante crimine, clericum et religiosum in suo statu permanere. Tunc ut clericus malus suo privilegio gaudeat quamdiu per ipsam ecclesiam illo non privatur, satis est, quod talem statum seu characterem vel professionem vere retineat. Jam vero de contraria consuetudine in illa ratione attinguntur unum de facto, aliud de jure, tertium de jure retinendi et defendendi illam. Ut autem a secundo incipiam, quod est fundamentum totius lapsus, dicit consuetudinem, quam se habere profitentur, judicandi clericos sæculari potestate, esse permissam per omnes leges divinas et humanas. At certe de humanis hoc falsum est; nam leges canonicæ evidenter reprobant, non solum factum, sed etiam consuetudinem expresse, ut in hoc capite allegatum est, et fusius in libro præcedenti cap. 12; vel ergo non agnoscunt canones ut leges humanas, vel falsum est quod aperte assumunt. Et præterea, suppositis legibus canonicis, etiam divinæ leges non permittunt talem consuetudinem, quia præcipiunt christianis omnibus obedire præpositis suis. Adde etiam ex parte civilium legum non esse verum omnes leges humanas illam permittere consuetudinem, ut supra satis ostensum est.

20 Jam vero quod ad factum spectat, nimirum in provincia Veneta esse hanc intemeratam consuetudinem puniendi clericos indifferenter ac laicos per potestates sæculares (hanc enim potestatem se habere profitentur in eadem epistola), de hac (inquam) facti assuefactionem mihi sane incredibile est veritati esse subnixam. Quia si hæc est tam generalis et antiqua illius provinciæ consuetudo, vel hæc erat nota Romanis pontificibus, vel erat ignota. Quod hactenus fuerit ignorata, verisimiliter dici aut credi non potest. Quid enim credibile est, ut tam parva locorum distantia in tam diuturna temporum duratione, vigilantibus pontificibus et legatis illorum, ac libertatem ecclesiasticam in rebus multo minoris momenti acriter tuentibus, et contra violatores ejus frequentes censuras fulminantibus, hanc solam Venetorum singularem et insolitam consuetudinem ignoraverint? Addo obiter, quod ad causam multum refert si pontifices summi illam consuetudinem ignorarunt, nil posse Venetis prodesse, etiamsi vera esset, ut ratione illius jus aliquod vel potestatem in ecclesiasticas personas præscripserint. Nam illa consuetudo sua vi et efficacitate nullum jus vel potestatem illis conferre potuit, cum sacri canones, qui fortiores sunt, illi semper restiterint eamque reprobaverint. Unde numquam potuerunt bona fide aliquid contra illam operari; cum mala autem fide numquam præscribere potuerunt, eo vel maxime quod consuetudo numquam sua vi dat jurisdictionem præsertim laicis contra ecclesiasticos; sed ad summum potest tacitam voluntatem pontificis indicare : quamdiu autem dicitur pontifex illam consuetudinem ignorasse, non potest dici quod expresse vel tacite in illud factum vel consuetudinem consenserit : ergo nihil prodesse potest ad factum illud cohonestandum.

21 Quod si dicatur Romanos pontifices non latuisse illam consuetudinem, sed (quod justa esset) illam tolerasse, neque id sane plus probabilitatis habet. Nam si hæc consuetudo Romæ prius nota et tolerata fuit, quomodo præsens factum tam novum et insolitum apparuit? Item cum antiqua consuetudine receptum sit, ut singulis annis pontifices hujusmodi facta vel consuetudines publico edicto ac bulla Cœnæ gravissimis censuris prohibeant ac reprobent, et in omnibus catholicis regnis similia fieri non permittant, quomodo credi potest in sola republica Veneta talem consuetudinem sibi cognitam tolerasse? Præterea doctores, de hac materia scribentes, cum de his consuetudinibus disputant, non omittunt etiam leves consuetudines in aliis regnis inventas, ut in Gallia, in Anglia, etc. commemorare : ut videre licet in Navarro, Covar. et aliis. Nullus autem est qui de tali Venetorum consuetudine mentionem fecerit : solusque Gygas, quem ego legerim, in tract. de crimin. læsæ majestat. p. 2, q. 5, refert Venetos habere a sede apostolica privilegium ad judicandum clericos in quibusdam criminibus. In quo potius supponit non habere talem generalem consuetudinem ad judicandum clericos indifferenter ac laicos, ac si quam habent, vel aliquando habuerunt, fuisse limitatam, ac non in vi consuetudinis, sed ex pontificiis privilegiis vires habuisse.

22 Illud vero, quod in tertio loco in eadem ratione addidimus et ex iisdem litteris decerpsimus, omnino intolerabile, et plane in ecclesia catholica scandalosum est. Ajunt enim non solum posse, sed etiam velle et debere per supradictam inveteratam justitiæ consuetudinem, eamdem consuetudinem retinere. Intelligunt autem posse jure ac licite, etiam prohibente ac repugnante pontifice, qui ignoranter (ajunt) et ab adulatoribus deceptus, illam consuetudinem interrumpere ac revocare ausus est; sentiunt igitur non posse pontificem, etiamsi maxime velit, vel talem consuetudinem impedire, ne fiat, si introduci incipiat, nec introductam, aut exsistentem abrogare, ac reprobare; imo nec illam particularem causam illarum duarum personarum ecclesiasticarum, quæ occasionem huic dissidio dedit, ad se advocare, et de manu sæcularium auferre. At hæc omnia sunt plane erronea et supponunt vel incredulitatem aliquam, vel certe magnam ignorantiam pontificiæ dignitatis ac potestatis. Certissimum ergo esse debet veris catholicis, quidquid sit de præterita consuetudine, et illa non obstante, posse inprimis pontificem cognitionem causæ illarum personarum ecclesiasticarum in particulari vel sibi reservare, vel cui voluerit illam committere et ipsam rempublicam omni jurisdictione privare circa talem causam, etiamsi per impossibile illam antea haberet. Ratio est quia illæ personæ ecclesiasticæ directe et per se summo pontifici subjectæ,

sunt quoad omnia tam spiritualia quam temporalia, civilia vel criminalia; et ideo in pontifice semper est suprema potestas ad judicandum in illis. Nam contra papam in his, quæ ad ejus supremam potestatem pertinent, non præscribitur, ut recte dixit glossa in 6 cum notis, de præscriptione approbata et commendata, ibi num. 1 et 12, et in cap. indiligenti, num. 11, eodem titulo. Quod etiam docuit Innocentius in cap. Bonæ memoriæ 2 de pastor. prælatis num. 1; cujus verba sunt valde notanda; optimam enim rationem continent. Quia papa, inquit, circa spiritualem potestatem omnia potest, et plenitudinem potestatis habet, nullus potest quærere possessionem quæ ei præjudicet, cum illam habeat a Domino tantum. Potestas autem illa spiritualis indirecte extenditur etiam ad temporalia, ut diximus; et hoc modo tota illa suprema jurisdictio de jure divino existit, et ideo nec auferri nec limitari potest per hominem vel humanam consuetudinem. Quod si fortasse dicant pontificiam potestatem ad hunc actum non extendi, non oportet ut allegent consuetudinem, sed apparere fateantur supremam spiritualem pontificis potestatem indirecte extendi ad hæc temporalia, etiamsi cum rebus aut personis ecclesiasticis connexa sint. Quæ tamen doctrina damnata est, et reprobata ab omnibus catholicis, quia totum ecclesiæ ordinem et regimen perturbat, et sacros canones maxima ex parte evertit, ut in fine libri præcedentis ostensum est. Quapropter eadem ratione certum est potuisse ecclesiam per sacros canones similem exceptionem facere, et consuetudinem contrariam reprobare, ut satis etiam in præcedenti libro probatum est. Ac denique pari certitudine concluditur, etiamsi per injuriam talis consuetudo introducta fuisset, potuisse nunc pontificem illam rumpere, et interdicere, ac reprobare, quia potestas semper est eadem, et numquam minuitur, ut declaratum est.

23 Ad tertiam rationem, quæ partim eamdem consuetudinem inculcat, partim privilegiorum mentionem facit, dicimus in primis fieri non posse, ut pontifices per brevia seu bullas suas approbaverint consuetudinem laicorum judicandi clericos in criminalibus in virtute suæ jurisdictionis et potestatis sæcularis. Nam quod omnes canones detestantur et ipsi pontifices quotannis anathematizant, non poterat per eosdem pontifices approbari; qui licet personis differant, in his vero quæ ad ecclesiæ statum necessaria sunt, uno ore et spiritu loquuntur. Nec Veneti umquam ostendere possunt talem pontificum scriptam approbationem. Fieri autem potuit, ut aliquando pontifices, justa ex causa, pro re nata seu occasione, aliquod peculiare privilegium reipublicæ Venetorum concesserint, quod se vidisse Gigas testatur; et incredibile esse non affirmamus; tamen si hoc ita est et illud habent, dicant aperte et non asserant pontifices approbare consuetudinem usurpandi potestatem indifferenter tam in ecclesiasticos quam in laicos; sed fortasse jam non audent pontificium privilegium allegare, ne hoc ipsi confiteri videantur (quod verum est) se ex se illam potestatem non habere, nec majorem quam per privilegium concessa sit; item ne cogantur fateri posse tale privilegium a pontifice revocari; quod verissimum etiam esse supra ostensum est, imo etiam de facto talia privilegia revocata esse. Ac denique, si tantum privilegio pontificio niterentur, etiamsi nunc suum valorem retineret, posset a præsenti pontifice revocari, et simpliciter et pro particulari causa quæ tractatur, ex illo certissimo principio, quod pontificia sedes numquam privatur sua suprema potestate, adeo ut per nullius hominis sive pontificis voluntatem possit a dignitate separari, vel quasi abdicari, vel in totum vel in partem, quia est contra divinum jus et Christi institutiones. Hac ergo ratione licet fortasse in principio de privilegio apostolico locuti fuerint Veneti, postea, tacito nomine privilegii, pontificias approbationes invocarunt pro laudatione suæ consuetudinis, quod sine dubio ostendere non possunt; imo (ut ego opinor) nec talem consuetudinem hactenus fuisse probare umquam poterunt, quamquam, ut dixi, hoc illos juvare non possit.

24 Tandem allegant in tertia ratione, se habere privilegia nativa ad similia facta perpetranda, quæ privilegia per pontificem impediri non possunt; sed quæ vocant, quæso, nativa privilegia? ipsi enim non declarant, nec ego aliud cogitare potui quam supremam illam potestatem, secundum quam superiorem in terris non recognoscant, ut in iisdem litteris paulo ante dixerunt. At enim privilegium vel libertas hujus potestatis, si in christiano principe

sit, non est tanta ut potestati Petri non subdatur, etiam in temporalibus in ordine ad spiritualia, ut satis jam explicatum est. Quod autem punitio clericorum, pro ipsorum criminibus, sit ex his rebus temporalibus, quæ spiritualia multum concernunt, et ad ecclesiasticum ornamentum et regimen multum pertinent, et per se evidentissimum est, et in superioribus satis est probatum. Et quando in hoc aliqua posset esse controversia vel dubium oriri, judicium illius ad ipsum summum pontificem pertinet. Hæc igitur nativa privilegia nullam legitimam excusationem afferunt, nec facultatem præbere possunt ad resistendum mandatis pontificiis in re tam clara.

25 Tandem ultima excusatio justæ defensionis, quæ in quarta ratione adducitur, nullius momenti est. Nam aliud est illatam vim actu etiam repellere cum infertur, aliud vero est vim seu injuriam illatam vindicare puniendo malefactorem. Primum licitum est unicuique, jure naturæ, quando aliter non potest propulsare injuriam. Et similiter licitum erit laico vim, a clerico illatam, vi repellere; et non solum hoc licet unicuique quoad vim sibi illatam, sed etiam ratione proximi. Quod si hoc licet privatæ personæ, multo magis licebit potestati publicæ, si casus eveniat in quo inveniat clericum, actu inferentem vim et injuriam proximo suo : poterit enim impedire illum etiam per vim, quæ ad justam defensionem necessaria sit; sed hoc extra præsentem considerationem est : nam illa defensio non est actus jurisdictionis, sed naturalis facultas se conservandi et tuendi proximum. Agimus ergo de secundo, id est de vindicta malefactorum; quæ, mutato nomine, ad usurpandam illam defensio reipublicæ nominatur, quia revera continet quamdam tuitionem et defensionem reip., non proprie repellendo vim, sed per timorem pœnæ præveniendo ne fiat. Hic ergo modus defensionis non est omnibus commissus, sed unicuique magistratui in subditos suos, civili in cives laicos, prælato ecclesiæ in clericos. Quod si Veneti intelligunt non satis provisum esse suæ reip. per ecclesiasticos judices quoad hanc defensionem, causas et rationes suas coram pontifice proponant ut illi malo provideat. Nam quæ a Deo sunt, ordinata sunt. Quid enim si populares Veneti conquerantur, se per violentiam et injuriam multa pati a nobilibus et a suis judicibus non satis defendi, numquid propterea usurpare illis licebit jurisdictionem ad se vindicandum, et hoc titulo rempub. perturbare? Simile ergo est in præsenti, quia non majorem potestatem habent in clericos sæculares magistratus, quam habent privati cives in cives suos, ut ex certis principiis in superioribus ostensum est. Ergo factum hoc nullo modo colorato titulo honestari potest; nec quoad hoc caput possunt dux et senatus Veneti contumaciam suam probabiliter excusare.

CAPUT II.

An lex civilis disponens circa bona emphyteutica ecclesiastica et clericorum, ut in nullo eventu possit dominium utile cum directo in ipsis ecclesiis vel personis ecclesiasticis consolidari, injusta sit et directe ac formaliter contra ecclesiasticam libertatem.

26 Incipimus expendere secundum principale caput hujus dissidii, quod in offensione ecclesiasticæ libertatis per quasdam leges civiles, a Venetis editas contra ecclesiastica jura, positum est. Tres autem hujusmodi leges in dicta pontificia bulla numerantur; quarum prima est quam in titulo hujus capitis proposuimus, quæ hisce verbis a sanctis. D. N. Paulo V refertur, et inter cætera sub die 25 Maji anni 1602, ibi sumpta occasione ex quadam lite seu controversia, inter doctores Franciscum Zabarellam ex una et monachos monasterii de Praglia nuncupatos ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinen. alias S. Justinæ de Padua in diœcesi Paduana ex altera partibus vertente, in eorum consilio statuisse non solum ut dicti monachi tunc aut deinceps ullo umquam tempore actionem, per quam sub quovis titulo aut colore in bonis ecclesiasticis emphyteuticis a laicis possessis præferrentur, prætendere, ac etiam jure prælationis seu consolidationis directi cum utili dominio, aut extinctionis lineæ in primis investituris comprehensæ, aut alia quavis causa bonorum prædictorum proprietatem sibi vindicare minime possent, sed tantummodo jus directi dominii illis præservatum esset; verum

etiam ut id ipsum quoad cæteras omnes personas ecclesiasticas sæculares et regulares, monasteria monialium, hospitalia et alia loco pia, in eorum temporali dominio existentia, declaratum et firmiter deliberatum censeretur.

27 Ut autem injustitia vel justitia hujus legis intelligatur, oportet breviter exponere materiam et effectum ejus. Materia sunt plane bona emphyteutica ecclesiastica, quatenus ad ecclesiasticas personas vel communitates pertinent. Hoc constat ex verbis illius dicti : Monachi ect. Et Infra : in bonis ecclesiasticis emphyteuticis ect? Et infra : Id ipsum quoad certas personas ecclesiasticas etc. Materia ergo propria, circa quam hæc lex versatur, ecclesiastica est. Dicuntur autem bona emphyteutica ecclesiastica quædam bona immobilia, quæ aliquando fuerunt sub absoluto et totali dominio ecclesiæ; ipsa vero per emphyteusim seu contractum emphyteuticum ipsa dedit alteri (qui emphyteuta dicitur) quoad dominium utile, retinendo apud se dominium directum sub aliqua pensione suis temporibus solvenda; habetque hic contractus vel ex dispensatione juris, vel ex conventione contrahentium, admissas conditiones aliquas, quibus impletis, vel aliqua illorum, dominium utile ad ipsum proprietarium, id est, ad ecclesiam in præsenti materia, redeat, ut quando emphyteuta cadit in commissum, vel si finiantur generationes pro quibus solis factus est contractus; quæ omnia constant ex usu, et ex doctoribus de emphyteusi scribentibus, et in hac ipsa lege supponuntur, ut videbimus. Effectus igitur, per hanc legem intentus, est privare ecclesiam vel ecclesiasticam personam potestate recuperandi umquam dominium utile suæ rei immobilis, etiamsi eventus eveniat, in quo secundum jus commune, vel attentis conditionibus in contractu positis, consolidandum esset in ecclesia dominium utile cum directo.

28 Ex hac facti serie, quæ indubitata est ex illius narratione, tria de hac lege dicenda videntur. Primum est esse plane injustam et nullam ex usurpatorum jurisdictione. Secundum est esse ex parte objecti seu rei, quam inferre intendit, contrariam immunitati ecclesiasticæ. Tertium est esse per se injustam contra justitiam commutativam et legalem, etiamsi de bonis emphyteuticis in communi seu laicis ficret. Prius autem quam singula probem, animadverto senatum Venetum in illa sua epistola, ad populos sibi subditos directa, in qua rationes hujus dissidii reddit, quamvis de facto, superiori capite tractato, et de aliis duabus legibus, in sequentibus capitulis examinandis, varias rationes afferat, quibus intentionem suam honestare et justificare procurat, (quæ ex parte in præcedenti capite expendimus; de reliquis dicemus in sequentibus,) de præsenti lege, nec verbum attigisse, nedum rationem aliquam reddidisse; cujus rei cum causam mecum inquisierim, nullam aliam suspicari potui, nisi quod revera nullam probationem invenit, præter eas politicas, quæ rationes status vulgo appellantur, quæ humanam commoditatem vel affectionem plus quam religionem seu pietatem, vel justitiæ æquitatem sæpe considerare solent; et ideo maluerunt legem hanc cum aliis confundere quam de illa quidpiam in speciali dicere. Theologus autem ille in propositione sexta verbum unum protulit, quo aliquid ad hanc causam pertinens judicare voluit, ut statim explicabo.

29 Probo ergo, quod primo loco proposui, nimirum legem hanc processisse ex usurpata jurisdictione; quia lex civilis, quæ per se et directe et in particulari disponit de materia ecclesiastica injusta est, et nulla; talis autem est lex illa; ergo. Major expresse habetur in jure canonico, 1 cap., 96 dist. Decreti et infinitis aliis vulgaribus decretis, quibus contradicere nefas est : quæ inter concilium Tridentinum. Minor autem evidens est ex ipsa facti narratione, suppositis quæ in superiori libro cap. 16 de bonis ecclesiasticis tradidimus. Et ex dictis adjunctis, quæ in cap. 15 de legibus civilibus diximus, fit evidens hæc ratio et assertio. Theologus autem ille in sua 6 propositione hæc verba habet : Deinde princeps Venetus etc. quum fert leges super bonis ecclesiasticis, in suo statu existentibus, et punit ecclesiasticas personas in casibus gravibus et atrocibus, et disponit super bonis nondum effectis ecclesiasticis etc. non peccat. Ubi tria distinguit membra, et in primo ponit absolute ecclesiastica bona; in tertio vero (secundo de quo jam dictum est omisso) ponit bona nondum ecclesiastica effecta; necesse est ergo ut in primo loquatur de bonis quæ jam actu ecclesiastica sunt : alias nulla esset distinctio : unde primum illud membrum

videtur posuisse propter hanc legem. Tertium vero propter duas alias, quas postea examinabimus, ubi de hoc tertio membro dicemus. Docet ergo non peccare principem laicum, sua auctoritate temporali (quam a Deo immediate habet, ut ipse loquitur) disponendo de ecclesiasticis bonis, et leges suo arbitratu de illis ferendo. Ergo inutiles sunt canones qui contrarium disponunt, et illos violare peccatum non est. Hoc autem dicere hæreticum est. Quod vero canones contrarium disponant, satis probatum est jam; estque optima decisio Eugenii papæ cum concilio Remen. cap. 2, de judi. : Decernimus ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant, sed et episcopi, archiepiscopi et alii ecclesiarum prælati de negotiis ecclesiasticis (maxime de illis quæ spiritualia esse noscuntur) laicorum judicio non disponant, vel propter eorum prohibitionem ecclesiasticam justitiam non omittant exercere; uti omnes doctores ita hanc decisionem intelligunt. Deinde etiam, seclusis canonicis legibus, est hoc contra divinum et naturale jus; nam quoad hanc partem libertas ecclesiastica (quidquid iste temere loquatur) de jure divino ac naturali est, ut supra ostendi. Nam ex naturali jure ille solus potest de re sua disponere, qui est dominus ejus vel qui vices domini ab ipso habet, vel a superiori ejus si illum habeat. Bona autem ecclesiastica sunt patrimonia Christi et sæculiari cultui ejus dicata; ergo nullus habet jus disponendi de illis, nisi vel ipse Christus, vel cui ipse suas vices commisit. Nam superiorem Christus non habet. At Christus non dedit vices suas principi sanctorum super bona ecclesiastica, quæ in ditione Veneta habet; sed totam commisit vicario suo, ut ex fide constat. Ergo ex ipso divino jure non est in principe Veneto talis potestas. Non certe, quia oportuit per canonem illa privari, sed quia illam numquam habuit. Hæc enim non est potestas mera temporalis, imo nec naturalis; sed est spiritualis potestas, quæ directe versatur circa spiritualia, et consequenter circa spiritualibus annexa; ideoque ab ipso Christo immediate manavit, quatenus principaliter est in vicario suo; ideoque supernaturalis merito vocatur: quæ omnia ex præcedenti libro clara sunt; et ideo hic amplius non probantur.

30 Aliam evasionem minus absurdam excogitare quis posset, negando legem illam proxime et directe versari circa bona ecclesiæ, sed circa bona laicorum; nam in bonis emphyteuticis distinguitur dominium utile a directo; et quamvis bona quoad dominium directum ecclesiastica sint, tamen cum sint laicis data in emphyteusim, dominium utile illorum bonorum, quod in laicis est, non pertinet ad bona ecclesiæ, sed inter mere temporalia computantur, et legibus civilibus subjacet, ut est communis doctorum sententia, de emphyteusi scribentium. Dici ergo potest legem hanc, quam nunc expendimus, immediate disponere de hoc tantum dominio utili laicorum; nam de directo expresse dicit, ut semper ecclesiis reservetur; ideoque non versari in materia ecclesiastica, sed civili; ac subinde non usurpare ecclesiasticam potestatem vel jurisdictionem: sicut potest rex per suam legem tributum imponere laicis, quod ex fructibus bonorum emphyteuticorum solvant, etiamsi talia bona quoad proprietatem ecclesiastica sint. Quin potius dicunt aliqui legem civilem, disponentem ut filii illegitimi naturales succedant in emphyteusi, etiamsi in contractu ipso positum sit ut filii tantum legitimi succedant, comprehendere omnes laicos emphyteutas, etiamsi bona emphyteutica ecclesiastica sint, quia dominium utile, in quo succeditur, temporale est, ut videre licet in Gama. decis. 2 et decis. 49, num. 6 et sequentibus.

31 Nihilominus dicendum est in primis evasionem hanc nec esse consentaneam verbis legis, ac deinde nihil juvare, etiamsi esset secundum verba legis. Primum patet, quia lex directe loquitur de ecclesiis et personis ecclesiasticis, videlicet privari illos omni jure et actione ad tale dominium utile, et quasi inhabilitans illos ad consolidationem dominii utilis, cum directo. Ergo directe versatur in materia canonica seu ecclesiastica. Unde licet etiam disponat de tali dominio utili, non disponit de illo, ut quid temporale et mere civile est; sed ut respicere potest ecclesiam, et est veluti terminus actionis et juris, quod ecclesia potest ad illud habere, et ita jam attingitur ut annexum rei spirituali. Ut si lex civilis disponeret, quod ecclesiis vel ecclesiasticis personis non solventur tributa temporalia, alias debita ratione alicujus dominii vel juris temporalis, quod habet ecclesiastica persona, manifeste disponeret de bonis

ecclesiasticis, etiamsi res illa, quæ solvenda est in tributum, in se temporalis sit. Secundum non minus evidens est, quia licet disponeret ut hoc dominium utile, quod temporale est et laicum, perpetuo in laicis perseveret, nec possit naturam, vel conditionem bonorum laicorum mutare, in idem rediret; nam esset saltem indirecta, vel potius palliata et tecta violatio ecclesiasticorum jurium ac immunitatum, ut constat evidenter ex dictis lib. præced. c. penul. et ex re ipsa, quia eumdem effectum haberet in se talis lex, circa ecclesiam et personas ecclesiasticas, privando illas juribus suis. Adde auctores omnes doctos et catholicos qui dicunt leges civiles posse cadere in dominium utile emphyteuticum, etiamsi directum ecclesiasticum sit, addere limitationem, videlicet, dummodo ex tali lege præjudicium aliquod ecclesiæ non oriatur, nec jus ejus aliquo modo minuatur, nec gravetur. Ita expresse Jul. 4 d. q. 48; ubi prius simpliciter ait leges civiles disponentes de emphyteusi non habere locum in ecclesia, quia leges laicorum non possunt ligare personas vel bona ecclesiastica; dicitque esse comunem opinionem cum Grato cons. 110, n. 36, vel 1. Statim vero ait leges civiles habere locum in his bonis, quantum ad dominium, quod laici in eis habent, tantum quoad illos, inquit, et in præjudicium ipsorum, refertque Rochum Curtium, Paris. et Brun. Item quod tales leges civiles, quatenus præjudicium afferunt bonis ecclesiasticis, non sunt validæ ex vi potestatis sæcularis, nisi aliquo modo per ecclesiam vel summum pontificem approbentur, docent aperte Ant. Gomez 2 tom Var. c. 11 et Manuel Costa de majorat. p. II, n. 16, et alii supra relati, præsertim Molina, qui optime loquitur in fin. disp. 446 etc., tract. II. Qui omnes loquuntur generaliter de præjudicio ecclesiæ, quo jus illius vel libertas aliquo modo limitatur; quid ergo dicerent de tam gravi nocumento et damno, quale per hanc legem infertur? Adde, quod in illo particulari casu de legitimatione filiorum naturalium, facta per legem civilem in ordine ad succedendum in emphyteusi serior et gravior opinio est, non extendi effectum illum legis civilis ad emphyteusim ecclesiasticam, ut videri potest in Ripa in cap. decernimus de judiciis n. 9. et in Rub. ejusdem tituli n. 84 et Bald. in L. Generaliter §. Quod autem c. de instit. et substit. Mat. de Afflict. Deus ect. 86.

32 Probatur ergo secunda assertio, superius posita, scilicet hanc legem esse contrariam et valde nocivam ecclesiæ et ejus bonis ex parte effectus, quem intendit; quia privat re quadam magni pretii et multi valoris, quam actu possidet et sub dominio suo habet; ergo dissipat et alienat ecclesiastica bona et jura per solam sæcularem potentiam: ergo infert vim ecclesiæ contra ejus libertatem. Consequentia est evidens, et antecedens declaratur: quia ante hanc legem (ut in eadem supponi videtur et est per se evidens) ecclesia habere poterat spem recuperandi aliquando vel in aliquibus casibus integrum dominium utile talium bonorum, propter jus et actionem, quam pro talibus casibus habet ad tale dominium ex vi contractus a se initi, vel etiam ex vi juris communis etiam canonici ita disponentis. De contractu patet, quia sæpe res in emphyteusim datur cum tali conditione, ut sit ad unam tantum, vel duas aut tres vitas, ut statim redeant bona ecclesiastica ad ecclesiam; alias extinguatur contractus et similia. De jure patet ex c. ult. de locato, ubi lex canonica disponit in duobus casibus ut bona emphyteutica ad ecclesiam redeant, videlicet si emphyteuta præsumat vendere jus suum alteri, non prius monita ecclesia, vel si per biennium debitam pensionem non solvat, nec celeri satisfactione sibi consulat. Habebat ergo antea ecclesia aliquod jus et actionem ad talia bona pro similibus eventibus. Quod jus sine dubio est pretio æstimabile, ut per se notum est, et inter bona, quæ incorporalia a juristis dicuntur, computari potest; unde commodo, quo talia jura et servitutes possidentur et sub dominio habentur, ecclesia possidebat tale jus et dominium ejus habebat; potuissetque in rigore illud vendere justo pretio, si voluisset, concurrentibus aliis conditionibus necessariis ad alienationem ecclesiasticorum bonorum. At per legem illam Venetam privatur ecclesia hoc jure et actione: ergo damnificatur in propriis bonis ecclesiasticis, quæ jam actu possidebat.

33 Aliter etiam declaratur, quia non est dubium, quin dominium directum talium bonorum, habens adjunctam actionem succedendi in illis in talibus casibus, sit majoris valoris et æstimationis quam omnino nudum et sine ulla specie consolidationis cum

dominio utili; sed ecclesia ante hanc legem habebat illud dominium priori modo, et per legem restringitur, et in posteriori statu constituitur. Ergo infert ecclesia talem legem esse notabile detrimentum in bonis suis. Præterea cum leges civiles non puniant emphyteutam, ut cadat in commissum, nisi post triennium non solutæ pensionis; lex imperatoria tempus illud ad biennium coarctavit tamquam privilegium ecclesiæ; et refertur 10, q. 2, c. 2 et approbatur in d. c. ult. de locato. Si ergo nunc lex civilis tentaret ecclesiam privare illo privilegio, et tempus extendere ad triennium vel quadriennium, nonne ageret contra ecclesiasticam immunitatem et contra canonicam legem? Multo ergo magis illi derogat lex, quæ omnino privat ecclesiam potestate et actione recuperandi talem rem in quocumque eventu. Denique hoc evidenter probant et confirmant omnes doctores, proxime citati in superiori puncto; nam in legibus civilibus, disponentibus in eadem materia emphyteutica non in particulari de ecclesiasticis bonis, sed in communi de emphyteuticis, dicunt non posse comprehendi ecclesiastica bona propter præjudicium multo minoris momenti, de qua re videri potest Costa Lusitanus lib. VI, de successione regni, Felin. in c. in præsentia, de probat. n. 24, et generalius in c. ecclesiæ sanctæ Mariæ de constitut, a num. 55 usq. ad 66; fit ergo per illam legem clara læsio in bonis suis. Quam adeo gravem et enormem esse censeo ut audeam dicere etiam pontificem fideliter res ecclesiæ dispensantem illam facere non potuisse in illa generalitate absoluta, et sine ulla spirituali aut pia ratione cogente, sed propter solam laicorum commoditatem; fuisset enim non dispensatio, sed clara dissipatio ecclesiasticorum jurium ac bonorum.

34 Jam vero probanda superest tertia pars, qua asseruimus dispensationem talis legis esse iniquam, et claram injustitiam continere, ita ut, licet pro laicis fieret, et de bonis emphyteuticis laicorum ita disponeret, injustitiam contineret. Suppono enim per illam legem non solum de futuris disponi, sed etiam de præteritis, ut ex narratione facti manifestum est. Quod ideo adverto, quia in futurum posset fortasse lex civilis in propria materia et quoad cives suos et eorum bona statuere, ut res non darentur in emphyteusim, nisi sub ea conditione, ut semel alienata quoad dominium utile, non possent iterum ex vi illius contractus nec alicujus legis civilis consolidari. Quidquid enim sit an talis lex expediret reipub. nec ne, vel ex aliis capitibus esset imprudens, tamen ex objecto non esset injusta; quia absolute neminem privat bonis suis : et si aliquis post illam legem bona daret in emphyteusim, jam libere se subjiceret illi oneri, possetque ea de causa sub majore pensione bona sua sic alienare, vel aliter sibi consulere. Illa ergo lex per se non esset injusta in suo foro. Quod semper addo, quia ex defectu jurisdictionis lex illa non posset ligare ecclesiam, nec libertatem ejus coarctare ad contrahendum prout vellet, ut est evidens ex dictis, et omnes auctores allegati ingenue et sine controversia fatentur. At vero si lex civilis ita disponeret de præventis contractibus, et de bonis jam acquisitis, vel alienatis tali vel tali modo; esset sine dubio injusta per se loquendo, præsertim si id faceret solum in commodum emphyteutarum, cum gravamine et detrimento gravi dominorum, qui fortasse in principio bona sua in emphyteusim non dedissent, si talis lex lata fuisset. Quo enim jure potest princeps ferre talem legem, gravamen illud dominis emphyteuticorum bonorum imponere aut privare illos jure jam acquisito ad succedendum in illis juxta pacta et conventa cum emphyteutis? Nulla profecto ratio æquitatis ibi intercedit, nisi fingatur casus, in quo propter aliquam publicam necessitatem id expediat reipub. qui non facile fingi aut excogitari potest. Multo ergo majori ratione continet injuriam contra ecclesiam lex ita disponens de ecclesiasticis bonis.

35 Video posse hic objici doctrinam quamdam Bartoli, inter juristas valde receptam, quæ habet dominum bonorum ecclesiasticorum emphyteuticorum, qui ea dedit ad tres vel quatuor vitas in emphyteusim, finitis illis vitis posse juste compelli per judicem ut non consolidet bona illa, quæ semel dedit in emphyteusim; sed quod renovet contractum in persona, vel personis habentibus conditiones requisitas in primo contractu, etiamsi sit extra numerum in primo contractu limitatum. Ex qua sententia aperte sequitur cogi proprietarium perpetuam quodammodo facere alienationem emphyteuticam, quam a principio vitalitiam seu temporalem tantum esse voluit.

Item privatur libertate solidandi dominium utile cum directo, quamvis in primo contractu illam libertatem sibi reservaverit. Adduntque dicti doctores hoc facere posse juste judices laicos, non solum in emphyteusi laicorum, sed etiam in ecclesiastica. Si ergo hoc possunt facere judices sine injustitia, vel sine violatione immunitatis ecclesiasticæ, cur non possit fieri a Venetis per legem civilem, ut ecclesia et ecclesiasticæ personæ excludantur a recuperatione dominii utilis talium bonorum? nam hoc in idem redit; ex vi enim talis legis solum coguntur ecclesiastici ad renovandum semper contractum emphyteusis.

36 Ad hanc objectionem dico in primis casum esse longe dissimilem, multoque majorem rationem injustitiæ esse in hac lege quum possit in illa apparere. Nam Bart. et alii auctores non ita affirmant renovationis necessitatem vel obligationem, ut omnino excludant dominum emphyteuticorum bonorum ab omni spe ac possibilitate consolidandi; fatentur enim in multis casibus ita redire posse bona illa ad dominum ut non teneatur renovare, nimirum si emphyteuta incidit in commissum vel ob non solutum canonem, vel quia jus suum indebito modo alienavit, vel bona notabiliter deteriora fecit etc.; item neque semper, neque in persona cujusque conditionis posse dominum cogi ad renovandum; sed juxta modum et conditiones primi contractus; quod si illæ jam locum non habeant, non esse jus cogendi ad renovationem, quia solum quoad numerum vitarum seu personarum, vel nominationum volunt fieri posse excusationem primi contractus. Quod quidem aliquantulum potest deviare ab æquitare naturali, sed potest habere aliquam congruentiam, vel piam interpretationem, ut mox dicam. At in præsenti lex illa omnino claudit ostium, ut sic dicam, ne possit ecclesia ingredi ad dominium utile talium rerum, quod per se iniquum prorsus apparet. Et præter dicta habet hoc maximum incommodum, quod datur quædam tanta licentia emphyteutis ut mille injurias ecclesiis faciant differendo vel negando solutionem pensionis, vel non offerendo illam nisi exigatur contra d. c. vel de locato, vel promissiones ecclesiæ deteriores reddendo, male illas tractando, cum hæc et similia fere impune facere possint emphyteutæ, cum sciant non esse privandos rebus, quas sciunt non posse ad ecclesiam redire. Quæ incommoda non sequuntur in opinione Bart. ut satis constat ex dictis; imo in ea considerata videtur commoditas, et quædam æquitas ex utraque parte. Nam emphyteuta diligentior erit in solvenda pensione, et bona ipsa melius curabit, si sciat pactum esse in suis dependentibus vel hæredibus renovandum, et tunc ex parte domini ad gratitudinem quamdam et æquitatem pertinet, ut illud renovet.

37 Præterea non omnes doctores qui illam sententiam Bartoli admittunt pro laicis, judicant esse licitum illa uti pro ecclesiasticis bonis emphyteuticis, sed multi constanter negant, quia si lex civilis illud ipsum, quod Bart. affirmat, in communi disponeret de bonis emphyteuticis, non posset juste ad ecclesiæ bona applicari, quia lex civilis non obligat ecclesiam in his quæ illi sunt onerosa et nocua, ut ipsemet Bart. alias docuit, et est certa et communis doctrina, ut supra tetigimus : ergo multo minus applicari potest doctrina illa legislatorum ad emphyteusim ecclesiasticam. Atque ita sentiunt multi, citati a Caldas q. 8, n. 6. Et Gratus cons. 120 dicit hanc esse communiorem sententiam. Alii vero saltem dicunt opinionem Bart. tunc solum habere locum in bonis ecclesiæ, quando ipsa ecclesia voluntarie renovare vult emphyteusim; nam tunc ajunt merito cogi potest ut potius in dependentibus vel agnatis emphyteutæ renovet quam in extrancis. At si ipsa sibi velit retinere bona, negant posse cogi licite ad renovandum, neque in illa posse doctrinam Bart. ad praxim reduci. Quod docuit Ab. in c. Bonæ 2 de postul. n. 28. Ubi additio quædam satis erudita eamdem opinionem sequitur, in quam etiam magis inclinat Jul. Clar. d. q. 43; et juxta hanc sententiam nullum ex illa doctrina Bart. argumentum in præsenti causa sumi potest, ut constat.

38 Tandem vero addo opinionem Bart. non esse certam, sed satis dubiam, quia nullo jure humano solido et in propria specie loquendo fundatur, sed in quibusdam æquiparationibus ad casus aliarum legum, quæ facile dissolvuntur, ut late prosequitur Mol. d. 10, d. 404; et secluso jure humano, stando in pura ratione et æquitate naturali. Nam nulla ratio vel justitia pati videtur, ut dominus rei cogatur alienare rem suam ex vi prioris contractus. Et quod

obligari non potest, nullus alicui apparet titulus, ex quo possit juste cogi. Atque ita contrariam sententiam docuerunt Mol. in c. si mihi et titio ff. de verb. oblig. et in c. 2 de feud. et in c. bonæ memoriæ 1, de postul. Bal. Ancar. et alii quos refert additio ad Panor. supra. Quidquid vero sit de veritate vel falsitate opinionis Bart. quam nunc definite tractare non est necesse, certum est illam non fundari in aliquo jure civili, quod obligare possit ecclesiam, aut jura ejus minuere, sed fundari in naturali æquitate. Nam putat injuriam fieri successori, si ei denegetur emphyteusis suo antecessori concessa, absque alia urgente causa vel ratione. Unde juxta illam sententiam, ex quadam benigna æquitate videtur in hunc modum interpretandus prior contractus, ut ille terminus seu numerus generationum aut temporis non fuerit positus, ut statim arbitrio domini possit dissolvi emphyteusis, consolidatio utriusque dominii fieri, sed solum ut talis res non transeat statim ad successorem vel hæredem emphyteutæ ex vi primi contractus, sed necesse sit patronum recognoscere, et de continuando vel renovando tractare, et consequenter ut ex justa causa emergente de novo, vel ex parte domini, qualis esset gravis necessitas ejus, vel ex parte emphyteutæ vel successoris ejus, ut esset nimia potentia illius, vel nimia paupertas vel alia similis, tunc possit dominus sibi consulere, et consolidationem facere : alioqui vero, si emphyteuta fideliter se gessit et nil novi accidit, debeat renovare.

39 Igitur sive hæc interpretatio conveniens sit, sive alia meliori ratione possit illa doctrina defendi, semper fundari debet in æquitate naturali; et hæc est ratio (ut recte notavit Jul. Clar.) ob quam extenditur ad bona emphyteutica ecclesiastica; quæ cum in æquitate fundetur, ab ecclesia magis quam ab aliis servanda est. Ex illa ergo doctrina sic intellecta (sive sit vera sive falsa, ut dixi) nullum argumentum sumi potest ad honestandam legem civilem, quæ sua auctoritate et potestate ecclesiam in bonis suis damnificat; et non nititur in æquitate aliqua naturali, sed in sola cupiditate ditandi laicos, etiamsi id fiat cum præjudicio et notabili nocumento ecclesiæ, et personarum ecclesiasticarum. Talem enim esse prædictam legem satis clare, ut existimo, ostensum est.

CAPUT III.

An lex civilis, vetans ne immobilia bona donentur aut vendantur ecclesiis vel ecclesiasticis personis, sit contra ecclesiasticam immunitatem.

40 Sequitur dicendum de altera lege a duce et senatoribus edita, quæ licet in bulla tertio loco reservatur, fundamentum fere est alterius legis, quæ tractat de erectione ecclesiarum, et ideo illam prius expendimus. Nam iidem senatores in epistola supra relata eam primo loco ponunt, et variis rationibus muniunt, quæ a nobis hoc loco examinandæ sunt. Proponitur autem in bulla his verbis : Ulterius eosdem ducem et senatum, die 26 mensis Martii 1605 inhærentes alteri decreto anno 1536 ab eodem senatu facto, in quo (ut asserebant) erat expresse prohibitum, ne quis sub certis in illo contentis pœnis in urbe Venetiarum ejusque ducatu bona immobilia ad pias causas testamento seu donatione inter vivos relinqueret, aut quovis alio titulo alienaret, sive ad eorum favorem ultra certum tunc expressum tempus obligaret (quod in illum usque diem, ut etiam ibi dicebatur, usu receptum et observatum non fuerat) non modo iterum id vetuisse, sed expresse etiam prohibuisse, ne bonorum hujusmodi immobilium alienationes in favorem personarum ecclesiasticarum, sine senatus prædicti licentia fierent, ac insuper decretum ipsum et pœnas in eo contentas per universum eorum dominium extendisse, et per rectores et potestates civitatum et locorum sui dominii publicari fecisse. Atque bona immobilia omnia quæ contra præmissam formam vendi aut quovis modo alienari contingeret, ultra nullitatis pœnam publicari et vendi, eorumque pretium inter rempublicam ipsam, magistratum exsequentem et ejus ministros ipsumque denuntiatorem dividi mandasse, et alias prout in decretis ducis et senatus prædictorum latius dicitur contineri. Hactenus in Bulla.

41 Hanc legem attingentes prædicti senatores in dicta epistola solum referunt, per illam esse prohibitum, ne bona stabilia in personas ecclesiasticas alienentur, et

hujus prohibitionis varias rationes reddunt, ut illam justam et honestam esse persuadeant. Prima est, quia si hæ aliæ rationes fieri permitterentur, brevi tempore fieret, ut omnia stabilia bona vel major eorum pars ad ecclesiasticos transferantur et ut laici illis priventur. Hoc autem esset in magnum incommodum et præjudicium totius communis boni et singulorum civium, ergo prohibitio illa, qua tantum malum reipub. cavetur, justissima est. Major patet, quia bona hæc, postquam ad ecclesiasticorum dominium semel transferuntur, numquam ad laicos revertuntur, quia alienari non possunt nisi magna cum difficultate juxta canonica jura; et ideo, si semper acquirant, cum numquam dimittant, facile omnia usurpabunt. Quod autem hoc sit magnum præjudicium laicorum satis per se notum est. Ad id autem magis exaggerandum et declarandum additur secunda ratio, videlicet quod cives laici sustinent temporalia onera reipublicæ tum in solvendis tributis, tum in publicis expensis, quæ pro tuenda repub. in pace et in bello fiunt : ergo si stabilibus bonis spoliantur nec obligationibus suis satisfacere, nec reipub. in suis necessitatibus subvenire poterunt. Tertio allegant hoc incommodum, hodie maxime timeri posse, quia propter nimiam ecclesiasticorum solertiam in acquirendis his bonis, et propter simplicitatem piarum ac devotarum personarum, multis in locis factum est, ut quarta vel etiam tertia pars horum bonorum abalienata hoc modo et extra dominium laicorum sit. Ergo lex, quæ huic malo consulit, et ne eveniat prævenit, justissima est. Quarto eamdem fere rationem repetunt et exaggerant his fere verbis : dicta prohibitio merito facta est, quia id debitum et congruum existimatum est, ut cum cives onera reipub. sustineant, alii parvam aut nullam recognitionem facientes et otiose viventes, fruantur bonis, sudore et sanguine nostrorum progenitorum comparatis. Quinto allegant se in hoc imitari usum omnium principum christianorum, qui in regnis suis similes leges observari faciunt. Et hæ quidem rationes eo tendunt ut æquitas ipsius legis in se spectatæ probabilis appareat; ut autem etiam legitima potestate factum esse suadeant, addunt sexto productam legem et prohibitionem tantum laicis imponi, et solum circa bona laica versari, quæ omnia subjecta sunt potestati temporali; et per illam prohibitionem nullum præjudicium fit bonis spiritualibus ecclesiæ, maxime quia non prohibetur ecclesia immobilia bona emere de licentia senatus.

41 Ut autem evidentius constet quam fuerit hæc lex ab omni pietate aliena, et absque legitima potestate facta, et rationes, quibus coloratur, fucatas esse et non solidas, tractabo prius generalem quæstionem canonicam et theologicam, quam supra huc remisi, an lex civilis prohibens hujusmodi alienationem fieri in ecclesiarum commodum, justa et honesta sit; et deinde veram resolutionem ad hanc legem applicabo, singulasque illius circumstantias expendam ut apertius constet qualis illa sit.

42 Quod ergo ad quæstionem generalem attinet, negare non possumus, quin multi doctores jurisperiti simpliciter approbent ac defendant legem prohibentem subditis laicis ne bona immobilia tribuant ecclesiis, nisi sub ea conditione ut intra certum tempus ab eis vendantur, et ad laicos redeant. Refert multos pro hac sententia Iraquel de utraque tract. tit. II, § 2, gloss. 17, n. 5, scilicet Bald. Sali. Jacob. Bart. Cardi. Florent. Bart. Val. Tasson. ac Deci. et specialiter Signorol. Homod. in com. 22, Urio, statuto civitatis Mediol. etc., qui offert quindecim rationes ut hoc confirmet. Additque Iraquel, multos ex his auctoribus asserere valere statutum, etiamsi expresse prohibeat alienationem fieri in clericos et ecclesiam. Alios refert Petr. Peckius tract. de amortizatione bonorum cap. 6, videlicet, Archidi. Fabrum, Lucam de Penna, Alciatum et Imbertum : ac præterea Bart. in l. ult. c. de pactis. Qui non loquitur de hac lege; sed de statuto, ut ingrediens monasterium non succedat; et approbat illud, si loquatur de persona priusquam ingrediatur religionem, inhabilitando illam. Evidens autem periculum suæ assertionis addit : et hoc salvo judicio et determinatione canonica et theologorum. Fundamentum hujus sententiæ est, quod princeps per potestatem suam supremam potest leges condere circa bona suæ reipublicæ necessaria, et convenientes ad suæ reipublicæ conservationem et maxime ad defensionem suorum jurium, et ne privetur suis commodis temporalibus, ad quæ

habet proprium jus; sed hujusmodi est lex, de qua tractamus, ut rationibus supra factis satis declaratum est : ergo addere hic possumus consuetudinem hanc laicorum incepisse in ecclesia statim ac ipsa ecclesia cœpit immobilia bona possidere : in principio enim hæc bona, quando ad ecclesiam veniebant, statim vendebantur et in pauperes consumebantur, ut constat ex actibus apostol. c. 4 et 5; postea vero commodius visum est ea conservare et ex fructibus eorum pauperes est ministros alere, ut constat ex Urban. papa in suis epist. et in c. vidente 12, q. 1, ibiq. in c. Futuram significatur hanc ecclesiæ consuetudinem a temporibus Constantini incepisse; et tamen paulo post illa tempora videntur etiam incepisse querelæ laicorum, et civiles leges ejus rei meminisse videntur; sic enim Hieronymus ad Nepotianum epist. scribit : Pudet dicere : sacerdotes idolorum mimi et aurigæ et scorta hæreditates capiunt; solis clericis et monachis hoc lege prohibetur; non a persecutoribus, sed a principibus christianis. Nec de lege conqueror, sed doleo quod meruerimus hanc legem. Ambr. vero lib. II, epist. alias 71, ad Valentinianum : Nobis, inquit, etiam privatæ possessionis emolumenta denegantur, et nemo conqueritur : non enim putamus injuriam, quia dispendium non dolemus; et infra : Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ. Soli ex omnibus clerico jus commune clauditur. Et infra : Quod sacerdotibus fani legaverit christiana vidua valet; quod ministris Dei, non valet. Denique similes leges postea in universis ecclesiæ regnis et provinciis latas et observatas esse refert Guillaid. Benedic. Raynuti de testam., verb. uxorem, n. 5 et seq. et de Gallia refert Faber in l. Quoties c. de rei vendicat. et Agidius magist. equit. in tractat. de Amortizat. c. 1; ubi ait in regno Franciæ solum regem posse dispensare, ut homines manus mortuæ, ut vocant (id est communitates quæ numquam moriuntur) bona immobilia de novo acquirant. Nec in iis (inquit) quicquam juris pontifex maximus vendicare potest. De Hispania vero, quod eamdem servet consuetudinem, constat ex legibus regnorum Valentiæ, ut refert Petr. Velluga in Speculo principis tit. XIX; et de Hispania refert Renatus Hoppimus libro VII de sacra politia, tit. I; et de Lusitania constat ex libro II ordinationum hujus regni, tit. XVIII. Non videtur ergo tam recepta lex et consuetudo posse damnari.

45 Nihilominus hujusmodi leges civiles, absolute prohibentes ne bona immobilia ecclesiis donari, legari aut vendi possint, esse iniquas et contrarias ecclesiæ et ejus lædentes libertatem, nisi justa ratione et ex consensu papæ fiant, docent multi et numero et auctoritate superiores. Ait id expresse Bartolus in l. filio familias § Divi 2, n. 22, de lege 1, dicens esse contra libertatem ecclesiasticam. Cujus opinio communiter recepta est, ut ibi testantur, Ripa num. 80, et Orotus n. 8, et ibidem Angel. et Imob. Imol. Idem Bart. in l. ut inter n. 18, cod. de sacros. eccles. Et ita, inquit, determinavit Ultra in publica disputatione, quod nota, et tene menti, et in L. dudum c. de contra cupientem, referens eumdem Ultram, dicit non valere statutum quod non liceat clericis vendere. Maxime vero sequuti sunt hanc sententiam canonist. Host. in summa, de immunitate eccles. §, sed nec illa etc. Ibi tam graviter in has leges invehitur ut eas ponat inter machinationes, quas tyranni contra ecclesiasticam immunitatem ingerunt. Idem late ac graviter ac nervose in c. ult. de Reb. ecclesiasticis non alien. per textum illum, qui in hac materia videtur satis expressus. Tandem quæstionem ex professo disputat Joan. Andr. in c. ult. de immunitate eccles. in 6; dicitque, si statutum sit generale ut hæc bona immobilia non vendantur non subditis, non comprehendere ecclesiam vel ecclesiasticos; si autem sit in particulari, ut non dentur aut vendantur ecclesiis, esse aperte contra immunitatem ecclesiasticam et statuentes esse excommunicatos, et quod judex ecclesiasticus potest cogere statuentes, ut, si statutum generale sit, declarent non comprehendere ecclesiasticos, et a fortiori si particulare sit, cogere illos ut doceant et revocent illud. Hanc doctrinam Joannis Andreæ refert et comendat Bbanor. 1 volum. cons. in 26, n. 2, ver. Quarto etc., idem in cons. 64, Idem Ab. in c. relatum 1, de testam. n. 5. Ubi refert Baldum facientem multum huic sententiæ in L. generali c. de sacros. eccles. Ubi agit de statuto, prohibente mulierem testari sine consensu propinquo-

rum, et ait non comprehendere causas pias. Sic etiam in L. jubemus, eod. tit. ait in statuto, in quo prohibetur vendi non subjectis, non includi ecclesias et cogi posse communitatem ad ita declarandum statutum juxta cap. eos, de immunit. ecclesiæ in 6, et in Aut. Sent. Cassa eod. multa habet in favorem hujus sententiæ, sed expressius in L. ultimo ejusd. tit. n. 22, revocat sententiam, quam prius tenuerat, et dicit veritatem esse quod statutum generale, ut in personis non subjectis non possit aliquid alienari, non potest comprehendere ecclesias vel ecclesiasticas personas. Idem prosequitur Ab. in c. Quod clericis de For. comp. præsertim n. 11 et 16 et in c. A nobis 1, de sent. excom. Felin. in c. ecclesiæ de consta. n. 109; et quidem dicit esse communem opinionem per rationes Joan. Andreæ; et ipse solvit ibi, quæ in contrarium fiunt. Et plane idem definit ibi decc. n. 55, licet varius sit, et sumitur ex eodem in c. in præsentia de probation., n. 55, in fin. Idem sentiunt doctores et alii communiter in d. c. ult. de immunit. ecclesiæ in 6, et quam plures alii referuntur a dictis auctoribus, et in additionibus ad illos, præsertim ad Bart. et Abb. et Iraquel in legibus connub. L. 16, Glos. 8, q. 18, n. 172, præter aliquos ex dictis refert Freser, Senen. Angel. Cap. Anton. Francum, Ripam, Paulum Castren. Cardin. et alios quamplures; eamdem sententiam optime tuetur Jul. Clar. in tract. criminalibus lib. v, q. 22, § statutum, quinto, n. 2, dicens in primis statutum, prohibens rem immobilem alienari in forensem, non posse ligare clericos nec ecclesias, et quatenus resultat in eorum præjudicium nihil valere. Et post multas allegationes addit : Hoc multo magis procedere, ubi statutum prohibet specialiter in ecclesias vel ecclesiasticas personas alienari; nam tunc esset expresse contra libertatem ecclesiasticam. Et subinquit : Ita tenent omnes doctores in hac materia loquentes, ut dicit Cassaneus in consuetudinibus Burgundiæ, n. 50; videri etiam potest Pet. Jacob. in sua praxi. Ex quibus Cap. Vasal. Teut. Amitt. Ubi definit esse excommunicatos, qui has leges faciunt; Joan. Bressianus de consuetudinibus Stuerniæ, c. 21, § 14 in principio, solum ait sibi displicere hujusmodi leges, et idem sentit Pet. Peckius, d. tract. de Amortizat. c. 6, qui etiam multos refert; ipse vero non omnino damnat leges, sed dicit credendum esse a pontificibus esse approbatas. Et fere eodem modo loquitur Driedo lib. II de libert. eccles. c. 7. Ubi quæstionem disputat, quam alias attigerunt Silvest. verb. Immunitas 1, n. 20 et Angel. eodem verb. n. 46, et uterq. docet tales leges esse invalidas. Satis ergo ex his constat communiorem esse, majorique auctoritate probatam hanc sententiam : quibus vero fundamentis, vel rationibus nitatur, ex dicendis constabit.

44 Quamvis autem in quæstione hac generaliter proposita tam gravis sit dissensio inter auctores, omnes tamen (ut mihi quidem videtur) contra prædictam Venetorum legem conspirant. Quod ut declarem, et judicium aliquod inter dictas quæstiones proferam, adverto, quod supra sæpe tetigi, duas quæstiones hic posse tractari. Una est, an materia legis, secundum se spectata, honesta, ac justa, et conveniens ecclesiæ sit, aut esse possit, vel etiam possit esse iniqua, et contra pietatem ac religionem. Alia quæstio est, ad quem pertineat potestas condendi hanc legem, et ferendi ultimum judicium an illa conveniens sit nec ne. Et ex utroque capite pendet hujus materiæ decisio, et ideo de utroque dicendum est.

45 Prius vero supponatur divisio bonorum horum immobilium, quam adhibuit Glos. in c. 1 de immunit. ecclesiæ in 6, et Hostien. supra. Nam Bona immobilia quædam sunt omnino libera ab omnibus oneribus realibus et personalibus (quæ Glossa illa vocat possessiones in allodium habitas); quædam vero sunt subjecta oneri reali, ut sunt eumphyteutica, vel censualia aut alio modo tributaria alicujus realis pensionis, ipsismet immobilibus bonis adhærentis. Alia sunt habentia onus personale, ut solent esse feudalia; aliud denique onus talium bonorum est laudemium, quod solvitur domino, quando res, emphyteusi vel feudo subjecta, venditur. Igitur quando bona habent hoc ultimum onus sibi annexum, plane esset contra rationem et justitiam, ut talia immobilia transeant ad personas manus mortuæ (ut vocant) sine satisfactione illius oneris ad voluntatem domini vel principis, si ejus interest, vel juxta conditiones pacti, quo talia bona possessori concessa sunt. Ad quod explican-

dum solet multum valere consuetudo : et ideo justæ sunt leges, quæ de his bonis in particulari disponunt, ut hæc bona non acquirantur communitatibus, quarum dominium perpetuum et immutabile censetur, ex quo fit ut domini talium rerum priventur laudemio etiam in perpetuum, vel omni spe : quod esset grave illorum præjudicium. Illæ igitur leges non sunt contra libertatem ecclesiæ, et de se generales sunt : nam illa corpora ficta, ut loquuntur juristæ, seu mystica, aut politica, et perpetua, seu habentia manum mortuam, latius patent, quam ecclesiæ vel pia loca; et ita leges illæ respuunt universaliorem rationem, et continent intrinsecam justitiam, et ideo ecclesias comprehendunt, nec illis odiosæ censeri debent. Et de his bonis et de hoc genere legum sunt fere antiquiores consuetudines, quæ in hoc genere allegantur, præsertim in Gallia et Belgio; in quibus provinciis totius regni dicitur solum esse quas feudatarium, et sub dominio proprio regis seu principis. Unde in illis maxime locum habent omnia, quæ sub nomine amortizationis ab auctoribus dicuntur, ut plane colligitur ex Pet. Peckio, et Ægid. magistr. equit. in tract. allegatis.

46 Ad eumdem modum judicandum est de feudis, quoad personale servitium eorum; nam et natura rei est contra justitiam, ut talia bona dentur vel acquirantur personis, quæ non possunt esse expositæ ad onus personale solvendum illi, cui talia bona obligata sunt; quia est in manifestum præjudicium domini feudi. Igitur leges hoc prohibentes justæ sunt. Si ergo tale est servitium seu personale onus, debitum ratione feudi, ut per ecclesias et ecclesiasticas personas exhiberi non possit, merito talia bona feudalia prohibentur dari aut vendi etiam ecclesiis, neque hoc potest contra libertatem ecclesiasticam reputari, quia æquitas ipsa et ratio justitiæ id postulat : unde dici non potest quod in præjudicium ecclesiarum id fiat. Interdum tamen sunt talia hæc onera personalia, vel quæ per clericos fieri non repugnet, vel certe exhiberi possunt per tertias personas ac subinde per ecclesiæ ministros vel officiales : et tunc ex hac parte non erit incapax ecclesia talium bonorum feudalium, nec ob eam causam poterit rationabiliter excludi; dicunt tamen multi ex citatis jurisperitis in multis regnis, præsertim in Gallia, usu receptum esse ut talia bona feudalia, qualia reputatur totius regni solum, alienari aut vendi non possent hominibus manus mortuæ, sine regia facultate et solutione alicujus certæ partis seu quantitatis, quæ ob illam causam regi pendi solet : quod si verum est, non videtur contra libertatem ecclesiasticam, si eadem consuetudo cum clericis vel ecclesiasticis observetur, ne rex privetur suo lucro : ad quod supponitur habere jus acquisitum. Esset tamen contra ecclesiæ libertatem negare illi facultatem acquirendi talia bona, quando ea recipit cum suis oneribus reditus, et sine ullo principum præjudicio, quia tunc privaretur communi libertate, ut mox in talibus bonis dicemus.

47 Præterea, quando bona immobilia habent simplex onus per tributum reale sibi quasi adhærens, id est debitum ratione ipsius rei, absque onere laudemii vel officio aliquo personali, sed per solam solutionem alicujus certæ pensionis vel in pecunia vel in aliqua quota parte fructuum, vel simili; et ex aliquo titulo vel saltem ex consuetudine ac præscriptione; constat regem habere jus illud certum et stabile super talia bona immobilia. Tunc si ecclesia vellet recipere talia bona sine onere, non esset injusta lex quæ id prohiberet fieri sine consensu regis, si talis pensio regi seu reipubl. vel ipsi communitati solvenda esset; quia justitiæ ratio postulat ut res transeat cum onere suo, quia alias grave nocumentum fieret regi vel communitati in bonis suis. Privarentur enim jure quod in talem rem habent, seu fructu debito ratione illius, quo non potest juste privari ipso invito. Item hac ratione bona emphyteutica non possunt dari ecclesiæ ab emphyteuta, nisi cum onere solvendi pensionem directo domino, et servatis etiam aliis conditionibus intrinsecis ipsi emphyteusi secundum commune jus, vel deductis in pactum ipsum emphyteuticum; nam seclusa lege civili hoc statuente, ex natura rei hoc postulat justitiæ æquitas, quæ præcipit ut pacta serventur et ut nemo privetur re sua vel jure, seipso invito. Hæc autem ratio habet locum in omni re, quæ habet onus reale annexum. Nam licet is, cui talis pensio solvitur, non habet proprium dominium directum ejus rei, cui est annexum tale onus, (loquimur enim extra feudum et emphyteusim,) habet dominium juris illius ad talem pensionem, ratio cujus illi

ex rigore justitiæ debetur; non potest ergo liberari res illa a tali onere eo quod tradatur ecclesiæ, ut superiori cap. 14 in fine dictum est. Ergo si lex civilis hoc tantum caveat et prohibeat, non est contra libertatem ecclesiasticam. Quia nullum tale privilegium habet ecclesia ad acquirenda hæc bona omnino libera et sine onere absque consensu domini. At vero si ecclesia velit recipere hæc bona cum suis oneribus, eadem ratio erit de illis, quæ de aliis bonis omnino liberis.

48 Difficultas ergo est de bonis immobilibus omnino liberis; sub quibus omnia illa comprehendimus, quæ ex jure communi omnibus civibus, sive sit gentium, sive canonicum vel imperiale, possunt transire in ecclesiæ dominium, ex voluntate donantis aut vendentis sine injustitia, vel respectu alicujus tertii vel alio legitimo impedimento. Est ergo difficultas an lex civilis, prohibens hanc alienationem a laicis faciendam in bonum ecclesiæ, sit ex objecto iniqua, vel contra pietatem aut religionem ecclesiasticamque libertatem. In qua difficultate mihi dicendum videtur hujusmodi legis dispositionem, nude spectatam, non bene sonare nec pietati favere, neque facile honestari posse; nihilominus tamen non esse adeo intrinsece malam, quin et fine et circumstantiis possit esse justa et conveniens, si alias cum debita moderatione et a legitima potestate fiat. Ita sentiunt inter citatos auctores multi, præsertim vero id declarant Driedo et Petrus Peckius; potestque prior pars ostendi primo ex verbis Justiniani imperatoris in authen. de non alienan. reb. eccles. cap. 2, § sinimus. Quid enim causetur imperator ne meliora det, cui plurima dedit Deus habere et multorum dominum esse et facile dare, et maxime in sanctissimis ecclesiis; in qua re optima mensura est donatarum eis rerum immensitas. Hoc etiam confirmat praxis multorum catholicorum ac piorum principum, qui in ditandis ecclesiis liberalissimi fuerunt. Observatumque in historiis est, eos qui profusiores in ditandis ecclesiis fuere, et in opibus, gloria et victoriis fuisse felicissimos; e contrario vero, qui vel extractionibus vel legibus suis gravarunt ecclesiam, vel ejus opes limitare et conquæstare conati sunt, tum pietate tum gloria longe inferiores fuisse. Hoc autem genus legum, de quibus tractamus, eo tendit ut ecclesiarum lucra et augmentum impediant : ergo de se nec pietatem fovent nec facile permittenda sunt. Hinc etiam legimus catholicos ac pios principes interdum has leges abrogasse. Sic Carolus II, similem legem revocavit, satisque esse dixit, si res ad ecclesiam cum suo onere transirent. Ita ex Math. de afflict. refert Petr. Peck. d. c. 6. Item constat Freder. II et Carolum IV imperatores similes leges ut libertati ecclesiasticæ contrarias reprobasse; quod confirmavit concil. Constantinop. ut post illius acta legitur in tom. IV concil. Ubi expresse inter leges reprobatas ponitur : Quod nulla bona temporalia in vim et potestatem ecclesiæ transferantur. Item quod sæculares potestates allationem Christi fidelium minuerunt atque restrinxerunt. Hæc autem lex de qua tractamus vel sub his comprehenditur, vel non parum ad illas accedit. Deinde jura canonica, quæ mox referemus, multum resistunt hujusmodi legibus. Ergo signum est tales leges non fovere pietatem, nec per se esse convenientes.

49 Tandem declaratur ratione; nam in primis hæ leges coarctant ecclesiæ libertatem, non solum jure naturæ et gentium, sed etiam jure humano concessam. Nam jure naturæ quilibet homo est liber tam ad mobilia quam ad immobilia bona; quod majori ratione verum est de hominum congregatione legitima, quæ unum corpus mysticum efficit. Ergo multo magis ecclesia, vel universalis vel particularis. Et hanc libertatem ecclesiæ confirmat jus civile in lib. 1, c. de sacros. eccles., ut Bar. ibi et omnes intelligunt. Ergo lex, prohibens ne immobilia bona ecclesiis conferantur, vel quæ ecclesia habet ea intra certum tempus relinquere jubens, si ad illius potestatem devenient, coarctat ac limitat hanc libertatem : ergo ex hac parte non est conveniens, sed potius male sonat et per se honesta non est. Præterea non parum derogari videtur bono communi, dum ecclesia veluti inhabilis redditur ad hæc bona acquirenda, quia præterquam quod divino cultui inserviunt, in quo magna pars communis boni positum est regulariter ac per se loquendo, in sustentationem ministrorum ac servorum Dei ac pauperum, et levamen miserarum personarum consumuntur. Nam licet interdum sæpe in hoc sit aliquis abusus, tamen cum res morales ex sua institutione et ex

his quæ frequentius accidunt pensandæ sint : sine dubio magis subvenitur communibus necessitatibus reip. ex hujusmodi bonis et fructibus eorum quam ex bonis privatorum laicorum. Ergo lex, quæ ponit hanc limitationem ecclesiis vel ecclesiasticis personis, maxime quando illam laicis non imponit, per sese non consulit bono communi, etiam ipsius laicæ communitati, cui magis per ipsa ecclesiastica bona subvenitur; cujus rei (ut Peckius ait) testis est Gallia, testis est Anglia, testis est Flandria : postquam enim hæresum occasione bona ecclesiastica a laicis occupata sunt, nulla vel exigua est elemosynarum comparatio cum his, quæ antea per ecclesiam et ecclesiasticas personas fieri solitæ erant. Unde etiam majora Dei beneficia, majoremque pacem et tranquillitatem populus sentiebat. Nihilominus ultima pars proposita, nimirum hanc humanam dispositionem, si a legitima potestate fiat non esse intrinsece malam, posseque circumstantias occurrere quibus honestatur; illis rationibus probari potest, quibus auctores primæ sententiæ frequentius utuntur. Quarum præcipua est; quia per has leges non privatur nec damnificatur ecclesia aliquo modo in bonis suis, sed solum cavetur ne plura illi dentur vel acquirantur quam reip. et aliorum civium necessitas commode ferre possit; hoc autem per se ex objecto malum non est, ut per se notum videtur, quia contra nullum præceptum naturale est, nec contra divinum cultum : nam illud non postulat ut ecclesia in immensum et sine termino ditetur, quin potius nimius in hoc excessus foret posse talem dispositionem ex circumstantiis honestari : quia bona hæc temporalia finita sunt, et quantum ecclesiæ tribuitur, communibus laicorum usibus subtrahitur. Ergo si illa dispositio fiat non animo minuendi cultum divinum, sed solum consulendi communi bono reip. temporali, ne nimium his bonis necessariis destituatur, simul observata ecclesiæ commoditate, ut non solum necessaria habeat, sed etiam abundantia juxta locorum ac temporum proportionem et varietatem, et non omnino privetur potestate acquirendi aliquid de novo, quando expediens fuerit, sed ut certa aliqua forma in hoc præscribatur, quæ prudentem moderationem in hoc negotio faciat observari, poterit esse consentanea rationi talis dispositio, a legitima potestate facta : cum enim hæc res inter duo extrema versetur et possit esse excessus in alienando immobilia etiam in favorem ecclesiarum, cum nimio præjudicio aliorum civium, si lex tantum hoc moderari intendat, honesta esse potest : præsertim ubi constiterit ecclesiam omnesque religiosas communitates sufficienter et abundanter dotatas esse.

50 Superest ut dicamus de altero puncto : videlicet in eo casu, in quo hæc lex honesta et conveniens esse possit, ad quem spectet illam condere, an ad principem laicum, an vero ad ecclesiasticum, vel summum pontificem. In quo assero hanc dispositionem per se ad spiritualem potestatem pertinere, et ex vi talis materiæ esse proprium actum pontificis summi. Probatur primo, quia materia talis legis spiritualis est vel saltem spirituali annexa; quod satis est ut sit materia legis canonicæ et potestatis spiritualis, ut constat ex c. cum laicis, de rebus ecclesiasticis et c. Quanto de judi. Ergo major patet; quia vi talis legis redditur ecclesia inhabilis ad acquirendum vel retinendum immobilia quoad statum et conditionem ipsius; quod ad ecclesiæ multum pertinet; est ergo quid annexum rei spirituali, qualis est ecclesia. Secundo, negari non potest quin per talem legem privetur ecclesia aliqua libertate; nam privatur potestate libere acquirendi immobilia bona vel saltem aliquam limitationem et modum in usu in illius recipit, cum tamen per se et ex communi jure illam habeat omnino expeditam et liberam c. Futuram, et c. videntes 12, q. 1, et l. 1, l. generali c. ultimo c. de sacros. eccles. Ergo vel hoc fieri non potest, quatenus aliquo modo derogat ecclesiasticæ libertati, vel si interdum expedit fieri, per se pertinet ad pontificem ad quem spectat omnium ecclesiasticarum rerum ac jurium dispositio, præsertim quia in hoc potest facile gravari ecclesia ultra rationem : ergo expedit ut quidcumque in hoc genere factum fuerit, pontificis arbitrio et potestate regulatum ac constitutum sit.

51 Tertio favent multum jura canonica, præsertim c. 1 de immunitate eccles. in 6 ibi : Nec etiam liceat eis (id est laicis magistratibus) ipsas ecclesias vel personas ad distrahendum, vel alienandum, aut extra manum suam ponendum acquisita jam, vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus

coarctare. Est ergo hoc a pontifice reprobatum, quia sine ipsius auctoritate fieri non potest. Facit eoquoque caput ultimum ejusdem tit., ubi excommunicantur generaliter temporales domini, qui suis subditis prohibent ne clericis quicquam vendant. Ergo etiamsi interdum expediat in venditione rerum immobilium aliquem modum ponere, hoc per se pertinet ad pontificem, et alios ecclesiæ pastores, non ad principes sæculares.

52 Idem confirmat c. ult. de reb. eccles. non alien. ubi Innocent. III, generaliter reprobat statuta laicorum disponentia de motuariis, id est piis legatis, coarctando, vel impediendo illa; reprobat autem illa eâ potissimum ratione, quod a laicis fiunt sine legitimo ecclesiasticarum personarum assensu, ut ibidem dicitur. Denique ad hoc confirmandum valent jura omnia canonica, quæ generaliter declarant leges civiles, disponentes de rebus ecclesiæ, esse invalidas, et maxime quod in illis afferant præjudicium, ut cap. Quæ in ecclesiam, de constitution. cum similibus; ut espresse ad hoc confirmandum notavit Archidi. in cap. Romana, de Appell. l. 6 in ver. consuetudine. Et ita potest induci concil. lateran. sub Leone X et Trident. sess. 25, cap. 2 de refor. quatenus similes leges reprobant.

53 Quarto hoc confirmat usus pontificum; quoties enim principes sæculares similes leges facere tentarunt, illis restiterunt et eas reprobarunt; quod si aliquando quid simile permiserunt, fuit ex aliqua legitima causa, et pro potestate utendo: ita ut talis regula sit reprobare talia statuta, quia per se non sunt bona, ut dixi; exceptio vero sit rara ob peculiarem alicujus provinciæ necessitatem a pontifice approbandam. Pro generali regula, præter exempla quæ sunt in jure canonico, (ut vidimus,) refertur factum Innocentii tertii. Nam cum Henricus imperator Constantinopolitanus constitutionem fecisset, ut nullus posset de suis possessionibus in vita, vel in ultimo testamento aliquid ecclesiis elargiri (quæ lex similima est huic Venetorum), Innocentius scripsit epistolas cardinali Sidoniensi et archidiacono Davaliensi, mandans, ut legem illam frivolam, et inanem, et nullo modo servandam decernerent. Item ad regem Franciæ idem pontifex scripsit, ut suos officiales compesceret, qui ægrotantes impediebant, ne de terris, vel hæreditatibus suis elecmosynas facerent. Item de Gregorio nono refertur scripsisse ad episcopum Burgensem, et decanum Calagurritanum, ut admonerent regem Castellæ, qui ordinaverat ne quis possessiones aliquas ecclesiæ cathedrali Calagurritanæ aut monasteriis vel piis locis ejusdem diœcesis donaret aut venderet, ut illam revocaret. Et de Clemente quarto referunt scripsisse ad regem Portugalliæ affectu paterno, rogando ne correctionis necessitatem exspectaret, sed potius per se ipsum prætensas quasdam consuetudines revocaret, quibus episcopis et personis ecclesiasticis prohibebatur, ne aliquas possessiones emerent, etiamsi emphyteuticæ non forent vel feudales. Quæ omnia verba notanda sunt pro his quæ diximus. Denique de Martino quinto referunt, simile statutum regnorum nullum esse declarasse, et per censuras excommunicationis, interdicti et pœnæ amissionis feudorum regiones compulisse ad delendam de suis libris legem illam.

54 Quinto denique idem ostenditur rationibus partim in rei natura, partim in juribus canonicis fundatis. Nam in primis quatenus hæ leges prohibent legata ipsa, vel eleemosynas vel illas actiones gravant aut coarctant, plane versantur in materia aliena; quæ, ut infra ostendam, dispositio causarum ad pontificem pertinet. Unde in jure canonico multa habentur privilegia, quibus leges civiles derogare non possunt. Deinde quatenus ecclesiis et eccles. personis generale commercium, et contractus aliis civibus communes negant, coarctant vel gravant, plane communem libertatem eis adimunt, et statum ecclesiasticum onorosum reddunt, vel (ut juristæ loquuntur) timidiores efficiunt ecclesiasticos; quod totum prohibitum est laicæ potestati, estque extra illius jurisdictionem. Denique quia potestas laica non potest disponere de bonis ecclesiæ non solum jam acquisitis, sed etiam nec de acquirendis, ut est communis et approbata sententia juristarum, ut visum est, et late per Tason. in l. filius familias § divi, n. 72 et 82, ff. de lege l. et est expressum in c. 1, de immun. eccles. in 6 in ultimis verbis. Et est ratio optima, quia non potest lex disponere de acquirendis, quin disponat de habilitate et jure ad acquirendum, quod spirituale est, vel annexum spirituali, ut jam declaravimus.

53 Ex hac ergo vera et communi resolutione descendo ad legem Venetorum, quam nunc in particulari expendimus. Non obscure colligitur ex vi et tenore verborum intolerabilem continere errorem, multoque magis damnabilem esse quam sit ea, de qua hactenus ostendimus communius reprobari. Declaratur ac probatur, nam in primis universaliter, absolute et sine ulla limitatione prohibet bona immobilia ad pias causas testamento seu donatione inter clericios relinquere aut quovis alio titulo, sive ad eorum favorem ultra certum tempus expressum obligare, id est ultra duos annos, ut in quadam narratione facti authentica declaratur. Hæc autem verba expresse ac directe continent usurpationem jurisdictionis : nam piæ causæ sunt materia, et directe pertinent ad spiritualem potestatem ecclesiæ, et ideo leges civiles possunt directe circa eas disponere, nisi fortasse in favorem earum; et quidquam circa illas disponunt contra canones, irritum est, ac nullum; ut est communis sententia doctorum cum Glos. in capite relatum, de testam.; ubi Corar num. 1 et 13 ac communis sententia docet, causas pias ad judicem ecclesiasticum per se pertinere, et per leges canonicas esse judicandas; et Ab. Barbat. Antin. et alios ibi refert Bart. Salicet. et Fortun. Item Bald. in s. 1 de sacr. eccles. Fel. in cap. ecclesiæ sanctæ Mariæ, de constit. n. 31. Hostien. in sum. de testam. § Qualiter conficiantur, ver. verum ipsis causis, ait servandum jus canonicum et ideo circa bona relicta ecclesiæ etiam esse servandum. Consentit Abbas in. c. Quod clericis de for. compet. n. 9. Qui addit in n. 13 cum Anton. ibidem id esse verum non solum in bonis jam incorporatis ecclesiæ, sed etiam in incorporandis, si sunt relicta per legata vel per testamenta. Et colligitur non obscure ex concil. Trident. sess. 22, c. 5 de reformat. Idemque sumitur ex c. 1 de immunit. ecclesiæ in 6 et ex aliis decretis 12, q. 1 et 13, q. 2. Ex quibus et constat dispositionem hujus legis esse contra omnes canones disponentes de piis legatis, eorumque observationem.

56 Deinde verba illa ex ea parte, qua simpliciter prohibent ne talia bona ad pias causas relinquantur, sunt contra æquitatem et pietatem naturalem et contra bonum commune et contra usum legum omnium, non solum canonicarum, sed etiam civilium. Prior pars constat, quia disponere de his bonis in opera pietatis per se bonum est ex objecto, ut constat; et in illa amplitudine pii operis tam multa bona opera includuntur tamquam utilia, immo et necessaria communi bono, ut totum illud genus operum simpliciter, et sine limitatione prohiberi non possit ratione aliqua sustentari honesta. Ergo talis prohibitio ex objecto mala est, et contra naturalem æquitatem; lex enim humana, prohibens opus de se bonum sine cogente causa, contra rationem naturalem existit. Item etiam est illa lex contra commune bonum : quia hæc pia opera, etiam ex bonis immobilibus facta, maxime necessaria sunt reipublicæ; nam ex illis aluntur pauperes, curantur ægroti, redimuntur captivi, sublevantur animæ. Item sæpe accidere potest ut multi non habeant pecuniam, aut alia mobilia bona, quæ pro anima sua relinquant præter domum, vel vineam; quo ergo jure hi sunt simpliciter prohibendi, si filios non habeant, nec aliter impediti sint, ne talia bona ad pias causas relinquant? Adde jura omnia maxime piis causis favere cap. Nos quidem, cap. Relatum 1. cap. Cum esse, de testamentis. Ubi notant glossæ et doctores omnibus modis caveri, ne legata pia caduca vel invalida fiant. Quod etiam notavit Barth. in L. Pater Tusculanum ff. de legat. 3 et Bald. in L. post mortem c. de fidei commissis. Unde pium legatum incertum solvi jubetur arbitrio episcopi, ut notat Cardin. in Clemen. Quia contigit. de religiosis, dom. et legatum pium peti posse etiam ante aditam hæreditatem dixit Baldius in L. 1, C. communia, de successionibus; et alia similia multa traduntur de favore piarum causarum a doctoribus in his locis. Ergo lex, simpliciter prohibens omnia opera pia ex bonis immobilibus, plane exorbitat ab omni ratione, et pietate; ac subinde ex vi talis dispositionis damnabilis est.

57 Unde non potest hæc lex comparari cum illa, quæ relinquit liberum, ut possint legari vel donari ecclesiis hæc bona immobilia cum limitatione; tum quia per illam legem saltem non prohibetur, quin talia bona relinquantur ad opera pia, sicut per hanc, quam tractamus, sed solum limitatur modus, quo id fieri possit, scilicet dando illa ecclesiis, ut saltem intra tempus a lege designatum vendere illa possint et

pretio frui. Deinde illa lex non omnino excludit quin talia bona perpetuo possint sub dominio ecclesiæ retineri; sed modum in hoc ponit, scilicet ut requiratur licentia principis, qui debet esse paratus ad dandam illam, quando sine præjudicio majori reipub. id facere potuerit. Hoc in illa lege Venetica non additur; imo cum postea illa limitatio adjungitur circa personas clericorum (ut statim dicemus), plane significatur respectu ecclesiarum seu communitatum perpetuarum non esse talem licentiam sperandam; unde talis lex ex vi ipsius materiæ, et ultra defectum potestatis longe intolerabilior est. Etenim ad hunc rigorem leniendum addunt prædicti senatores in illa epistola : *Cum licentia senatus posse stabilia bona emendo comparare et acquirere*. Sed cum in ipsa lege hæc non contineantur, sed contrarium potius indicetur, id satis esse non potest ad legem ipsam honestandam, præsertim quia non solum ad emendum, sed et acquirendum quovis licito et religioso modo licentia danda esset, quandocumque oportuerit. Item considero conditionem illam in præsenti casu censeri posse moraliter impossibilem, tum propter affectum, quem senatus ille ostendit ab his operibus satis alienum et adversum, tum etiam quia in universum ea, quæ pendent ex voluntate principis supremi, judicantur difficilia in principatu reipubl., ubi multorum consensus requiritur; et in materia, concernente commodum temporale proprium, merito conditio illa reputatur impossibilis, ac subinde inutilis ad leniendum ecclesiarum gravamen. Denique quidquid sit de medio retinendi perpetuo talia bona, potestas disponendi de illis ad pias causas plane prohiberi non debet, sed et libera relinqui absque tali conditione, quia est intolerabile gravamen, et a pietate alienum, ut ostensum est.

58 Tertio ponderandum est in hac lege quod in ea de personis eccles. additur : *Prohibuisse ne hujusmodi bonorum immobilium alienationes in favorem personarum eccles. sine senatus licentia fiant*. Nam hæc ampliatio insolita est; et ubi aliquid illius legis vestigium invenitur, non congruit cum ratione talis legis; quæ est ne bona hæc immobilia perpetuo eripiantur a potestate et dominio civium laicorum, et ita paulatim ad ecclesiam transeant. Hæc enim ratio solum habet locum in congregationibus perpetuis, seu in hominibus manus mortuæ (ut vocantur); et ideo solum respectu illorum postulari solet amortizatio, quæ auctoritate principis fiat. At vero personæ eccles. non habent manum mortuam, sed alienare possunt bona sua immobilia, et ab illis possunt facile et multis modis ad laicos redire : unde quoad hoc æquale videtur cum laicis : quare speciali modo contra libertatem eorum fit, cum sine causa eis imponitur gravamen in acquirendis bonis, quod aliis civibus non imponitur. Unde hæc dispositio quoad hanc partem videtur expresse contra cap. ult. de immunit. eccl. in 6°. Dicet aliquis, licet in his personis non habeat locum ratio illa de perpetuitate seu amortizatione, habere aliam de exemptione fori et tributorum, quam ratione personarum consequuntur talia bona, saltem pro eo tempore, quo durant sub dominio ac possessione clericorum. At profecto hoc ipsum convincit et ex hoc capite hoc esse indirecte agere contra libertatem clericorum, ut superiori libro, cap. 15, ostensum est. Nam per hoc indirecte tollitur ipsamet exemptio et libertas, quia ita fit onerosa per hujusmodi legem, ut melius sit carere illa exemptione, quam privari libertate et aptitudine ad comparandum hæc bona hæreditario jure per aliquem contractum et dependere in hoc a senatus voluntate. Est et contra libertatem clericorum qui per hoc fiunt timidiores.

59 Quarto (quod caput est omnium) hæc lex facta est ab illa republica usurpando sibi supremam potestatem ad illam faciendam sine dependentia ulla a pontifice summo, et sine recognitione quod ab illo corrigi potuisset vel emendari : quod quidem est contra libertatem ecclesiasticam et ut pertinentem ad ipsum pontificem summum, quia est contra potestatem ejus, ut visum est. Quod autem eo animo lex illa facta sit, eventus postea subsecutus satis demonstrat. Potuitque intelligi ex nimio rigore verborum legis et ex pœnarum exaggeratione et ex conjunctione cum aliis decretis, et actionibus ejusdem reipubl. Quapropter, esto possint domini Veneti ante monitionem pontificis per aliquam ignorantiam seu inadvertentiam excusari, vel a tam gravi culpa vel saltem contumacia contra jura, tamen post admonitionem pontificis, nullam possunt habere excusationem. Nec in hoc allegare possunt

exempla catholicorum principum. Nam licet aliqui tentaverint similem legem facere, nullum (quem ego legerim) afferre possunt, qui contra pontificis actualem prohibitionem talem legem retinere ausus fuerit, (de catholicis loquor); itaut nulla lex ab aliis intentata tam universalis, tamque pietati et libertati ecclesiasticæ contraria inveniri videatur.

60 Jam vero ex dictis facile intelligitur excusationem vel defensionem illius legis parvi esse momenti. Et prima quidem, quæ est communis apud auctores prioris sententiæ supra relatæ, et quasi fundamentum cæterarum, in primis non procedit respectu singularum personarum ecclesiasticarum, ut ostendi, et ideo quoad hanc partem non justificat legem. Deinde ad cavendum illud incommodum non est necesse ut talia bona simpliciter prohibeantur expendi vel applicari ad pias causas, ut et ostensum est et per se est evidens. Quod enim detrimentum possit afferre laicis vel reipubl. civili, quod bona aliqua stabilia pro maritandis virginibus, orphanis et pauperibus perpetuo deputentur vel ad educandos in virtute et studiis pueros pauperes, et similia opera conficerentur? Eo vel maxime, quod licet non sint perpetuo retinenda talia bona in ecclesia, possunt illi pie relinquî; ergo illa ratio non satis est, ut talis prohibitio absolute fiat. Denique (ait Peckius supra) quis umquam vidit ante hujusmodi leges latas ecclesiam, monasteria et collegia omnium rerum immobilium possesssiones ad se traxisse? Certe illud incommodum nec frequens est, nec probabiliter imminebat Venetorum reipub., ut propter illud vitandum legem adeo insolitam et pietatis operibus repugnantem condere necessarium esset. Quod si tam magna sit necessitas, cur pontifici summo non illam ostendent ac comprobabunt, ut debito ordine ac moderatione, in pace et obedientia ecclesiæ remedium adhibeatur? Ut enim recte dixit Ostiensis in d. c. ult. de rebus ecclesiasticis non alien. ad hanc ipsam rationem respondendo : Si domini temporales nimis graventur, debent recurrere ad papam juxta c. adversus de immunit. eccles., et ipse apponet consensum, sicut facere debet, quia justa est petitio. Hæc ille : quapropter, ut dicebam, licet ratio illa potuerit culpam in principio minuere aliquomodo et colorare, ad excusandam contumaciam in illa retinenda contra pontificis jussa non subjiciendo illam judicio et moderationi illius, nihil conferre potest. Unde ulterius notare possumus, quod licet daremus controversiam inter duas illas opiniones, supra relatas, circa leges aliqua ex parte similes probabilitatem aliquam habuisse, nihilominus, si pontifex summus posteriorem opinionem practice eligendam indicaret, et secundum illas similes leges revocaret, donec, per ipsum causa cognita et probata, confirmarentur, omnes principes catholicos fore obligatos ad parendum illi, et non utendum tali lege sine illius approbatione; tum quia (ut ostendi) materia hæc ad ipsum pertinet; tum et quia (ut supra similiter probatum est) in his controversiis judicium est penes pontificem summum, quando ad tollenda scandala et divisiones inter populum et clerum necesse est aliquid stabile et certum practice statuere. Si ergo in universum de omni tali lege hoc verum est, multo profecto magis locum habet in hoc casu et in hac lege, cum tanta offensione ecclesiasticarum personarum et piarum causarum edita.

61 Secunda, tertia et quarta ratio non jus ostendunt, neque factum probant, sed exaggerant, et ideo uno verbo respondere possemus, ut coram legitimo prælato ac judice ostendant grave damnum vere reipublicæ imminere, nisi ecclesiis vel ecclesiasticis personis in acquirendis his bonis immobilibus modus aliquis ac terminus præfigatur, vel necessarium esse ad suæ reipublicæ conservationem ut in posterum hoc non fiat nisi cum debita moderatione; et hinc ad prælatum ecclesiæ pertinebit remedium adhibere. Respondendo vero ad singulas, dicimus ad secundam propter opera pia non spoliari rempubl. bonis temporalibus : hactenus enim spoliata non est, nec in futurum probabiliter timeri potest; quapropter rara sunt hæc opera perpetua, et refrigescente charitate semper erunt rariora. Dicimus et populum non omnino spoliari his bonis, etsi ad perpetua pietatis opera applicantur; quapropter (ut supra dicebam) ex illis aluntur pauperes, curantur ægri, et divinus cultus ac ministeria ejus sustentantur; quæ omnia cedunt in magnum bonum ipsorum civium. Præterquam quod ecclesiasticæ personæ non sunt alienæ a laicis, sed ex laicis fiunt, et cum illis magnam conjunctionem habent.

Unde fit ut bona ipsa ecclesiæ sint in magnum adjumentum et subsidium civium etiam conjugatorum, quia interdum eorum filii ex eis aluntur, et vivendi remedium accipiunt, vel dum religiosi fiunt, vel dum ecclesiasticum beneficium obtinent, vel dum a cognatis clericis adjuvantur, et interdum ac sæpe plus quam oporteat.

62 Ad tertiam dicitur defectus illos ecclesiasticorum, qui ibi exaggerantur, non esse novos, sed a principio nascentis ecclesiæ fuisse, ut de suo tempore refert Hieronymus cit. epist. ad Nepotianum; et satis fuse prosequitur card. Baronius L. 4 Annal. anno 370, versus finem § at quoniam de lege nova etc. Et nihilominus multis sæculis sine hujusmodi legibus conservata fuit respublica christiana; neque inde aliquod grave detrimentum sensit. Nec est verum quod in his provinciis aut regnis, ubi ecclesiastica bona majora incrementa habuerunt, hæc provenerint ex solertia et cupiditate ecclesiasticorum, sed ex magna principum pietate et gratitudine ad Deum propter insignes victorias et alia divina beneficia in eos collata. Et quo ipsi liberaliores erga ecclesiam in hoc fuerunt, eo regna ipsa majoribus divitiis et honoribus abundarunt.

63 Ad quartam rationem nihil fere addendum censeo, quia solum in verbis posita est magis ad mordendum et detrahendum oppositis, quam ad persuadendum; nam quod ecclesiasticos vocant personas otiose viventes, nec vere nec pie dictum est. Multi enim, et pro majori parte sancte vivunt; sancte autem vivere non est otiose vivere, etsi de illis sit sermo, qui in otio sancto vivunt. Multi enim religiose vivendo non otiosi sunt; nam in suo sancto otio pro Dei ecclesia plus laborant quam hi, qui pondus temporalis reipub. sibi sustinere videntur. Deinde miror cur dicant viri prudentissimi ecclesiastica instituta frui bonis, sanguine nostrorum progenitorum comparatis; ac si ipsi ecclesiastici ex iisdem progenitoribus esse non soleant, nec ejusdem patriæ cives, sed peregrini quidam et extranei. Denique quod ad recognitionem attinet (nam hoc et in illa ratione attingitur), jam dictum est, si bona immobilia habeant onera realia, illa et ab ecclesiasticis persolvi. Præterquam quod in necessitatibus publicis semper ecclesia succurrit reipub. ut notum est, solumque præcipit, ut id fiat servata subordinatione debita et ecclesiastica immunitate, cap. adversus, de immunit. eccl. Ergo sine fundamento dicitur, et exaggeratur hoc temporalis reipublicæ nocumentum, quasi ruitura sit, nisi per hujusmodi leges ei subveniatur.

64 Ad id vero, quod quinto loco allegatur de consuetudine aliorum regnorum, primo dicitur illa non esse tam antiqua, quantum in favorem quartæ sententiæ proponebatur: nam lex illa Valentiniani, cujus Hieronymus et Ambrosius meminerunt, non impediebat, quominus ecclesiæ possent prædia aliaque stabilia acquirere; solum enim contra clericos et monachos captores hæreditatum, easque suo ministerio et obsequio occupantes lata fuit, in favorem non solum civium, sed magis ecclesiarum, quas illi defraudabant. Et hoc significat Hieronymus cum ait: Sit hæres, sed mater filiorum, id est gregis sui ecclesia, quæ illos genuit nutrivit et pavit. Quid nos inserimus inter matrem et filios? Clarius Ambrosius ait. Sed referunt ea quæ vel donata, vel relicta sunt ecclesiæ, non esse temerata. Imo in favorem talium legatorum piorum, quæ ecclesiis aut communitatibus religiosis, vel pauperibus relinquuntur, videtur specialiter lata ab eodem Valentiniano et Martiano lex generalis de sacros. eccles. Itaque successio vel acquisitio numquam est ecclesiis denegata, sed privatis clericis et monachis abusus aliquot, qui eo tempore increbuerant, ut late Baronius prosequitur Unde non simpliciter prohibebantur illis acquisitiones, sed sub hac forma verborum: Censemus, ut memorati, scilicet ecclesiastici, viduarum ac pupillorum domos adeuntes, nihil de ejus mulieris, cui se privatim sub prætextu religionis adjunxerint, liberalitate quacumque, vel extremo judicio possint adipisci. Ubi non solum immobilia bona, sed et mobilia eis hoc titulo donari aut relinqui prohibentur, quæ tamen inferius capere permittuntur, ut propinqui justo titulo ac velle donantis. Fuit ergo lex illa longe dissimilis, ex diverso fine ac fundamento lata. An vero lex illa conveniens eo tempore fuerit, et legitima potestate facta, parum ad rem præsentem refert. Certe illustris. Baronius refert a Damaso jussum esse in ecclesiis promulgari. Unde suspicatur, eo instigante, fuisse factam, ac subinde sentit fuisse convenienter in illa opportunitate, quod solum possibile erat.

Alii vero illam ut injustam damnant, referuntque numquam fuisse usu receptam; sed potius a suomet auctore paulo post fuisse revocatam. Quidquid vero sit, clarum est nullum in lege illa fieri posse fundamentum.

65 Circa consuetudines autem vel leges aliorum regnorum, latas a principibus sæcularibus, profecto esset et inutile singula facta et leges civiles expendere; pendet enim ex variis historiis et vix aliquid certum in facto ipso statui potest. Ideoque breviter dicimus primo nobis non constare in aliquo regno catholico inveniri legem similem illi Venetiis editæ; quod si fortasse sit, iniquam et invalidam esse, ac delendam; quia verisimile non est a pontificibus esse approbatam, cum sit pietati ac religioni multum contraria, ut ostensum est. Secundo dicitur, si in aliquo regno invenitur aliqua lex concernens eamdem materiam, lata vero cum majori moderatione, credendum esse ex consensu papæ, consideratis circumstantiis, vel a principio factam vel postea confirmatam et sustentatam esse, quia in tali provincia inveniuntur circumstantiæ, quæ talem legem tali modo factam, accedente papæ auctoritate, honestare possunt. Prima autem conditio et maxime necessaria est ut ecclesiæ et loca pias sufficienter dotata sint. Alia ut opera pia etc. de immobilibus non simpliciter impediantur, sed modus aliquis prudens et moderatus in eis definiatur. Tertia ut probabiliter credatur necessariam esse talem moderationem, ut cives laici non graventur nimium hujusmodi alienationibus, neque ultra mensuram destituantur ac priventur bonis immobilibus.

66 Ad hunc modum creditur introducta lex, quæ in hoc regno Lusitaniæ habetur in dicto lib. II, tit. 18 ordin. hujus regni. Referturque tempore Alfonsi III regis et Honorii III pontificis apostolicum breve fuisse expeditum, quo approbata est concordia inter regem et clerum circa dictam legem. Ego vero nec litteras apostolicas videre potui, nec majorem certitudinem in hoc invenire, quam communem famam et probabilitatem, quam res ipsa secum affert; quia certo scio maximam bonorum immobilium partem hujus regni ecclesiis et piis locis donatam esse, et reges hujus regni semper in his donationibus ac piis operibus fuisse liberalissimos pariter ac piissimos, et in usu ipso intellexi semper fuisse valde faciles et promptos ad suum consensum præstandum, quotiescumque ab ecclesiis vel monasteriis postulatur ad hæc immobilia acquirenda. Immo etiam intellexi, quando bona non sunt aliquo modo regalia, quæ vulgo *requengos* appellant, facile conniveri, etsi absque licentia emantur vel alio modo acquirantur et retineantur. Unde verisimiliter colligo pontifices intellexisse hanc legem in hoc regno non esse onerosam ecclesiis vel alioqui intervenire hic peculiarem necessitatem propter indigentiam populorum, ideoque ab iis fuisse approbatam, vel expresso consensu, vel generali aliqua licentia ponendi in hoc aliquam limitationem cum consensu cleri et prælatorum. De regnis aliis (Castella et regno Valentiæ excepto) veritas est non esse in eis talem legem, immo ex actis in multis comitiis regni constat, licet sæpius fuerit a regno talis lex postulata, semper reges catholicos respondisse, se curaturos, ut summi pontificis auctoritate fiat.

67 In regno Valentiæ dicitur esse quædam lex similis legibus Gallicis, quibus amortizatio regia postulatur, ut possint hujusmodi bona ecclesiis acquiri. Cujus amortizationis fundamentum est (ut auctores supra allegati et alii asserunt) quia reges Galliæ habent dominium directum talium immobilium, vi cujus potuerunt onus illud talibus bonis imponere. Quod et de regno Valentiæ affirmat Vellaga. Hoc autem ideo non habet locum in aliis regibus et principibus, ut supra dictum est. Et ita et solvitur obiter argumentum, quod hic facere solent auctores scientiæ, a pacto ad legem arguendo, quia privata persona potest sua bona dare vel legare sub conditione, ut non dentur ecclesiis; ergo et principes possunt per legem illam conditionem ponere. Negatur enim illatio, quia in rigore non fit illatio bona a diversis, ubi non intercedit eadem ratio. Hic autem est diversa, quia privatus dominus rei potest de illa disponere, ut voluerit; rex autem non potest ita disponere de bonis civium, quorum non est dominus; et ideo in illis bonis, in quæ rex habet speciale dominium, permittitur illam legem ferre, quia jam non fert illam ex sola potestate regia condendi leges, sed ex speciali dominio super talia bona; secus ergo est in aliis

communibus civium, quæ libera seu de allodio esse dicuntur.

68 Ad sextam denique rationem, qua ostendere nituntur esse in repub. potestatem ad legem similem ferendam, in primis jam ostensum est legem illam, prout lata est, non utcumque de temporalibus bonis tractare, sed ut possint esse materia seu instrumenta ad opera pietatis facienda, et ut sic prohibere usum illorum, quod extra omnem humanam, nedum civilem potestatem est; sicut si lex civilis prohiberet laicos testari ad opera pia et de bonis mobilibus. Allegari et posset illam solum disponere de materia temporali, scilicet de personis laicis, et eorum bonis temporalibus etc. Quo non obstante, certissimum est potestatem civilem ferentem talem legem usurpare jurisdictionem; quia opus ipsum prohibitum spirituale est, et ad bonum animæ Deive cultum spectat. Idem ergo est, etsi prohibitio fiat restricta ad bona immobilia. Item si lex civilis disponeret, ut nemo laicus ordines susciperet, vel religiosus fieret sine licentia regis, eo prætextu, quod civilis respublica nimium minuitur præsidio militum vel aliorum temporalium ministrorum, lex illa iniqua esset, quia in speciali disponeret, et Dei servitium impediret, sicut in simili lege Mauritii declaravit Gregorius papa lib. II, epist. 61, illum graviter reprehendendo; et illam tacite revocandam præcepit, scilicet milites non recipi in religione sine sua licentia, ut habetur in c. monasteriis 19, q. 3 ex libr. VIII, epist. 23; et aliter lib VII, epist. 2, eam limitat, dicens milites non debere temere admitti in religione, sed vita eorum subtiliter inquisita etc., ut habetur etiam in cap. Legem, d. 33; quibus satis ostendit talem materiam ad ecclesiasticam potestatem pertinere. Idem censeo si princeps prohiberet fieri ex argento calices aut vasa ecclesiæ pretiosa, eo prætextu ne respublica in paupertatem deveniat; hæ namque leges et similes etiam videri possent in materia temporali et humana proxime versari, et nihilominus alienæ sine dubio sunt a potestate temporali, quia attingunt illam materiam, ut annexam actu vel potentia rebus spiritualibus; quo modo pertinet potius ad potestatem spiritualem; ita ergo in præsenti dicendum est.

69 Unde tandem constat falsum esse, quod quidam dicere ausi sunt, non minus posse temporalem regem prohibere laicis sibi subditis, ne vendant immobilia bona clericis, quam possit eis prohibere, ne vendant illa non subditis forensibus seu omnino extraneis. Quia (inquiunt) non magis sunt privilegiati clerici et ecclesiastici circa humana commercia cum laicis, quam alii non subditi. Quod probatur quia hæc communicatio in commerciis non est de jure speciali privilegiatim clericorum, sed est de jure gentium, quod commune est omnibus non subditis. Si ergo non obstante illo jure valida est prohibitio alienationis immobilium in non subditos laicos forenses, etiam erit valida in non subditos clericos cives. Dico autem falsum omnino et contra rationem esse fundamentum illud, quod assumitur, et aperte repugnans cum c. vult, de immunitate, in 6, et cum naturali ratione, quia clerici et ecclesiastici, licet subditi non sint principi sæculari eo modo, quo sunt laici, nihilominus sunt veri cives et membra illius reipub. Ergo non sunt æquiparandi cum subditis non forensibus in excludendis vel admittendis illis ad omnia commercia. Deinde falsum etiam est, quod in probatione assumitur, quia clerici contra jus gentium habent hanc naturalem æquitatem in favorem suum, quod pars non debet privari indebite et sine causa communicatione cum aliis partibus, et præterea habuit generale privilegium, ut non priventur hoc communi commercio cum aliis; ut constat ex jure civili lib. I de reb. eccles. non alien. cum similibus. Denique falsum est non esse contra libertatem ecclesiasticam privare clericos etiam illa libertate, quæ ex jure gentium illis debetur, ut satis ostensum est in sup. lib. cap. 15; satis ergo evidens est et constat omnibus dictam legem Venetorum ecclesiasticæ libertati contrariam extitisse.

CAPUT IV.

An lex civilis, prohibens ædificari ecclesias, monasteria, hospitalia et alia loca pia sine licentia principis sæcularis, deroget ecclesiasticæ libertati.

70 Hæc est tertia lex a senatu Veneto edita, quæ in prædicta bulla his verbis

refertur : Et sub die decima Januarii 1605, ad superiora quædam consilia, ab eorum majoribus, ut etiam asserebant, habita, respicientes, quibus cavebatur, ne quisquam, sive sæcularis, sive ecclesiasticus, in urbe Venetiarum ecclesias, monasteria, hospitalia, atque alias religiosas domus, et pia loca sine eorum speciali licentia fundaret, et erigeret : in consilio rogatorum congregatus iterum decrevisse, ut id eamdem in omnibus jurisdictionis eorum locis vim obtineret, et præterea exilii, ac perpetui carceris, et publicationis fundi, venditionis quoque ædificii, contra secus facientes pœnam edixisse. Hujus etiam legis mentionem faciunt iidem magnifici senatores in epistola ad populos sibi subjectos, sæpe allegata; eamque legitimam et convenientem esse his fere verbis suadent : « Sæpe contingit, ut sub specie et velamine religiosi habitus peregrini homines, et reipubl. hostes civitates et castra ingrediantur ibique domos ædificent sub nomine ecclesiarum vel oratoriorum in locis minime tutis, nec statui aut securitati reipublicæ convenientibus; ergo expedit ad bonum reipubl. regimen ut domus hujusmodi sine consensu senatus ædificari non possint. Justa ergo est lex, quæ hoc præscribit. Item sub eodem colore ædificandi pia et religiosa loca varii et peregrini mores, et reipubl. commodis contrarii, introduci possunt, cum magno ejusdem reipubl. detrimento vel periculo. Ergo hoc etiam titulo justa est lex. Tertio si hæ domus multiplicari sinantur, adeo crescet religiosorum numerus, ut solitæ eleemosynæ et opera pia illis commode sustentandis non sufficiant; quod cedet in magnum gravamen et incommodum antiquarum religionum, quarum meritis et precibus respublica ipsa hactenus conservata est ac defensa. Ergo ad vitandum hoc incommodum merito lex illa lata est. Quarto non eo animo hæc lex lata est ut ecclesiarum et templorum constructio omnino prohibeatur, cum in statu Veneto in majori numero, quam in quolibet alio christiani orbis loco multiplicata sint, sed ut senatus conscius sit novorum operum et ædificiorum totius provinciæ sibi subjectæ, cum ad ipsum pertineat eam immunem et securam conservare. Merito ergo lata est hæc lex propter reipublicæ securitatem et communem utilitatem.

71 Qui attente discursum harum rationum attente consideraverit, duo facile animadvertere poterit, quæ ad causam præsentem non parum conferunt. Unum est nihil in eis attingi de potestate sæcularis reipublicæ ad ferendas leges in tali materia; quod eo majori animadversione dignum est quod in altera lege, quam in superiori capite expendimus, ubi occasionem aliquam invenit serenissimus senatus suadendi se habere potestatem condendi legem illam, id non tacuit, dicens legem illam versari circa bona laicorum, potestati laicæ subjecta etc. Hic vero nullam rationem suæ potestatis seu jurisdictionis ad legem illam in tali materia faciendam indicavit, ob eam fortasse causam, quod aperte videret materiam hujus legis canonicam esse et per expressa verba ejus indifferenter dirigi ad personas ecclesiasticas non minus quam ad laicas, et sub iisdem gravissimis pœnis; unde videtur senatus supponere, si ob rationes politicas judicaverit suo statui expedire de quibuscumque rebus vel personis ecclesiasticis disponere, sibi non deèsse supremam potestatem, nulli alteri in terris subordinatam et subjectam; a qua, ne tales leges condat, prohiberi possit. Aliud in illis rationibus considerandum est, omnes esse mere politicas, et majori ex parte desumptas ex timore quorumdam nocumentorum temporalium et tristium eventuum, qui adeo sunt extrinseci, remoti et insoliti, ut excogitari posse valeant potius quam juste timeri. Rationes autem, ad cultum Dei, et spirituale animarum commodum et pauperum levamen pertinentes, omnino omittuntur, cum tamen ex his talium legum honestas potissimum pensanda sit. Cum ergo ad legis æquitatem duo potissimum requirantur, potestas legitima illam condendi, et honestas ac convenientia legis, ex utroque capite ostendemus legem illam iniquam esse, meritoque ab apostolica sede fuisse reprobatam; unde facile constabit rationes illas politicas ad legem honestandam nihil momenti habere potuisse.

72 Primo ergo dicimus legem illam injustam, et nullam fuisse ex usurpata jurisdictione. Probatur quia in illa lege disponunt laici in materia non laica, nec communi, sed mere canonica; ergo usurpant jurisdictionem et nihil faciunt. Consequentia evidens est ex omnibus dictis in

præcedenti cap. et in lib. 1, cap. 15, et ex decisione expressa canon. in cap. ecclesia sanctæ Mariæ et c. quæ in ecclesiarum, de constitutione cum similibus. Suppono autem (quod sæpe jam dixi) catholicum principem et senatores sentire non posse, sibi esse integrum aut licitum contra sanctos canones leges condere. Antecedens igitur ostenditur expendendo tres circumstantias illius legis. Prima est quod ecclesias et omnia loca pia et religiosa, quoad eorum constructionem, subjicit potestati et voluntati principis sæcularis et laici; hoc autem contrarium esse sacris canonibus clarius est, quam ut aliqua indigeat probatione. Nam loca pia et religiosa maxime ecclesiastica sunt, et sub cura sunt et protectione pastorum ecclesiæ, ut constat ex toto tit. de religiosis domibus, et ex tit. de eccles. ædificand. etc. d. 1, de consecrat.

73 Decitur fortasse hæc loca jam constructa esse materiam canonicam et sub ecclesiæ cura, non vero ecclesias vel pia loca, nondum ædificata, sed ædificanda. Sed hoc eisdem canonibus repugnat; in eis enim disponitur, quibus in locis, qua dote, quo consensu ecclesiæ sint ædificandæ, ut patet in c ecclesias 16, q. 7, ubi Clemens papa inquit : Ecclesias per congrua facite loca; ubi Glossa exponit, id est ut non sit periculosus locus, nec prædonibus aut periculis expositus. Hoc ergo ad canonum sollicitudinem pertinuit. Item in c. eccles. et c. nono de conser. d. 1, de licentia papæ vel episcopi ad ecclesias ædificandas in locis exemptis, vel non exemptis, et illam sufficientem esse significatur; immo per se pertinere ad episcopale jus ordinarium, nisi privilegium pontificis intercedat, traditur in c. pastoralis, de privilegiis, ut notat Panormit. in c. 2 de ecclesiis ædificandis in fin. Quin potius generalis regula juris est, ut nullus locus sit sacer, nisi autoritate pontificis vel episcopi constructus et dicatus sit, et e converso quod illius auctoritas ad sacrandum locum sufficiat, juxta c. adhuc de religios. domibus. Ubi Panor. advertit, nec hospitale dicatum ad curandos pauperes censeri locum sacrum et pium, nisi auctoritate episcopi approbatum sit, et similiter locum, in quo aliquis sepelitur, non esse sacrum, nisi per episcopum sit ad illius munus deputatus. Et in hoc ait esse jus civile per canonicum correctum; quod etiam affirmat Decius in c. quant. de judi. n. 9, et ibi Filin. n. 4 et expresse Glos. referens jura in c. in ecclesiastico 15, q. 2; quæ etiam ait, terram fieri sacram et religiosam auctoritate pontificis. Juxta quam doctrinam considerandum occurrit, quod secundum antiquum jus civile locus fiebat sacer, quum princeps dedicabat, vel dedicandi facultatem dabat, ut dicitur in l. sacra ff. de rev. divi. Ubi Glossa notat illud habuisse locum inter gentes, quando imperatores simul erant pontifices vel pontificibus superiores; nunc autem, ubi distinctæ sunt potestates, ad pontificem spectat illa facultas; et quia pontifex absolute supremus princeps est, ipse solus est, ad quem hæc dispositio specialiter pertinet; et ita etiam leges civiles christianorum imperatorum solam episcopalem vel pontificum auctoritatem in hoc negotio requirunt, ut constat ex Ant. Gen de ecclesiasticis tit. c. 4 et 2, et similia habentur in legib. Hispaniæ part. 1, tit. 10, l. 1 et 2. Ergo lex civilis, quæ in hoc limitat pontificum potestatem, mittit falcem in alienam messem. Denique omnia, quibus capit. præced. ostendimus pias causas esse spiritualem materiam, probant idem de piis locis, ut per se constat.

74 Sed respondere possunt in ecclesia vel quolibet loco pio necessario supponi aream seu fundum, in quo possit domus construi, et illud distingui ab ipsa domo, sive constructa, sive construenda; jura ergo citata ita loquuntur de ecclesia ipsa, vel sacranda vel dedicanda publico usui divini cultus; fundum autem, qui ad illam supponitur, est aliquid materiale seu temporale, supra quem respublica habet dominium et peculiare jus. Ergo nullam injuriam facit ecclesiæ respublica statuendo ut in illo suo fundo non erigatur ædificium, etiam sacrum vel sacrandum, sine suo consensu et voluntate. Etenim si fundus esset alicujus privati domini, non posset episcopus vel pontifex illum occupare et facere ut benedicatur vel consecretur in ecclesiam. Respublica autem habet majus jus super omnia ditionis suæ loca; ergo potest statuere ut in terris suis non fiant ecclesiæ sine consensu suo. Respondemus ex parte fundi, quatenus valorem aliquem habet, et sub dominio alicujus esse potest, clarum esse, non posse ibi ædificari sacram domum cum injuria domini; quod quidem adeo observat ecclesia, ut Greg. valde reprehen-

dat eos qui in synagogis Judæorum ecclesias fundarunt et consecrarunt ipsis invitis, eisque satis fieri præcipiat, cap. comperimus 14, q. 6, ut ipse latius explicat in l. 4, indict. 20, epist. 38. Sed hoc parum referet ad honestandam legem prædictam, quia sæpe potest ecclesia habere fundum proprium, in quo vel hospitale vel collegium aliquod sacrum ædificare velit. Sæpe etiam potest ex bonis suis illud emere a privatis dominis. Aliquando vero dominus fundi potest illum ecclesiæ donare, ut in eo locus pius ædificetur, vel consentire ac petere, ut domus sua in monasterium consecretur. Quæ omnia prohibet lex hæc, et sine jure ullo sub reipub. voluntatem totum negotium constituit. Nam respub. non habet proprium dominium omnium locorum seu fundorum existentium in ditione sua, quia non habet proprietatis dominium (ut vocant) totius provinciæ suæ, sed habet vel quoddam quasi universale dominium, quod altum vocant, quod ad præsentem actionem nihil deservit; vel habet potestatem jurisdictionis, quæ ad hunc actum non extenditur, ut ostensum est. Unde si aliqui principes, ut de rege Gallico ferunt, habent dominium proprietatis in fundum universum sui regni, ita ut a nullo occupari possit, nisi ab ipso vendatur, vel donetur, ibi non poterit ædificari locus pius sine illius consensu, non propter jurisdictionem, sed propter dominium, nec propter hanc vel similem legem civilem, sed propter naturale jus non occupandi alienum, invito domino. Interdum vero posset ecclesia compellere ad vendendum vel designandum locum aptum pro ecclesia ædificanda, si ad animarum spiritualem salutem necessarium est, quia potestas ejus spiritualis ad hoc extenditur, ut ostensum est, et videri potest Tiraquel. tract. de pia causa privil. 67.

75 Ulterius vero in illa lege considerandum est, quod expresse extendit prohibitionem ad personas ecclesiasticas, et quantum est ex generalitate verborum, comprehendere episcopos, et quoscumque ecclesiæ prælatos; unde constat saltem ex hac parte per legem hanc usurpari a laicis jurisdictionem in ecclesiasticos. Dicent fortasse legem civilem, communem laicis et clericis, utrosque obligare posse, etiamsi utrosque expresse nominet, quia si indefinite et generaliter lata utrosque obligare potest, quod in particulari clericos nominet simul cum laicis, non facit illam injustam, ut notavit Covar. in 4, decret. p. 2, 6, in prim. n. 20, cum Fortunio tract. de ultim. fin. illat. 14; sed illud vel factum est, vel intelligendum ad summum, quando legis civilis materia est, habetque naturalem æquitatem communem omnibus civibus, et non cedit in peculiare præjudicium clericorum, neque est contra canones. At quando materia legis est canonica, eam expresse clericis prohiberi per sæcularem potestatem peculiarem habet deformitatem, et offensionem ecclesiasticæ immunitatis, ut notavit Ostien. in c. ult. de rebus. eccles. non alien. n. 5, in fine, indicans hoc non posse fieri sine sacrilegii crimine juxta c. Nulli et cap. prædia 12, q. 2. Ostensum autem est materiam hujus legis esse canonicam, de qua lex civilis disponere non poterat. Ergo. Et declaratur amplius : nam ex vi illius legis prohibetur episcopus hospitale aliquod v. gr. erigere et approbare, parochiam dividere, novamque ecclesiam constituere, ubi judicaverit expedire; at hoc est contra expressos canones c. Ad audientiam, de eccles. ædific. et in Trid. sess. 21, c. 4 de refor. Dices per illam legem non prohiberi hoc episcopis simpliciter, sed ne id faciant sine senatus consensu. Sed contra. Nam hoc est contra liberam episcoporum facultatem, quam a canonico jure, et ratione sui muneris habent. Et præterea, inquiro, quid fiet, si senatus neget licentiam et episcopus judicet expedire ad bonum animarum, ut ecclesia ædificetur? Est ergo talis lex sine jurisdictione imposita ecclesiasticis personis, quibus hoc munus incumbit. Et ratio est quia hæc actio per se ordinatur et sæpe necessaria est ad salutem spiritualem animarum; in qua re non pendent ecclesiastici pastores a laica potestate.

76 Sed respondere possunt legem illam non dirigi ad ecclesiæ pastores, sed ad privatos cives, tam laicos quam ecclesiasticos, ne ex bonis suis temporalibus fundent aut erigant ecclesias. At vero in hoc sensu explicita lex fere coincidit cum præcedenti seu est quasi pars ejus, eisdemque rationibus reprobanda est, quia saltem est contra libertatem ecclesiasticam; nam licet bona, ex quibus pius locus est, temporalia sint, tamen jus et potestas ad hunc actum est spiritualis, ac subinde, quidquid est ibi temporale, est spirituali annexum, atque

ita tota illa est materia canonica. Item quia actus ipse, quem illa lex prohibet vel subjicit sæculari potestati, est actus pertinens ad libertatem ecclesiasticam, quam declaravit potius, quam dedit Constantinus, cum licentiam dedit ecclesias per totum orbem ædificandi; quam licentiam non possunt restringere Veneti, quia postea venerunt, et ingressi sunt ecclesiam sub eo foro (ut ita dicam), quod jam possidebat. Præsertim cum illa potestas et libertas de jure divino esse videatur. Tum præterea quia ipsemet actus, per illam legem prohibitus, communis pietatis est et necessarius ad commune bonum spirituale et ad cultum Dei; et non solum laicis, sed expresse clericis ille prohibetur, quod habet peculiarem deformitatem.

77 Tandem considero pœnam gravissimam, quæ in hac lege violatoribus ejus imponitur. Nam hoc etiam titulo peculiarem deformitatem et nullitatem habet; tum in universum, quia propter actum bonum et ad divinum cultum, vel charitatem proximorum pertinentem, pœnam imponit sine ulla rationabili causa, cum pœna cadat super injustam prohibitionem; tum etiam specialiter ex parte, qua cum ecclesiasticis loquitur, quibus pœnam imponere non potest lex civilis, cum in eos non habeat vim coercivam; tum etiam quia lex civilis, in materia ecclesiastica disponens, peculiarem habet nullitatem, si pœnam adjungat, ut intelligi potest ex his quæ late tradit Felin. in cap. ecclesia sanctæ Mariæ de constit. num. 55, versu limita quarto, cum sequent. et Panor. ibi, et C. ult. de secund. nupt. tum denique quia, si ecclesia ver. gr. auctoritate episcopi ædificetur sine consensu senatus, vere est locus sacer et Deo dicatus : non enim potuit lex civilis annullare actum episcopi, quem lex canonica approbat. Tenet ergo factum, etiamsi lex civilis repugnet. Quomodo ergo poterit habere ibi locum pœna publicationis fundi et venditionis sacri ædificii, cum id sit contra sacros canones, disponentes ut quod semel Deo dicatum est, in profanos usus converti non possit? His ergo rationibus lex illa nulla est ex eo capite quod sine jurisdictione et potestate legitima facta est.

78 Secundo vero adjungo legem illam etiam esse nullam ex defectu æquitatis, honestatis et communis utilitatis, in ipsamet materia et dispositione talis legis invento. Hoc imprimis ostendi potest ex eo, quod templi Dei ædificationem prohibet; quod de se opponitur divino cultui et spirituali utilitati fidelium; atque ita est alienum a traditione ecclesiæ, ut constat ex cap. Futuram ecclesiam 12, q. 1 et ex c. Boni principis, dist. 96, et ex aliis multis, quæ hac de re adduximus in III tomo de sacram. disp. 81, secti. 1 et 2, et quæ congerit Durant. lib. 1 de ritibus eccles. c. 2. Augetur vero plurimum hæc ratio ex eo, quod non solum ecclesiarum erectiones et ædificationes vetat, sed etiam omnium piorum seu sacrorum locorum constructiones evertit dicta lex. In quibus xenodochia sacra collegia, domus ad educandos orphanos, vel pauperes docendos, omniaque similia opera comprehenduntur : at hæc omnia in universum prohibere profecto æquum non est, nec consentaneum ecclesiasticæ pietati, consuetudini vel disciplinæ, nec pertinet ad commune bonum ecclesiæ, sed illud potius maxime impedire potest.

79 Fortasse vero dicent Veneti se non prohibere hunc actum, sed ne fiat sine licentia senatus; non esse autem contra pietatem prohibere ne opus pium fiat, ut notavit Joann. Cup. tract. de libert. eccles. q. 4, n. 7. Respondetur in primis non esse simile, quia licentia vel approbatio superioris legitimi juxta exigentiam materiæ vel actionis interdum merito postulatur; in præsenti autem materia prælatus ecclesiasticus, non vero laicus, est legitimus superior, ut ostensum est. Deinde in his locis piis erigendis est necessaria approbatio prælati, ut illa inter loca sacra et ecclesiastica computentur, et privilegiis ecclesiasticis gaudeant et ut sint tamquam loca publica ad sacras actiones vel pietatis opera destinata. Quod per se est valde consentaneum rationi naturali; unde etiam antiquo jure civili observatum est, ut supra notavi, quia ea, quæ sacra et publica sunt, auctoritate sacra et publica debent institui et probari; alias multa inordinata fierent. Per hoc autem non prohibentur fideles, quominus vel hospitale privatum in suis domibus erigere, vel privatum oratorium ad privatas tantum orationes habere possint, ut ex eisdem canonibus et doctoribus constat. At respublica civilis nullum habet jus imponendi hoc onus subditis suis et ecclesiæ, ut sine suo consensu loca pia erigere non possint,

unde licet simpliciter non prohibeant, magnum impedimentum ponit pietatis operibus, et affectus subditorum ad ea opera retardat, ut non parum scandali eis præbere possit. Ac denique in effectu multa alia bona opera ob hanc legem impedirentur propter difficultatem petendi talem facultatem et majorem obtinendi, ut supra cap. præcedenti in simili ponderatum est.

80 Sed ajunt hoc fuisse conveniens propter vitanda temporalia reipub. incommoda; verumtamen hanc nullius momenti esse ad usurpandam jurisdictionem in præcedenti capite satis superque declaratum est. Nam quoad hoc eadem est in præsenti ratio. Quod vero nec ad æquitatem ipsius legis secundum se spectare sufficiat, patebit respondendo ad rationem in principio inductam.

81 Prima ratio sumebatur ex periculo ne inscio senatu fiant moles, et ædificia securitati reipubl. contraria, et in locis parum tutis reipubl. immunitati etc. Verumtamen, ut ego existimo, periculum hoc nec morale est, nec tam frequenter contingens, ut ob eam rem necessaria vel conveniens fuerit prohibitio, etiamsi alias ex legitima facultate fieri permitteretur, quia illi incommodo satis provisum erit, si gubernatores civitatis invigilent, ut ubi sacrum ædificium in loco non tuto ædificari viderint, admoneant episcopos, qui facile remedium adhibebunt. Addebatur vero in illa ratione sæpe sub specie religiosi habitus hostes et inimicos reipublicæ introduci posse. Et hoc ipsum inculcatur, et exaggeratur in ratione secunda; quia hoc titulo introduci possunt varii et perniciosi mores in republica. Sed in primis est profecto admiratione dignum, quod a religiosis viris hoc timeant detrimentum, et ab infidelibus, quos ex paganis, judæis et hæreticis in magna multitudine ad habitandum perpetuo et conversandum in sua civitate admittunt, nihil timeant. Deinde in aliis regnis catholicis et in suo etiam ducatu per tot annos ædificatæ sunt ecclesiæ, et monasteria fundata, et religiosæ personæ ad ibi habitandum et suis moribus vivendum admissæ sine hac lege, et nullum inde periculum creatum est reipublicæ. Atque nunc nulla est nova ratio fingendi hunc timorem. Est ergo vanus hic prætextus ad ecclesiasticam immunitatem evertendam, vel potestatem spiritualem sensim usurpandam. Denique si quid esset periculi, per ecclesiasticos prælatos sufficienter provideri potest.

82 Quæ ultima responsio magis in tertia ratione necessaria est; nam revera, quod in ea consideratur, magis morale est, nimirum ne multitudine religiosorum adeo populi graventur, ut vel antiquæ religiones necessariis careant alimentis, vel cives sine magno suo incommodo tot religiosos alere non valeant. Sed respondetur facile propter hanc causam non fuisse necessariam legem civilem, neque ad illam hoc pertinuisse, sed ad sacros canones et pontifices, qui variis modis circa hoc providerunt, ut constat ex concil. Tridentino, sess. 25, c. 3; ubi ordinatur ut in monasteriis regularium non plures religiosi habitent, quam possint commode ex propriis reditibus vel consuetis eleemosynis sustentari, et ut deinceps nova monasteria non erigantur sine episcopi licentia. Et Clem. VIII speciali constitutione anni 1603 addidit ut ordinarii non possint hanc licentiam dare, nisi vocatis et auditis locorum prioribus, seu procuratoribus et aliis interesse habentibus, et sufficiente informatione habita, qua constet novum monasterium sine aliorum detrimento commode sustentari posse. Et simili modo, cum opus fuit, superiores pontifices opportunum remedium adhibere curarunt, ne ex hac multiplicatione piorum locorum similia incommoda sequerentur, ut videre licet in constitut. 34 Clem. VII, et in 42 et 72 Pii IV et 30 Pii V. Ad pontifices ergo hæc providentia pertinet, et, si nova occurrerit necessitas, ad eos recurrendum est, non ad leges civiles, quæ ecclesiasticum ordinem perturbant. Tandem in quarta ratione commendatur in primis pietas et liberalitas antiquorum Venetorum in ædificandis magnificis ecclesiis et piis locis; quod liberaliter admittimus, prætermissa comparatione cum aliis regnis et provinciis, quod invidiam parere potest, et probari non facile potest. Tamen ex illa consuetudine et pietate suorum progenitorum debuissent inferre, non fuisse a se talem legem condendam, quæ ab avita pietate non parum degenerare videtur. Illi enim sine hac lege et sine his humanis trepidationibus, quæ nunc finguntur vel excogitantur, libere ac liberaliter ecclesias et monasteria construxerunt, et religiosos plurimos in suo ducatu admiserunt,

et aluerunt, et tamen nec inde fuerunt mores reipub. corrupti sed potius correcti, nec securitas aut libertas reipub. periculum subiit, sed potius religiosorum precibus conservata est et defensa, ut ipsemet serenissimus senatus confitetur. Cum ergo nulla nova ratio vel causa nunc occurrat, non est, cur nova impedimenta pietatis operibus apponant; nec sufficiens excusatio est, quam in eadem ratione subjungunt, quod non animo impediendi sacrarum ædium erectionem eam legem tulerint, sed animo suam rempublicam tuendi. Nam ad justitiam legis non satis est non habere pravam intentionem, sed supponenda in primis est potestas. Deinde quando lex per se expetibilis non est, sed solum propter cavendum periculum, oportet ut periculum verum ac morale sit, et medium sit aptum, et christianis moribus consentaneum; quæ omnia si attente considerentur, in hac lege deficiunt. Ergo merito per apostolicam sedem reprobata est. Non omittam autem hoc loco iterum admonere, quod in aliis notavi (licet ante interpositam auctoritatem pontificiam excusari possent aliquo modo illius legis auctores, quod bona fide vel ex aliqua ignoratione illam fecissent,) nihilominus post contradictionem pontificis reprobantis legem illam, et jubentis eam a capitularibus deseri, nullam probabilem excusationem ad resistendum habere posse; quia pontifex, etiamsi res esset dubia, habet jus declarandi et præcipiendi, quid communi ecclesiæ bono expediat, quidve possit a potestate civili statui in his, quæ pietatem et spirituale bonum ecclesiæ concernunt. Reprobando autem legem illam declarat vel esse contrariam ecclesiasticæ immunitati, vel non promovere pietatem, sed illam potius impedire, ac subinde communi et spirituali reipublicæ bono proficuam non esse. Est ergo illi omnino parendum; nec contumacia in illa lege retinenda excusari potest.

CAPUT IV.

Utrum censuræ, a sanctissimo Domino nostro contra Venetos latæ, aliquo apparenti titulo injustæ ac invalidæ judicari possint, ita ut sufficeret ad excusandos in conscientia illos, contra quos latæ sunt.

83 Quamvis propositæ quæstionis decisio ex hactenus dictis evidenter colligatur, quia vero et dux Venetiarum, et senatores, aliique eorum vel consiliarii vel fautores nimia libertate et exaggeratione in suis epistolis et libellis contra breve pontificium loquuti sunt, necessarium existimavi omnia subterfugia, quæ vel ipsi attingunt vel ego excogitare potui, distincte proponere et aperte ostendere sine ullo fundamento, ex sola temeraria audacia et contumacia esse loquutos. Licitum enim nobis est hac libertate uti pro defendenda erga apostolicam sedem reverentia debita, et catholica veritate tuenda, quæ sine dubio illis scriptis tacite impugnatur. Dux ergo prædictus in epistola, quam Manifestum vocant, ad prælatos sui districtus sic ait: « Cum cognoverimus præfatum breve contra omne jus et æquum emanasse, et contra ea, quæ divina scriptura, sanctorum patrum doctrina, sacrique canones præcipiunt, in præjudicium auctoritatis sæcularis, a Deo nobis traditæ, et libertatis reipublicæ nostræ, cum perturbatione tranquillæ possessionis bonorum, honoris et vitæ, quibus fideles subditi nostri divina gratia sub nostro regimine fruuntur, non sine magno scandalo promulgatum fuisse; prædictum breve non modo, ut injustum indebitumque, verum etiam uti nullum nulliusque roboris, aut momenti nobis habendum esse non dubitamus. Atque ita invalidum, irritum, ac fulminatum illegitime et de facto nulloque juris ordine servato. » Senatores autem in fine epist. suæ non sine contemptu hæc de pontifice proferunt verba: « Cum animo esset perversis consiliis indurato, statuit ac decrevit contra nos fulminare interdicta, tametsi injusta, et suis solis ac vulgaribus armis contra nos uti, quibus non dubitamus nullum nobis posse præjudicium afferri, cum apud divinam majestatem justi-

tia nostra manifesta sit.» Hanc vero istorum principum persuasionem ex pravis aliquorum theologorum vel canonistarum consiliis manasse, præterquam quod per se est verosimile, ex illis octo propositionibus cujusdam theologi, cujus nomen tacetur, manifestum est, ut statim referemus; et postea alii libelli ex Venetia prodierunt, ut nobis innotuit, (illos enim videre non potuimus,) quibus contra pontificium breve et ejus censuras cum totius orbis scandalo proclamatum est. Quantum vero ex his, quæ legimus et audivimus, conspicere potuimus, quo plus isti contendunt sacra vincula enodare et disrumpere, eo magis illis constringuntur, et ut censuras effugiant mali in graviores incidunt; et (quod pejus est) etiam in apertos errores contra sanam doctrinam prolabuntur.

84 Ut igitur apertissimis argumentis hoc ostendamus, supponamus ex quatuor capitibus posse censuram aliquam esse nullam : primo ex defectu potestatis jurisdictionis, quia cum ferre censuras sit actus jurisdictionis, si jurisdictio desit, actus est injustus et nullus, ut per se notum est. Secundo ex defectu materiæ seu causæ, ut siquis innocens excommunicetur, vel si feratur interdictum sine causa legitima; nam hoc etiam est contra divinum jus : potestas enim non est data in destructionem; et ideo Christus cum dixit : *Si ecclesiam non audierit*, supposuit, *si peccaverit in te frater tuus*. Tertio ex incapacitate ejus in quem censura feratur, ut si excommunicetur paganus non baptizatus, vel aliquid simile. Quarto si debitus ordo non servetur, ut siquis excommunicetur, monitione non præmissa, atque adeo nondum contumax, vel siquid aliud ad ordinem substantialem pertinet, quod ex doctrina de censuris petendum est, et inferius, quod necessarium fuerit, attingemus. Ad hæc enim quatuor capita revocantur conditiones omnes, quæ ab auctoribus postulari solent, ut facile consideranti constabit, et ratione declarari potest; quia si agens habet sufficientem virtutem, et passum est capax, ac sufficienter applicatum et dispositum, et nihil est quod impediat, sequetur effectus, supposita voluntate operandi in causa libera, ut in præsenti supponitur. Hæc autem omnia hic concurrunt, si nulla illarum conditionum desit : ergo et censura valida erit. Solum ergo ex aliquo defectu illorum quatuor potest censura esse invalida : minor probatur. (Cætera enim clara sunt). Quia si adsit in ferente censuram sufficiens potestas et jurisdictio, jam agens habet virtutem activam sufficientem; consequenter supponitur censuram debere fieri in subditum, qui sit capax censuræ, et per subjectionem sit sufficienter applicatus, atque per causam, sufficientem ad censuram, sit quasi proxime dispositus ad illam; unde si servetur debitus ordo, nihil esse potest quod impediat effectum. Ergo illa quatuor sufficiunt ad valorem censuræ; ergo; e converso tantum ex aliquo illorum defectuum potest censura esse invalida.

85 Primo ergo dicimus absque errore in fide dici non posse has censuras pontificis fuisse invalidas ex defectu potestatis in pontifice ferente illas. Probatur; quia de fide est pontificem habere jurisdictionem in omnes fideles baptizatos; et quantum ex parte suæ potestatis posset quemlibet ligare censuris, si cætera necessaria ex parte aliarum causarum concurrant. Hoc satis probatum est in L. 1, præsertim cap. ult. nec oportet in hoc iterum immorari, quia cum catholicis agimus, non cum hæreticis; atque ita neque Veneti ipsi hanc causam nullitatis allegant, nec theologi, qui eorum patrocinium assumpserunt, illam opponere ausi sunt.

86 Dum autem hæc scriberem, libri duo ad manus meas pervenerunt, alter illustriss. cardinalis Bellarmini, alter religiosissimi viri et sapientissimi theologi Joannis Antonii Bonii contra fr. Paulum Venetum novum immunitatis et libertatis ecclesiasticæ impugnatorem doctissime scripti. Ex utroque autem colligo Paulum illum gravem aliquem errorem in hoc puncto tacite disseminare cœpisse. In lib. enim cardin. Bellarm. lego predictum Paulum ausum esse oppugnare decisionem Innocentii III, vel (quod perinde est) dixisse illam esse coarctandam, quia non est in universum verum, quod Innocent. III ait in d. c. *Novit* de judiciis : *Non intendimus judicare de feudo*, et infra : *Sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus*. Hanc ergo tam generalem potestatem videtur auctor ille impugnare. Nam cum pontifex ait *in quemlibet*, supremos etiam reges temporales absque dubio comprehendit; nam id præmittit, ut inferat

etiam contra regem Galliæ potuisse illam ferre in causa de qua tractabat; et ita statim adducit Valentiniani, Theodosii et Caroli exempla; et in eodem sensu dicit inferius potestatem pontificis non esse ab homine, sed a Deo, et ideo ad correctionem omnium etiam regum extendi. Si ergo ille theologus ausus est dicere hanc apostolicam declarationem et doctrinam non esse universaliter veram, plane sensit pontificem non habere potestatem ferendi censuras contra rempublicam in temporalibus supremam, etiamsi ex parte culpæ vel peccati sufficiens causa intercessisset; ac subinde etiam ex hoc capite censuram nullam fuisse. In altero vero libro in ultima ejus parte lego eumdem Paulum asseruisse prælatos etc. charitate debere subditos corrigere juxta illud Petri : *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum,* tacite exponendo verbum *Pascite* de solo exemplo et doctrina seu monitione ex charitate; quod hæretici faciunt excludendo actum coactionis, et proprie dictæ jurisdictionis, sine qua censura fieri non potest.

87 Hæc vero doctrina plane hæretica est, ut in superiori lib. c. ult. sufficienter attigimus, et inter catholicos satis est notum. Quod si frater ille revera in illo errore non versatur (nihil enim illi imponere volumus), errat gravissime, limitando, aut explicite vel tacite reprehendendo infallibilem Innocentii III decisionem. Neque satis video, quam limitationem, quæ ad causam præsentem pertineat, ille addere possit, nisi vel doceat, ab illa universali regula, *si ecclesiam non audierit* etc., excipiendos esse reges vel supremos principes temporales, vel forte ex parte peccatorum, seu culparum aliquas esse excipiendas : neutrum vero subsistere potest. Et de posteriori quidem parte paulo inferius dicam. Prior vero limitatio ex parte personarum sine aperta hæresi adhiberi non potest, non solum quia est expresse contra textum illum, sed etiam quia est contra supremam potestatem pontificis ad regendas omnes animas fideles sine ulla distinctione vel exceptione. Quæ est eadem cum potestate *pascendi*, data illi a Christo (Joann. 21); sub quo verbo *pascendi*, etiam regimen præceptivum et punitivum seu coactivum includitur. Nam officium pastoris hæc omnia requirit, et verbum ipsum in usu scripturæ, et in propria vi totum hoc includit, ut supra lib. 1, c. ult. tactum est; ubi etiam auctores copiosius hoc demonstrantes indicavimus; unde vel in pernicioso sensu vel satis extra rem et causam, de qua tractavimus, alia verba Petri adducuntur. Nam si ad hoc afferantur, ut inde colligatur solos illos duos actus pascendi per vitæ exemplum et charitativam correptionem pertinere ad potestatem prælatorum ecclesiæ; sensus est hæreticus, ut dictum est; unde glossa ibi addidit : *Sicut Dominus Petro totius gregis curam habere jussit, ita Petrus sequentibus ecclesiæ pastoribus jure mandat ut eum quisquam, qui secum est, gregem Dei sollicita gubernatione tueatur.* Si vero solum afferantur ad persuadendum debere juxta convenientem modum regiminis illa duo præcedere, priusquam ad rigorem flagellaque veniatur, non solum omnino extra rem sed etiam impudenter (ut quod est simpliciter dicam) adducuntur. Dico extra rem adduci, quia Petrus ibi non monet pastores, ut non interdum cogant gregem, sed ut ipsi non coacte pascant, et quasi inviti ad vitandum inopiam, sed spontanee secundum Deum, id est propter amorem Dei; quod declarans subdit : *Non turpis lucri gratia, sed voluntarie* etc. ut glossa et omnes intellexerunt. Addo vero contra omnem rationem et debitam modestiam afferri, quia solum videntur induci ad pungendum pontificem, qui magno vitæ exemplo ecclesiæ præest, et in hoc negotio, servato integre ac prudentissime toto charitatis ordine, processit, ut mox dicemus.

88 Secundo dicimus præceptum pontificis et censuras ab ipso latas habuisse sufficiens fundamentum ex parte causæ et actionum reipublicæ Venetæ, ac subinde neque ex hoc capite habuisse defectum nullitatis. Assertio est adeo certa, ut contraria non solum improbabilis, temeraria, et scandalosa sit, sed etiam erronea censeri possit; non quidem ex illo fundamento, quod papa in facto aliquo particulari errare non possit, ut aliqui oppugnatores sibi confingunt, ut habeant, quod impugnent; sed quia non potest affirmari nullitas illarum censurarum ex hoc capite, nisi deducendo rationem et discursum ad principia quædam erronea, et alia veritatibus receptis contraria; quod facile demonstrabitur, applicando breviter doctrinam in superioribus

probatam. Nam quod usurpatio jurisdictionis contra ecclesiasticos in potestate mere temporali, gravissimum peccatum sit, de fide certum est, sicut est de fide esse peccatum rapere alienum, vel reges usurpare jurisdictionem in alterius regnum. Quod vero in hoc facto Veneti usurpaverint jurisdictionem, vel incarcerando ecclesiasticas personas, vel ferendo supra tractatas leges, tam evidens est, supposita notorietate facti, ut excusari non possint, sicut jam cum effectu non excusantur, nisi reducendo excusationem ad dogmata et principia, contraria vel fidei, vel sanæ doctrinæ. Qualia sunt, quod principes sæculares sint ita supremi in temporalibus, ut eorum jurisdictio vel usus ejus non possit limitari, vel in particulari prohiberi per potestatem supremam spiritualem, etiam in ordine ad spiritualem finem contra verba Christi Domini : *Quodcumque ligaveris;* et *Pasce oves meas.* Item quod nunc de facto clerici non sint exempti a potestate coerciva principum temporalium, nisi pro illorum arbitrio, seu (quod perinde est) in communibus delictis; non vero in gravioribus, ipsorum principum arbitrio determinandis, contra cap. *Quæ in ecclesiarum,* de constit. cum aliis de immunit. eccles. et de rebus eccles. non alien. præsertim c. *Cum laicis.* Item quod potestas civilis possit juste privare personas ecclesiasticas actionibus et juribus, communibus aliis civibus contra c. ult. de immun. eccl. in 6. Item quod valeat eadem potestas civilis opera pietatis fidelibus omnibus et in particulari clericis prohibere, aut contra privilegia talium operum disponere contra ipsum naturale lumen, et contra cap. *Relatum* 1 cum similibus de testam. Cum ergo nec negari possit actiones, in quibus dicta censura fundatæ sunt, fuisse contrarias his principiis, nec possint a peccato excusari, si principia illa vera esse et canones ecclesiasticos validos esse ad obligandum admittatur; ut illud fundamentum tollatur, hæc etiam dogmata catholica evertuntur. Ergo illa excusatio non solum improbabilis, et temeraria, et scandalosa est, sed etiam errores contra fidem virtute continet.

89 Dicere potest aliquis non satis esse actionem illam esse peccaminosam, ut certum sit per illam datum esse sufficiens fundamentum talium ac tam gravium censurarum, cum tanta perturbatione nobilissimæ reipublicæ et scandalo totius ecclesiæ, nam pœnæ debent esse proportionatæ delictis. Hanc enim responsionem ex eodem Veneto in dictis libris indicatam invenio. Ferunt namque illum scribere : *Christum excommunicationis usum propter peccata, quæ animæ nocent, ordinasse, eaque peccata numerasse* Paulum cum 1 Corint. 15, dixit : *Si is, qui frater nominatur, inter vos est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum his nec cibum sumere.* Et ex his principiis concludit censuras, contra Venetos latas, esse nullas; et subjungit in hoc factum pontificis et similia rite convenire verba Christi : *Væ vobis, qui decimatis mentham et anethum, et cyminum, et reliquistis, quæ graviora sunt legis, judicium et misericordiam et fidem.* Matt. 23. Sed mirandum profecto est hominem theologum et religiosum ita obcæcari, ut ob rationes politicas et humanas veræ theologiæ judicium pervertat. Quid est enim, quod ait, usum excommunicationis esse propter peccata, quæ detrimentum animæ afferunt? Numquid peccatum aliquod est, quod non afferat animæ detrimentum? Quod si per detrimentum animæ mortem ejus intelligit, numquid peccatum usurpandi jurisdictionem et vim inferendi clericis veniale est? Dicet fortasse non esse comprehensum in numeratione Pauli. Ergo solum propter illa peccata in specie ferri potest excommunicatio! ergo propter homicidium non potest quis excommunicari, nec propter hæresim, nec propter perjurium aliave similia peccata! quod dicere stultum et erroneum est. Quod si sub illis peccatis alia similia, vel majora, aut æquivalentia intelligantur, certe usurpatio jurisdictionis in actionibus prædictis gravius multo peccatum est, quam simplex furtum vel avaritia. Quamquam non immerito et avaritia, et furtum non simplex, sed sacrilegum, ibi intervenire dici possit, ubi ecclesiæ propriis privantur bonis et juribus. At vero ille Venetus nihil horum intendisse videtur, sed dicere voluisse excommunicationem debere ferri propter peccata (illa enim nocent animæ); Venetos nihil peccasse (hoc enim paulo post scripsisse ferunt.) Atque ita in majori versatur errore, nec legis judicium habet, quia ratione culpæ, non ex lege Christi et ecclesiæ, sed ex utilitate politica (quam rationem status vocant) metitur. Est ergo in illa

actione gravissima culpa, et digna censura, præsertim interveniente contumacia; de qua mox in quarto puncto dicemus. Ergo pontifex ferendo illam censuram rationem legis divinæ et canonicæ tenuit, et fidem dispensatoris fidelis servavit, prudenterque severitatem cum misericordia conjunxit, ne gravius damnum in universam serperet ecclesiam, si in tanta contra libertatem ecclesiasticam publica violentia conniveret, ut in fine capitis iterum dicam.

90 Tertio assero censuras pontificias latas esse in eos, qui erant illius capaces; ideoque etiam ex hac parte non habuisse defectum nullitatis. Hoc tam clarum est ut videri possit supervacaneum; tamen quia prædictus Paulus servita (ut referunt) ausus est calumniari, quod excommunicatio lata sit in rempublicam, id est in communitatem, quæ excommunicari non potest juxta cap. *Romana*, de sent. excom. in 6; ideo prætermitti omnino non debuit, licet objectio frivola sit, etiamsi gratis admittamus hanc excommunicationem. Est enim in primis communis doctrina, prohibitionem factam in illo cap. *Romana* de jure positivo esse, et novum jus continere, ut probant satis verba illa : *Penitus prohibemus*. Unde etiam inter doctores controversia est, an illa sit tantum prohibitio, vel etiam ablatio jurisdictionis, et consequenter an excommunicatio lata in universitatem valida sit quoad personas culpabiles, licet sit indebito modo lata, quando ab illo fertur, qui juri canonico subjectus est, vel etiam sit nulla. Nam quod sit valida affirmant ibi Glossa, quam sequitur Imol. in c. capitulum, de rescript. circa fin. et Anani. statim referendus, Angel. verbo *Excommunicatio* 1, n. 61; esse autem nullam tenet Richar. in 4, d. 18, art. 3, q. 3 et Sylvester. ver. *excommunicatio* 1, n. 10; et illam esse communiorem canonistarum sententiam dixit Alexand. in additione ad Abbatem in cap. *dilectus* 2, de simonia n. 12; et sumitur ex Felin. in cap. *dilectæ* de exceptio. n. 6. Omnes tamen supponunt illam esse dispositionem juris canonici; nam ante illud jus valebat excommunicatio lata contra universitatem, quoad personas culpabiles, etiam ab inferioribus lata, ut sumitur ex cap. *dilectæ* de exceptio. Unde etiam est certum, nunc quoque valere excommunicationem sic latam a papa, quia jus positivum non potest ita obligare pontificem, ut irritet ejus factum, ut specialiter Sylvester notavit.

91 Addimus prætera excommunicationem hanc latam a pontifice summo in illa verborum forma, in tali casu, et cum talibus circumstantiis, non solum valide, sed debito modo latam esse. Ut enim adnotavit Felin. in cap. *dilectæ* de exceptio. n. 1, vers. *limita tamen etc.* quando constat omnes de universitate esse in dolo, culpa et contumacia, optime possunt omnes excommunicari nomine aut collective; citatque ad hoc Anani. in c. *dilectus* 2, de sim.; et sumitur etiam ex Lincol. loco citato. Hoc autem maxime habet verum, quando sententia fertur a supremo judice, qui considerat rationem et finem legis potius, quam verba, quibus ipse non ligatur. Et in hoc facto constabat satis pontifici omnes senatores Venetos, nemine discrepante, in eam sententiam conspirasse, pertinaces exstitisse tum per assertionem legati Veneti, qui hoc pontifici affirmaverat, ut ex facti narratione authentica nobis constat, tum ex effectu ipso, quia nullus publice revocavit aut denegavit suffragium, nec aliquo modo se ostendit paratum obedire pontifici, prout tenebatur. Hac ergo de causa optime potuit pontifex verbo collectivo uti; et fortasse ideo id fecit, ut ostenderet quam certus et plane informatus esset de omnium et singulorum inobedientia, et ut omnibus omnem occasionem tergiversandi et protendendi varias excusationes adimeret, quia in foro ecclesiæ nullam habere poterant, cum omnes aut singuli tenerentur obedire.

92 Denique addimus, etiamsi in verbis illis, *ipsos pro tempore existentem ducem et senatum*, licet vox illa *senatus* collectiva sit, ex adjunctis satis declarari, quo sensu et in qua significatione accipiatur; et non esse considerandum ad ferendum judicium de valore et justitia censuræ, materiale verbum; nam quod collectivum nomen capituli seu universitatis interdum accipiatur ad significandum omnes, qui sunt in capitulo, et de illis universis aliquid prædicandum, ex communi modo loquendi constat; qui maxime locum habet, quando personales actiones capitulo tribuuntur, ut si dicamus totum capitulum audire, vel cantare missam, vel aliquid simile. Quod ergo in verbis illis ita sumendum sit, præterquam quod materia subjecta id postulat, ex adjunctis verbis constat; additur

enim : *Ducem et senatum, et eorum fautores, consultores, et adhærentes, et eorum quemlibet, etiamsi non sint specialiter nominati, quorum tamen singulorum nomina, et cognomina præsentibus pro expressis haberi volumus, ea nunc, prout ex tunc, et e contra, excommunicamus, et excommunicatos denunciamus, ac declaramus*; nihil profecto clarius dici poterat. Unde etiam intelligitur quod, licet ibi non exprimatur conditio vel limitatio de senatoribus, qui fuerint participes delicti, quia non est existimatum necessarium, cum de re satis constaret, nec conveniens, nec videretur in dubium revocari, quod erat certum, nihilominus conditionem illam ex natura rei subintelligi; et paulo inferius in alia clausula ejusdem bullæ satis significatur, cum de illo casu, in quo contingit aliquem senatorem excommunicatum in mortis articulo censura absolvi et postea convalere, dicitur : Is in eamdem sententiam reincidat, nisi mandatis nostris, quantum in se erit, paruerit. Hæc ergo eadem exceptio haberet locum ante excommunicationem incursam, in quocumque, si quantum in se fuisset, mandatis pontificis obedivisset. Quando ergo senatus excommunicatur, intelligitur, quod omnes rebelles et contumaces, quales supponebantur esse omnes, qui tunc in senatu hanc causam tractabant; quorum nullus in hac parte satisfactionem ecclesiæ dedit, nec, quantum in ipso fuit, mandatis paruit.

93 Quarto asserendum est prædictas censuras debito ordine ac modo latas esse, ac proinde ex hoc capite nullum habere posse defectum nullitatis. In hoc etiam invenio objectiones factas esse a novis reipub. advocatis seu patronis; ipsi tamen inter se non consentiunt. Theologus enim ille (qui hactenus nominatus non est, at jam vero Joannem Marsilium vocari ex responsis cardinalis Bellarmini intelleximus) in sua proposit. 7 hæc habet verba, loquens de hac sententia pontificis : Est nulla ejus sententia, non solum de jure positivo, quia ordo per canonem de sent. excom. in 6 præscriptus, servatus non est, sed etiam de jure divino etc. At vero hanc posteriorem causam juris divini sumit ex defectu culpæ et peccati, propter quod censura feratur, quia putat nullum in hoc negotio ex parte senatus Veneti intercessisse : in quo quam erret gravissime, sæpius in superioribus ostensum est. In priori vero parte non designat textum illius tituli, de quo loquatur; sunt autem varii, qui de ordine servando in excommunicatione ferenda loquuntur; unde prolixum esset de singulis dicere, ideoque breviter duo dicimus. Unum est inepte allegari jus positivum ad probandam nullitatem censuræ, a summo pontifice latæ, cum ipse non ita canonibus obligetur, quin possit formam procedendi a jure introductam non servare, non solum valide, sed etiam licite; quod est per se notum inter doctores catholicos; et ideo non oportet in illius probatione immorari. Aliud est, falsum esse, quod ille doctor affirmat de ordine juridico, in his censuris ferendis non servato, ut ex sequentibus constabit.

94 Alius ergo hujus causæ defensor Paulus servita, seu Venetus, contendit censuram fuisse nullum ex defectu prævіæ monitionis, quam putat esse de jure divino necessariam ad valorem censuræ. Hunc autem defectum intervenisse probat primo, quia prius monitorium ipsum ad ducem et rempublicam dirigebatur, nominatim ad Marinum Grimani ducem simul cum senatu; quia Marinus mortuus jam erat, quando monitorium senatui et duci postea electo præsentatum est. Addit præterea necessariam fuisse citationem, etiam ex divino jure ante sententiam, qua pontifex declaravit leges illas a Venetis factas esse nullas, et libertati ecclesiæ contrarias; quam citationem constat non præcessisse; quia in ipsa bulla statim declarantur nullæ, nulla præmissa monitione nec exspectato termino viginti quatuor dierum ibi assignato. Item arguit monitionem illam factam in bulla nullam fuisse; quia non est addita clausula justificativa : Si senserit se gravatum compareat coram nobis; quæ omnino necessaria est ad valorem monitionis juxta doctrinam Bartoli et canonistarum. Denique ait processum esse sine cognitione causæ, et damnatum esse factum detinendi in carcere ecclesiasticas personas sine communicatione causarum, quibus posset defendi; idemque esse de legibus latis; quæ omnia sunt contra jus naturæ, ac subinde actum efficiunt nullum. Sed hæc omnia varie excogitata sunt, et temere objecta : nam et in narratione facti, quam supponunt, et in explicatione juris multa continent falsa. Primo ergo ad annullandas leges, vel po-

tius ad declarandas esse nullas, nulla citatio necessaria erat; immo, si res attente consideretur, nec expediebat, nec moraliter erat possibilis. Ratio est, quia de facto ipso, id est quod leges essent latæ, non erat controversia : erat enim res notoria, quam ipsi Veneti non solum fatebantur, sed etiam defendebant. Et similiter erat notoria dispositio ac forma legum secundum propria verba et tenorem earum. Ergo ex hoc capite non erat necessaria citatio, cum citatio ordinetur ad discutiendum id, quod ab una parte asseritur et ab altera negatur, vel negari potest; supposita autem sufficienti notitia editarum legum, ad discutiendum vel examinandum an illæ sint justæ vel injustæ, validæ an invalidæ, non debuit nec potuit secundum rectum ordinem respublica Veneta citari. Etenim illud examen nec ad illam pertinet, nec rationes vel motiva, quæ ipsa habuit ad faciendum illas leges, considerare oportebat ad judicandum de valore talium legum; quia prima et præcipua ratio invaliditatis earum consistit in defectu potestatis, et consequenter in violatione ecclesiasticæ libertatis.

95 Defectus autem potestatis non erat revocandus in dubium, nec admitti poterant ad illum articulum defendendum rationes aliquæ, vel probationes reipublicæ Venetæ; quia hoc esset revocare in dubium supremam potestatem pontificis circa dispositionem rerum ecclesiasticarum. Cum ergo non minus esset clarum hoc quam factum ipsum, ad illud declarandum impertinens erat citatio partis eo vel maxime, quod illud jus, licet materialiter (ut ita dicam) nunc versetur circa illas particulares leges, tamen de se est universale et ad omnes leges civiles, similem materiam concernentes, cujuscumque regni vel principis christiani sint, pertinent; oporteret ergo omnes reges citare ad illud jus declarandum. At sicut hoc absurdum est, ita et illud prius. Et ratio a priori est, quia pontifex ad declarandum jus, servandum a principibus laicis, non indiget eorum auxilio vel suffragio; annullare autem illas leges, vel nullas declarare, nihil est aliud, quam jus canonicum seu pontificium aperire, vel proponere in tali materia ab omnibus servandum : igitur ex hoc capite nulla citatio necessaria fuit. Et ita in terminis referendo multæ tradit Felin. in cap. ecclesia sanctæ Mariæ, de constitut. n. 108; et hic etiam opinio adaptatur, quod juristæ dicunt actum non vitiari ex defectu citationis, quando actus fieri potest invitis partibus; de quo videri potest Tason. in L. *Si quando*, c. Unde vi, et quæ allegat, et Ananias cons. 29, in 1 vol. dub. 5.

96 Secundo assero in hoc negotio nullam fuisse necessariam citationem, a monitione distinctam. Monetur enim aliquis, ut obediat vel resipiscat; citatur autem proprie ut ad excommunicandum vel discutiendum causam compareat. Citationem ergo, in hoc rigore sumptam, dicimus non fuisse necessariam. Probatur, quia nec ad annullandam legem necessaria fuit, ut diximus; nec etiam ad examinandum factum de violenta manus injectione in personas ecclesiasticas. Nam cum publice constaret ecclesiasticas personas esse in carcere detentas per sæculares potestates Venetorum, ad disceptandum de hoc facto, an ita esset necne, non erat necessaria citatio. Potuit ergo et debuit statim procedi ad senatum monendum, ut adverteret se contra canonica jura deliquisse, et senatores participes illius delicti censuras ipso jure latas incurrisse; et præcipiendum eis, ut clericos detentos solverent, comminando novas censuras, et declaratione incursarum, nisi obedirent. Nam quod hic ordo sit rectus, justus et sufficiens, tam est consentaneum rationi naturali, ut vix possit in dubium revocari. Unde vanum est fingere hic aliquod jus divinum, alias citationes requirens. Nam si positivum est, ubi est scriptum? Aut ex qua ecclesiæ traditione constat? Vel si est naturale, quo discursu rationis colligitur? Aut in quo loco sacræ scripturæ insinuatur? Quod enim adducere solent ex Genesi, ubi Deus prius videtur citasse Adam et Cain, interrogans illos : *Adam, Adam ubi es? Et ubi est Abel, frater tuus?* Hoc inquam frivolum est. Illa enim non fuit quasi citatio ad desceptandam de causa, sed vocatio suavis, ut eos ad humilitatem et pœnitentiam provocaret; unde ajunt patres non tam fuisse interrogationem, quam piam increpationem. Sed de hoc alias; videantur ibi patres et alii expositores. Nec etiam est ullum jus canonicum positivum, requirens citationem in eo casu, ubi publicum est factum, et maxime ubi constabat reum ipsum non negare factum, sed velle illud defendere, ut bonum et honestum; qua facultate privari

etiam potuisset in re tam clara; tamen neque hoc fuit Venetis denegatum, ut mox dicemus. Quod vero nullum sit jus positivum hoc præcipiens, constat tum ex peritis in illo jure, tum quia nullus canon adducitur, ubi hoc præcipiatur, ut omittam pontificem illo non ligari, saltem quoad censuræ valorem, quamvis daretur; tum denique quia potius jura dicunt in manifestis non esse necessariam accusationem, c. *evidentia*, de accusationibus, et c. *manifesta* 2, q. 1. Ubi Glossa notabiliter ad rem præsentem ait *in notorio facti continui nullum juris ordinem exigi*. Tale enim est factum hoc, de quo tractamus; nam et est notorium et continuum; de quo etiam videtur esse expresse decisio in c. *Quoniam*, de Fil. presb. Ubi Glossa id notat, et plura jura adducit, et videri etiam potest Innocent. in c. *ex parte* 1, de verbor. sig. et Ab. in c. *Vestra*, de cohabit. cler. in mult. n. 18.

97 Atque hinc constat ad denunciandum publice Venetos, quod propter dicta crimina censuras ipso jure latas incurrissent, nullam citationem vel monitionem prævium fuisse in rigore necessariam; tamen ex benignitate pontificis monitionem multiplicem præcessisse. Prior pars constat ex dictis: illa enim consequenter probant, quando delictum est publicum, pro quo excommunicatio jure lata est, non esse necessariam monitionem vel citationem ad declarandum reum esse excommunicatum; et ita tradit Ab. in c. *Pervenit*. 1, de Appellat. Idem Ab. in c. *Parochianos*, de Appellat. n. 7. Ubi refert Ostien. et Joan. Andr. in c. irreprehensibilis, de Appellat. Idem in c. *Parochianos* n. 2, de sen. excom. et sumi potest ex c. *illud*, de clerico excommunicato; et c. *Bonæ* 1, de elect. ibi: *Excessus notorius examinatione non indiget*. Et sumitur etiam ex juribus et doctoribus, allegatis in præcedenti puncto, quæ in sola denunciatione majorem rationem habent; quia denunciatio neque est censura, neque est proprie nova pœna, sed sola promulgatio pœnæ incursæ: unde quando est ita nota transgressio, ut nulla excusatione defendi possit, nulla est monitionis necessitas, quia non agitur de vitandi contumacia; nec citationis, quia non datur locus dubitationi, nec disceptationi; nec denunciatio est proprie sententia, sed exsecutio; et quamvis ordinarie præcedere debeat sententia declaratoria criminis, ad quam est necessaria citatio, tamen ubi factum est notorium et maxime si etiam sit publice confessum a reo, non est necessaria talis sententia, et consequenter nec citatio, non solum ad valorem actus, ut videtur certum, sed etiam ad justitiam rigorosam, quia nullum jus ibi violatur. Quod si hoc verum vel probabile est in quocumque judice, multo magis in summo pontifice, quia si aliquis ordo sic fuisset necessarius, esset de jure humano, quia nulla ratio juris naturalis aliud postulare videtur; in jure autem humano dispensare potest pontifex.

98 Nihilominus posterior pars ex narratione facti nobis sufficienti fide et auctoritate constat; quia non solum privatis paternis monitionibus pontifex prius monuit rempublicam Venetam ut resipisceret, et facta emendaret, legesque aboleret, sed etiam rationes ejus et excusationes audivit, et vanas esse cognovit, vel fortasse etiam intellexit nimium suæ temporali potestati attribuere, et nihilominus in priore brevi, ad senatum misso mense Decembris anni 1605, non declaravit juridice et quasi exsequendo denunciationem senatores incurrisse, sed paterne monuit, et consuluit ut adverterent deliquisse se contra canones, et incidisse in eorum censuras, monuitque ut omnia emendarent, nec ipsum ad ulterius procedendum compellerent.

99 Quarto assero ad excommunicationem ferendam multiplicem monitionem præcessisse ideoque ex hac parte nullam posse apparentem excusationem allegari. Hoc satis constat ex ipsa bulla, in qua feruntur censuræ; nam ibi viginti quatuor dies designantur pro triplici monitione, præterquam quod in priori bulla alia monitio facta fuerat, ut refertur. Unde vana est objectio, quæ ab aliquibus fit, scilicet quod illa prior bulla dirigebatur ad Marinum Grimani ducem, qui mortuus est prius, quam breve in senatu publicaretur. Hoc enim parum refert, tum quia non dirigebatur ad illum solum, sed ad illum cum senatu; unde non respiciebat illius personam ratione personæ, sed ratione officii, ideoque ducem nondum electum monebat. Tum etiam, quia esto illa prior monitio non præcessisset, illa, quæ in ultimo brevi fit, sufficeret, ut constat, quidquid sit, an potuerit excommunicari pro commisso delicto sine nova monitione, quod ad præsens

non refert, et quibus omnibus constat prædictas censuras non solum validas fuisse, sed etiam justas. Patet ergo quod ad justam sententiam ac censuram nihil aliud requiritur, nisi ut causa sit sufficiens et digna, ut debito ordine feratur ab eo, qui potestatem habet; hæc autem omnia in præsenti concurrunt, ut ostensum est.

100 Dices hac ratione recte probari, considerata sola injustitia commutativa vel distributiva, non fuisse injustitiam in hujusmodi censuris : nihilominus videtur eas posse dici injustas, spectata justitia legali, quia justitia legalis respicit commune bonum, et prudentia, illi respondens, petit ut permittatur minus malum ad majus evitandum, præsertim quando publicæ et graves dissensiones timeri possunt; unde et illa gravis sententia Augustini ad Bonifacium epist. 50 : Verum in hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis periculum est, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat. Et refertur in capit. ut constitueretur, 50 d. et similia habet idem Augustinus epistola 64 ad Aurelium, et habetur in cap. *Commessationes* 44 d. et similia habentur c. *quoties* 1, q. 7, et c. *Latores* de cler. excom. ministr. et cap. ult. de transact. et multa similia facile afferri possunt. Hæc autem moderatio non videtur in præsenti negotio servata, sed nimia severitate censuræ latæ videntur cum periculo turbandi populos et regna, ut eventus ipse monstravit. Hanc objectionem multum exaggerant defensores Venetorum. Sed in primis nihil eis hæc objectio deservit ad eorum contumaciam excusandam, quia licet sententia fuisset illo modo rigorosa, servanda esset, cum valida sit respectu ejus in quem fertur : in quo casu locum habet, quod Gregorius ait in c. *contra morem* d. 100 : *Contra morem ecclesiasticum est, si non patientissime toleratur* (*quod a vobis absit*) *etiam injusta correptio.* Deinde non possunt ipsi a magna temeritate et impietate excusari, quod tam facile de sui capitis gravissimo judicio detrahant et illud imprudentiæ vel alicujus injustitiæ sine fundamento accusent. Denique ad rem ipsam respondendo, dicitur pontificem non solum non violasse legalem justitiam, verum potius muneri suo satisfacere aliter non potuisse. Quia non agebatur de dissimulando, vel tolerando crimine commisso, de quo casu August. loquitur, et alia jura canonica, quæ retulimus, et omnia similia, sed agitur de ecclesiastica libertate, et totius juris canonici ac subinde ipsiusmet pontificis summi auctoritate tuenda; et futuris peccatis publicis ac perniciosis vitandis; ideoque sine ulla mora tantum malum resecari debuit, ne latius serperet, prout merito timeri poterat. In hoc ergo negotium aptissime quadrat, quod Leo papa ad Anatolium scribit epist. 74 : *Abjicienda prorsus pestifera hæc a sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit.* Item quod dixit Innocent. I, epistola 22, cap. 6 agens de peccatis multitudinis : *Prima dimittenda dico Dei judicio, et de reliquo maxima sollicitudine præcavendum.* Quando ergo peccatum non agnoscitur, sed defenditur, severitate utendum est, ne obstinatio crescat, præsertim quando qui peccat, in sua potentia confidens, majorem peccandi libertatem et audaciam usurpat. Unde merito dixit Augustinus : Cum tot sunt, qui labuntur, ut pristinam dignitatem quasi ex auctoritate defendant, revocanda est hæc spes. Constat igitur non minus legalem justitiam ac prudentiam in his censuris ferendis, quam judicii æquitatem servatam esse.

CAPUT VI.

Utrum a culpa violatæ censuræ excusari possint qui non obtemperant, eo quod tale præceptum non fuit in ditione Veneta publice promulgatum.

101 Cum dux et senatus Venetus pontificia jussa et censuras contempserint, atque in toto suo domino eas observari non solum prohibuerint, sed etiam pœnis et comminationibus gravissimis omnes sibi subditis ad eas violandas induxerint, factum est ut non solum a vulgari plebe, sed etiam a sapientibus et nobilibus, quodque magis dolendum est, etiam ab episcopis et prælatis, et multis ecclesiasticis observatæ non fuerint; ex quo statim orta est quæstio de culpa hujus transgressionis, qualis et quanta sit et an aliquam excusationem admittat; cujus occasione, ac desiderio inveniendi excusationes in peccatis,

a facto ad jus, id est, a transgressione in opere ad perversionem doctrinæ statim pertransitum est. Et ideo positam quæstionem omnino prætermittere non potuimus, non quia de rebus, quoad singularia facta vel crimina pertinent, judicium ferre velimus, sed ut veram doctrinam, quæ hac occasione ostenditur, defendamus. Prodiit opusculum quoddam, a septem theologis (ut fertur) compositum, varias propositiones continens, quibus concludi ac probari intenditur nihil peccasse subditos omnes Venetorum censuras pontificias non observando. Et ex illis propositionibus ac doctrina censurarum rigor nimium relaxatur, et doctrina sana plane corrumpitur, ideoque visum est hoc loco theologicam veritatem in scholastico rigore expendere ac tueri.

102 Ut autem ex omnibus propositionibus, quas infra attingam, colligere possum, triplex principium inventum est ad fundandam hanc excusationem. Primum est ignoratio, quæ si probabilis et invincibilis sit, excusat sine dubio a culpa, et consequenter etiam a propria pœna, quæ solum ratione culpæ imposita est. Secundum caput est scandalum; nam propter vitandum scandalum juste omitti potest observatio humani præcepti; et communis doctrina est, non teneri excommunicatum abstinere a communicatione aliorum cum novo ac publico scandalo multorum. Tertium caput est violentia gravisque metus, cadens in constantem virum, cum sit immissus a principe, et sub comminatione gravissimæ pœnæ, vel mortis vel exilii, vel privationis bonorum omnium, et cum morali et evidenti periculo executionis talium pœnarum in observantes censuras. Ad hæc ergo tria capita reducuntur propositiones omnes, quæ partim ad jus, partim ad factum pertinent. In hoc ergo capite de prima excusatione dicemus, in sequentibus vero alias duas expendemus.

103 Oportet autem supponere hic jam non esse sermonem de duce aut senatoribus; nam in eis ignorantia non habet locum, ut per se notum est; quod enim fortasse illis non sit personaliter intimatum apostolicum breve in particulari et per proprium ministrum pontificis, parum refert, tum quia eorum contumacia et potentia, quæ hæc potuit impedire, illis suffragari non debet, tum quia in ipso brevi expresse dicitur, ut litteræ apostolicæ, *ad ecclesiæ lateranensis, et basilicæ apostolorum, et cancellariæ apostolicæ valvas et in acie campi Floræ, ut moris est, affixæ et publicatæ, eosdem ducem, et senatum ac alios quoscumque prædictos, vosque etiam universos* (*scilicet prælatos etc.*) *et singulos respective perinde afficiant, ac si eorum ac vestrum cuilibet personaliter directæ, intimatæ et præsentatæ fuissent.* Non ergo possunt dux vel senatus excusari ob defectum juridicæ notificationis (ut ita dicam); aliud autem ignorantiæ genus satis clarum est non intervenire; timor etiam in eis locum non habet, cum ipsi sint, qui aliis vim et timorem inferunt. Quod si aliquis eorum, ut privata persona, timet vel ducis, vel aliorum sociorum, seu totius senatus odium et indignationem, talis timor nullum eorum excusare, sed potius accusare potest, quia est timor mere mundanus et damnabilis, nec est cadens in constantem virum, senatorem præcipue, qui et ratione nobilitatis et dignitatis maximeque ratione muneris et officii tenetur non solum non cooperari publico et scandaloso crimini, verum etiam quantum in se est, illi resistere non obstante quocumque humano metu; nam cooperatio ad malum numquam potest esse licita propter quemcumque metum; nam intrinsece mala est; et propterea, qui ex officio tenetur rempublicam administrare, non excusatur a culpa, si propter privatum timorem veritatem Dei in injustitia detinet. Deniquc cum ex contumacia senatus omnia scandala nata sint in toto hoc negotio, non possunt eo titulo dux vel senatus excusari. Solum in his habebit locum excusatio, qui quantum in ipsis restiterunt, et publice protestati sunt se non consentire actis aliorum, sed paratos esse pontifici obedire. Omissis ergo duce et senatu, difficultas est de reliquis hominibus illius dominii, possuntque in duo membra distingui : sub uno prælatos et pastores omnes, ad quos breve pontificium directe loquitur; sub alio vero reliquum populum comprehendimus. Hic vero præcipue sermo est de pastoribus et doctoribus, seu consulentibus; nam de plebe non tanta ratio habetur, nonnihil vero de illa etiam attingemus.

104 Quod ergo ad excusationem ignorantiæ pertinet, dicti theologi in duabus propositionibus primis omnes ditionis Venetæ non observantes censuras hoc igno-

rantiæ titulo excusatos esse volunt, et in virtute hoc argumento sequenti conficiunt. Præceptum superioris non obligat donec sit sufficienter propositum, publicatum et intimatum, sed hoc breve pontificium numquam fuit hoc modo Venetiis aut in toto ejus dominio publicatum aut promulgatum; numquam enim fuit in ecclesiis aliisque locis publicis per prælatos vel rectores locorum nec alicubi publice affixum, ut a populo legi potuerit; ergo non obligat, etiam si alias per famam vel privatam relationem illius notitia habeatur, quia hæc notitia non satis est ad obligationem præcepti. Quod si præceptum non obligat, nec censuræ obligare poterunt, nec earum violatio formalis, sed materialis censenda est, cum inobedientiam non supponat, nec etiam includat.

105 Hæc vero excusatio nullius momenti est, quia falsam plane doctrinam continet: quod ut clarius ostendamus, duas distinguemus censuras, in apostolico brevi latas. Una est excommunicatio ducis, senatorum, fautorum etc. Alia est interdicti, tam in Venetiam quam in totum ejus dominium lati. De singulis jam dicamus. Excommunicatio igitur non solum ligat excommunicatos; sed etiam postquam ipsi excommunicati denuntiati sunt, obligat alios, ut cum illis non communicicent neque in sacris, neque in politicis, juxta regulas et modum, jure canonico præscriptum; quod nunc explicare necesse non est. De illa vero excommunicatione, quatenus ligat personas ipsas excommunicatas, et quomodo effectum suum habuerit in illis absque ulla excusatione, satis dictum est. Quod autem respectu aliorum etiam pepererit obligationem, et quod excusatio illa de promulgatione, non facta publice in illo territorio, vana sit, facile constare potest cuilibet, in doctrina de censuris mediocriter erudito. Quia postquam aliquis publice excommunicatus ac denuntiatus est, ut alii teneantur illum evitare, non oportet ut specialis promulgatio alicujus præcepti fiat quo alii moneantur et obligentur ad evitandum illum, sed eo ipso quod noverint illum esse excommunicatum nominatim, tenentur omnes illum vitare, quacumque ratione aut modo illam notitiam assequantur. Quin potius ante extravag. *Ad evidanda scandala* omnes fideles tenebantur evitare quemcumque excommunicatum sibi notum, vel publice, si erat publicus, vel occulte, si occultus erat, ut occulte notus; ergo signum est ex natura rei vel ex communi jure non esse necessarium ad obligationem vitandi excommunicatum, ut notitia excommunicationis perveniat ad alios per specialem promulgationem publicam, sed satis est quod de illa constet quacumque via, si alioqui talis est ipsa excommunicatio, qualis requiritur ad excommunicatum evitandum.

106 Unde etiam nunc tenemur omnes vitare manifestum percussorem clerici, etiamsi de illius delicto vel censura nulla alia juridica denunciatio vel promulgatio facta sit, quia ita exceptus est ille casus in extravag. *Ad evitanda;* pro aliis vero excommunicatis vitandis requiritur specialis denunciatio ex vi illius extravagantis, ut alii eos vitare teneantur. At vero postquam denunciati sunt, nulla alia promulgatio necessaria est, sed quælibet notitia sufficiens, undecumque proveniens, satis est. Denunciatio autem sufficiens excommunicati juxta receptam et indubitatam doctrinam est non solum illa, quæ fit Romæ, vel in aliqua ecclesia matrice, sed quæ fit in parochia propria coram omni populo, vel affigitur in aliquo loco publico juxta communem usum loci vel diœcesis; nam hoc satis est, ut denunciatio juridice publica sit, et notoria notorietate juris (ut ajunt), quæ sufficit ad obligandum, habita postea sufficienti notitia facti. Et ratio propria est, quia obligatio ad vitandum excommunicatum denuntiatum, non tam oritur directe et per se ex denunciatione ipsa, quam ex jure ipso divino (ut aliqui volunt), vel saltem ex communi jure canonico, præcipiente vitare excommunicatum, habentem ex parte sua conditiones omnes requisitas, ut vitandus sit; unde ipsa excommunicatio et denunciatio potius se habent, ut materia talis obligationis ab ipso jure provenientis; et ideo ut illud jus obliget, satis est, quod habeatur sufficiens notitia illius materiæ seu censuræ, sicut sufficit habere notitiam facti de qualitate hujus personæ, quod scilicet ecclesiastica sit, ut quis teneatur specialiter non injicere in eam violentas manus; quia hæc obligatio ex ipso jure communi descendit; atque hinc etiam est, ut excommunicatus et denunciatus in uno tantum episcopatu, in quolibet alio episcopatu et in universa ecclesia per se lo-

quendo vitandus sit, etiamsi in aliis episcopatibus non sit specialiter denunciatus, dum aliqua via de censura denunciata constet, ut est communis theologorum, juristarumque doctrina; quia obligatio illa vitandi excommunicatum non oritur directe ex præcepto episcopi excommunicantis, sed ex communi jure, prohibente communicationem cum excommunicato : unde quacumque ratione satis constet de materia hujus obligationis et communis juris, servanda est; et ideo in cap. *Curæ sit* 11, q. 3, admonet Honorius papa : *Curæ sit omnibus episcopis excommunicatorum omnium nomina tam episcopis vicinis, quam suis parochianis pariter indicare, quatenus in utraque diligentia et excommunicatis ubique ecclesiasticus aditus præcludatur et excusationis causa omnibus auferatur*. Unde constat denunciationem hanc excommunicationis sufficienter fieri per promulgationem publicam in loco, ubi quis excommunicatur, reliquas vero diligentias solum requiri ut notitia ad alia loca perveniat : non est ergo necessaria promulgatio vel denunciatio in singulis diœcesibus, vel provinciis, aut parochiis, sed quacumque via innotescat, sive per privatas epistolas, sive per publicam et certam famam, id satis esse, ut omnes teneantur excommunicatum in uno loco denunciatum vitare, ut latius tractavimus in tom. V de cens. disp. 3, sect. 15 a num. 4, et latius, disputatione 9, sect. 2, ubi plures auctores retuli.

107 Hanc ergo doctrinam ad præsentem casum applicando, manifestum est vanam esse prædictam excusationem : quia excommunicatio in ducem Venetum ejusque criminis consortes satis publica, et specialim lata, et denunciata est, non in angulo sed in urbe, ut theatro mundi, et ad majorem certitudinem et ad tollendam omnem tergiversationem (licet non esset necessarium), in ipsamet sententia expresse est declaratum illam denunciationem ita sufficere, ac si ubique et singulis esset denunciata. Rursus, quod notitia per famam publicam et humano modo evidentem ad omnes pervenerit, in civitate et dominio Venetorum degentes, omnibus evitentissimum est : quæ ergo ignorantia hic fingi potest, aut quæ excusatio ex defectu promulgationis? Non est ergo dubium quin ex vi talis excommunicationis et denunciationis ejus, Romæ factæ, fuerint obligati omnes fideles tam laici quam ecclesiastici, tam sæculares quam regulares, tam episcopi et prælati quam cæteri inferiores ad vitandos excommunicatos tam in sacris quam in profanis, nec ab exsecutione ac observantia hujus obligationis posse excusari, prætextu carentiæ notitiæ, comparatæ per specialem promulgationem factam juridice in illis locis, quia hæc non necessaria, ut ostendi.

108 Venio ad censuram interdicti, ad quam cum proportione præcedens doctrina est applicanda. Suppono enim interdictum illud esse locale, cujus natura hæc est, ut loco ipsi quodammobo moraliter infigatur et adhæreat : ita ut ratione loci obliget personas, quæ non dederunt causam interdicto, nec sunt per se et directe ac personaliter interdictæ. Ita enim nunc de illo interdicto tractamus. Nam respectu excommunicatorum, ob quorum induratam contumaciam hoc interdictum locale latum est, habet vim censuræ et interdicti personalis juxta cap. *Si sententia* de senten. excom. in. 6; et ideo ita illo ligantur ac obligantur ex vi sententiæ, latæ atque denunciatæ Romæ, sicut ligantur censura excommunicationis; nam eadem est utriusque ratio : utraque enim censura talibus personis delinquentibus adhæret eisque ex vi ipsius sententiæ infigitur, quia secum affert executionem juxta cap. Pastoralis, de Appell. et utriusque notitia sufficientissime ad illos pervenit, argum. cap. *illud* de cler. excom. min. Non est ergo dubium, quin utraque æqualiter illos liget et obliget; respectu vero aliorum locale interdictum, ut dicebam, directe fertur ad locum, et quasi illi inhæret, et ratione illius refunditur obligatio in personas, ut jam dicam. Certum ergo est illa omnia loca, in sententia pontificis comprehensa, vere ac efficaciter fuisse interdicta ex vi sententiæ, Romæ latæ, absque alia promulgatione facta in eisdem locis et provinciis, quia non minus sententia interdicti secum affert exsecutionem, quam sententia excommunicationis, nec minus affert sententia localis interdicti talem exsecutionem respectu locorum, quam personale respectu personarum, ut est certum apud omnes. Ergo ex vi ipsius sententiæ interdicta sunt illa loca cum proportione loquendo. Quapropter hic effectus interdicendi illa loca, quatenus per ipsam sententiam fit, non pendet ex eo, quod in partibus sententia promulgetur vel non promulgetur, neque ex eo quod in

civitate per cymbalorum signa vel per alia similia notificetur. Nam ut effectus ipse in re fiat, sententia ipsa sufficit, quia ut dixi, secum affert executionem; in his autem effectibus, qui sic fiunt per censuras ipsas, sententia lata sufficit, etiamsi nulla alia hominis actio interveniat, imo etiam si ipsa sententia ignoretur, licet ignorantia posset excusare transgressus, ut late tradimus in tomo V, disp. 4, sect. ult. præsertim in fine, ubi jura et doctores attulimus. Unde ante extravag. *Ad evitanda* lata sententia interdicti statim obligabat omnes scientes ad non celebrandum, vel exercendum divina in tali loco; nunc autem necessarium est, ut publice denunciatio talis interdicti contra tales personas vel communitatem in specie fiat juxta prædictam extravag. *Ad evitanda*. At hæc denunciatio non magis neque aliter in interdicto postulatur, quam in excommunicatione, ut ex tenore ejusdem extravag. constat, et ex paritate rationis, atque ex sententia omnium. In bulla autem pontificis non solum lata est sententia interdicti, sed etiam denunciata eodem modo et cum eadem solemnitate et efficacia verborum, qua lata est sententia excommunicationis; ergo ex vi promulgationis illius bullæ, Romæ factæ, non solum sunt loca illa in re ipsa interdicta, sed etiam illa censura sufficienter denunciata est, quantum exigit extravagans *Ad evitanda;* quod eisdem rationibus confirmari potest, quibus de excommunicatione id ostensum est.

109 Ex his ergo pari evidenter ratione concluditur teneri omnes fideles, ad quos notitia illius interdicti sufficienter pervenit, servare illud in omnibus illis locis, quacumque via et ratione ad eorum aures pervenerit, nulla alia exspectata promulgatione vel denunciatione, in illis locis facta. Ita sumitur ex communi sententia canonistarum cum glossa ibi in c. *Apostolicæ*, et in cap. *illud* de cler. excom. min.; ex quibus juribus idem probatur, et ex cap. *Cum desideres*, de sent. excom. Item ex ipsamet extravag. *Ad evitanda* aperte colligitur. Nam juxta antiquum jus omnes tenebantur servare interdictum, quod sciebant re ipsa latum, vel publice, si censura erat publice nota, vel occulte, si erat occulta; sed per illam extravagantem solum addita est limitatio, ut sit necessaria denunciatio interdicti. Ergo postquam hæc facta est, omnes, quibus talis censura ut lata et denunciata nota est, tenentur illam servare, etiam publice, si notitia facti, id est censuræ latæ ac denunciatæ, publica est. Ut in simili recte concludit Navar. libro v cons. titulo de excom. cons. 34 in ult. edit.; et ex dictis etiam de excommunicatione idem convincitur, nam est prorsus eadem ratio. Hæc enim obligatio abstinendi a sacris in loco interdicto directe ac aperte oritur ex jure communi, id præcipiente modo specialiter præscripto in cap. *Alma mater*, de sent. excom. in 6. Igitur notitia interdicti solum est necessaria, ut notitia facti seu materiæ, circa quam illud jus commune versatur; ergo impertinens est nova publicatio facta in locis propriis; sed quacumque ratione constet locum vere interdictum ac denunciatum esse, statim jus ipsum commune urget et obligat ad abstinendum, sicut si ecclesia sit publice violata, id satis est ut teneatur abstinere quicumque id novit, etiamsi per solam notorietatem facti id cognoscat, nec necessaria est alia juridica promulgatio : et similia exempla innumera facile afferri possunt.

110 Igitur propositio illa de promulgatione legis, quæ hic applicatur, extra propositum est, quia ferre censuram non est ferre legem, nec denunciare censuram est promulgare legem, ut per se constat : ferunt enim censuras multi, qui non possunt condere leges, et multo minor solemnitas vel publicatio requiritur ad denunciandam censuram, quam ad promulgandam legem; nam in una ecclesia vel parochia, in publico ejus conventu vel in privato oppido sufficienter denunciatur censura, quod non satis esset ad promulgationem legis. Addo propterea doctrinam in illa propositione assumptam falsam esse : nam leges pontificiæ sufficienter promulgantur Romæ pro toto orbe, nisi in ipsismet limitatio aliqua apponatur; unde ut obligent in remotis provinciis in rigore non requiritur nova promulgatio solemnis ibi facta, sed solum conceditur tempus sufficiens, ut earum legum fama et notitia possit ad talia loca pervenire; ut est communis doctrina, quam hoc loco latius non prosequor, quia, ut dixi, extra rem adducitur.

111 Solum posset illa objectio peculiariter applicari ad illud præceptum, quod in eodem brevi imponitur omnibus episcopis, ac pastoribus ditionis Venetæ, hisce ver-

bis : « Ut autem præsentes nostræ litteræ ad omnium majorem notitiam deducantur, vobis et cuilibet vestrum per easdem præsentes committimus, et in virtute sanctæ obedientiæ, et sub divini interminatione judicii, et aliis pœnis districte præcipiendo, mandamus, ut per vos, vel alium, vel alios præsentes litteras, postquam eas receperitis, vel earum notitiam habueritis, in vestris quisque ecclesiis, dum major in eis populi multitudo ad divina convenerit, ad majorem cautelam solemniter publicetis, et ad Christi fidelium notitiam deducatis, etc. » Hoc enim præceptum non est censura, sed quasi lex; et ideo ad illud posset doctrina illa de legibus accommodari. Sed constat in primis illud non esse legem, nec statutum, sed præceptum ab homine, in quo non est necessaria promulgatio, sed notitia et quævis sufficiens propositio. Deinde jam dictum est, quod licet esset lex, romana promulgatio sufficeret; unde illa quæ facta est, non solum sufficiens, sed superabundans facit ad effectum tam censurarum quam illius præcepti. Præterea addo pro illo præcepto involvere repuguantiam, si major promulgatio postuletur, quia illa major promulgatio per ipsosmet patres erat facienda; ergo ut illi obligarentur ad illam faciendam non poterat ipsorum promulgatio postulari; sed ipsæ litteræ, Romæ promulgatæ, per se sufficiebant. Immo quia litteræ ipsæ impediri poterant, ne ad manus pervenirent prælatorum, caute in verbis relatis additum est : *Postquam eas receperitis vel earum notitiam habueritis*. Quibus verbis satis declaravit pontifex, quacumque via haberetur notitia talium litterarum, illam sufficere debuisse ad obligationem et observantiam illius præcepti. Denique expendo etiam verba illa : *Ad majorem cautelam*; nam posita sunt ad significandum illam promulgationem non esse necessariam ad valorem, effectum et obligationem censurarum; nam promulgatio romana erat sufficientissima, ut in ultimis etiam verbis ejusdem brevis amplius declaratur; sed ad majorem diligentiam et cautelam, abundantioremque notitiam illam promulgationem in singulis locis commendatam et præceptam fuisse.

112 Sed inquiri tandem potest in hoc puncto, an religiosi conventus, Venetiis vel in aliis civitatibus dominii ejusdem degentes, tenerentur interdictum illud observare. Et dubitandi ratio sumi potest ex Clement. I de sen. excom. ubi solum præcipitur religiosis observare interdictum in aliqua civitate vel oppido, cum cathedralem vel matricem, seu parochialis loci ecclesiam illud viderint aut sciverint observare. Hæc enim sunt verba textus, quibus illa obligatio limitatur. Cum ergo hæc conditio in provincia Veneta non fuerit impleta, non potuit interdictum illud obligare religiosos; nec potest dici conditionem illam esse intelligendam de interdictis tantum positis auctoritate ordinariorum. Nam paulo antea in eodem textu declaratum fuerat legem illam ferri circa interdictorum observantiam, vel auctoritate sedis apostolicæ vel a locorum ordinariis positorum. Respondetur ex Glossa ibi, a Panormitano cæterisque communiter approbata, argumentum a contrario non esse validum, quando ratio cessat et sequitur absurdum contra mentem legislatoris. Quod ergo religiosi conformentur ecclesiæ matrici observanti interdictum, sive a papa sive ab ordinario latum, ratio postulat et merito præcipitur, ut si ecclesia matrix non obediat interdicto pontificis, ad quod parendum alias tenebatur, nulla ratio postulat ut religiosi in hoc conformentur; quia ante Clementinam prædictam religiosi tenerentur obedire interdicto pontificis, præsertim quando præciperentur illud servare, non obstantibus ullis privilegiis; per Clementinam autem illam non est data illis facultas non obediendi pontificio interdicto eo casu, in quo contingat matricem ecclesiam non obedire, sed solum præceptum est, ut illi conformentur in observatione interdicti, nec ab hac conformitate excusentur prætextu privilegiorum. Ex hac ergo affirmativa nullo modo licet negationem oppositam inferre, scilicet si contingat matricem ecclesiam non esse obedientem interdicto pontificis, licitum esse religiosis illud non servare; quia hæc licentia in illo textu non conceditur, immo est contra intentionem ejus; facta est enim illa lex canonica ad restringendam observantiam interdicti, non ad relaxandam illam; nec est verisimile voluisse pontificem, ut ecclesiæ matricis excessus det religiosis materiam delinquendi contra regulam text. in cap. *Petitio* de privil. Ad summum ergo inferri potest, ex vi illius textus non obligari in illo casu ad servandum interdictum; nihilominus vero non

excusantur, cum alias jure divino et communi teneantur præceptis papæ obtemperare et ejus interdictum observare. Maxime vero in hoc casu est hoc evidens, cum pontifex sigillatim omnibus, et ordinibus, et communitatibus, etc. præcipiat interdictum observare, non obstantibus quibuscumque privilegiis etc. Est ergo impertinens ad uniuscujusque obligationem, quod alii observent vel non observent interdictum, sed unusquisque tenetur servare, si illius sufficientem notitiam habeat, ut evidens est omnes habuisse.

CAPUT VII.

De secunda exceptione ex scandalo.

113 Secunda excusatio principalis sumitur a prædictis theologis ex ratione scandali vitandi, et virtute hac ratione utuntur. Quando superioris præceptum, etiam sub excommunicatione impositum, servari non potest sine gravi scandalo et perturbatione reipublicæ, non obligat; immo esset peccatum illud exequi, quia lex naturalis et charitatis de scandalo vitando plus obligat, quam præceptum humanum. Sed pontificium hoc præceptum de interdictis servandis non poterat executioni mandari sine magno scandalo totius reipublicæ Venetæ, ut manifestum est. Ergo episcopi et cæteri omnes, qui propter scandalum vitandum illud non observant, ab omni culpa immunes sunt. Hæc ratio continetur in tertia et quarta propositione. Postea vero a propositione octava, quasi ad confirmandam majorem propositionem in argumento assumptam, multa dicunt de potestate pontificis, et de obedientia illi debita, et de interdicto, horum omnium auctoritatem et efficacitatem, quantum possunt, minuendo, ut tacite concludant non esse habendam tantam rationem observationis interdicti, nec esse rem magni momenti illud non observare, præsertim comparatione facta ad vitationem scandali. De potestate igitur pontificis, ajunt eam non esse illimitatam, sed habere pro regula legem divinam et publicam ecclesiæ utilitatem. Adduntque non esse certum, an sit suprema, vel sit etiam subjecta conciliis generalibus eorumque decretis. De obedientia etiam pontifici debita, eam non se extendere ad omnia, etiam non mala, sed bona et licita, quia non omnia potest pontifex indiscriminatim præcipere; unde in modo obediendi, ajunt non teneri subditos ad obediendum, immo nec posse licite obedire, nisi prius examinent an præceptum sit justum et legitimum, vel per sese de illo judicando, si valeant, vel prudentes viros consulendo. Adduntque, si subditi intellexerint præceptum esse injustum et nullum, eos posse pro viribus resistere, ne interdictum executioni mandetur etc. De interdicto denique, ajunt esse novam censuram, et talem, ut, nisi magna prudentia feratur, possit in magnam ecclesiæ perniciem redundare.

114 Verumtamen prædicta excusatio et ratio, qua persuadetur, valde frivola est, et quæ occasione illius adduntur, licet nonnulla sint vera, multis falsis admixta, omnia tamen sunt instigatione alicujus pravi spiritus male applicata ad mordendum et exacerbandum pontificem, et ad obedientiam ejus labefactandam, censurarumque reverentiam minuendam; quod breviter ostendam per singula discurrendo. Possumus igitur in primis rationem illam de scandalo in adversarios retorquere, declarando prius quid nomine scandali sit intelligendum. Proprie enim hæc vox significat occasionem ruinæ spiritualis proximi, vel ipsiusmet hominis, qui scandalum patitur. Et hoc modo accipi debet in præsenti, ut discursus habeat aliquam verisimilitudinem aut efficaciam. Solet enim alio modo late sumi scandalum pro quacumque commotione vel dissensione et repugnantia judiciorum cum rumore, et obmurmuratione aliorum, aut alio simili incommodo. Verumtamen proprie loquendo in tantum hoc appellatur scandalum, in quantum ex occasione multa peccata committuntur, sive illa consistant in cooperatione vel imitatione ejusdem peccati, sive sint aliarum specierum, ut sunt odia, detractiones, et similia. Quod si vocetur scandalum ipsa sola publica perturbatio et afflictio populi, hoc minoris considerationis est.

115 Hoc ergo supposito, sic ratio retorquetur; præceptum pontificis latum ad evitanda publica scandala et peccata, quæ universam ecclesiam possunt inficere gravissimaque mala inducere, servandum est, etiamsi unius provinciæ perturbationes et scandala timeantur; sed talis est casus, de quo tractamus; ergo frivola est excusatio de scandalo vitando. Major evi

dens est; etenim præceptum per se obligat ad sui observationem; supponimus enim esse justum, ut jam satis ostensum est; ergo si scandalum timetur, tam in transgressione illius, quam in observatione, potius observandum est quam omittendum; prævalet enim jus superioris, et præcepti cæteris paribus : tum maxime, quia hic non sunt cætera paria, sed causa servandi præceptum in multis excedit. Primum quia scandalum non observandi tale præceptum certius multo est; nam ipsamet inobedientia, et contemptus censurarum totam ecclesiam commovet, et suspicionem quamdam gravioris schismatis generat. Deinde quia est universale damnum; nam enervantur ecclesiasticæ censuræ, et reliqui populi catholici similibus exemplis commoventur, et hæretici animum contra apostolicam sedem sumunt. Præterea illamet provincia, ubi censuris non obeditur, contumacior fit in suis criminibus, et omnia scandala, quæ pontifex per præceptum suum tollere intendebat, per inobedientiam ejus augentur. Denique (quod caput est) scandalum quod oritur ex servando præcepto, est suo genere, et mere passivum; unde non imputatur observanti præceptum, sed aliis, qui ex re, justa et necessaria ad bonum ecclesiæ universalis et ejusdem provinciæ, occasionem peccandi sumunt. E contrario vero scandalum non servandi præceptum ex suo genere est activum; nam per se est actualis ruina, et non habet justam excusationem, ut ostensum est, et præterea directe favet contumaciæ illorum, qui causam interdicto dederunt, et consequenter est causa omnium malorum, quæ ex illa contumacia sequuntur.

116 Quæ omnia manifeste constabunt probando minorem, descendendo ad casum particularem, quem tractamus. Nam in primis publica violatio libertatis ecclesiasticæ, tam condendo leges quam vim inferendo ecclesiasticis personis, per se est magnum malum, et nocens ecclesiæ et ingerens scandalum non solum Venetis, sed toti ecclesiæ. Deinde defendunt hoc tamquam justum, et per se pertinens ad supremam potestatem temporalem : exemplum est intolerabile, et pervertens totam ecclesiam. Tertio periculum errandi gravissime in doctrina et declinandi in hæresim moraliter certum est; magnaque indicia non solum periculi, sed etiam ipsiusmet lapsus jam conspiciuntur. Quarto hæc omnia mala, quæ veluti per se insunt tali actioni, infinite crescunt, tam quoad scandalum, quam in aliis nocumentis ex violatione censurarum, ut experientia ipsa satis monstravit; nam contumacia crevit, et temeritas agendi contra ecclesiasticas personas exquisitis modis, et audacia ponendi os in cælum, et judicium pontificium contemnendi. Contra vero ex observatione interdicti, si res sincere consideretur et tractetur, proprium scandalum vix sequi poterat. Quæ namque nova scelera vel peccata timeri poterant in illa republica propter observationem interdicti? Numquid fortasse quod dux et senatores duriores fierent? At hoc incommodum etiam ex violatione sequitur, et fortasse cum majori obstinatione, quia ordinarii et proximi pastores suo exemplo eos in sua pertinacia confirmant. Vel fortasse periculum erat, ne senatus majora sacrilegia, et homicidia vel actiones alias tyrannicas committeret, persequendo eos, qui interdictum servarent? At profecto hic timor est de scandalo proximi; nec de vitando peccato etc, sed est timor humanus nocumenti proprii, de quo in puncto tertio dicemus. Nam quod ad peccatum attingit, non minus timeri poterat ex non observato interdicto, immo multo certius. Nam profecto, si pastores et ecclesiastici omnes fortiter egissent, non tam facile dux et senatus catholicus violentas manus in eos extendere ausi essent, vel saltem non esset id moraliter timendum nec suspicandum. Nunc autem magna libertate (ut publica fama constat) contra ecclesiasticos insurgunt; et contra omnes fideles, qui se constantes et ecclesiæ obedientes ostendunt, nec doctrinis variis ac peregrinis aures præbent. Igitur nulla est comparatio inter hæc scandala.

117 Ad rationem ergo in contrarium respondetur in forma, distinguendo majorem juxta communem doctrinam D. Thom. et omnium 22, q. 43, quam etiam insinuavit Innoc. III, in cap. *Nisi cum pridem* de renunciat. Nam si scandalum sit activum, semper vitandum est; si vero sit tantum passivum, tunc solum est evitandum ex necessitate charitatis, quando sine majori vel gravi incommodo vitari potest. At vero cum majori vel æquali damno non est obligatio vitandi illud, immo si aliquod urgeat superioris præceptum, omittendum non

est, nec licite omitti potest; præsertim quando ex alia parte scandalum etiam grave timetur. Sic enim dixit Beda, Mar. 9 : *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* Cap. *Qui scandalizaverint* lib. v, de reg. jur. eamdemque sententiam habet Gregorius tom. VII in Ezechiel.; dici autem potest veritas relinqui, non solum quando mendacium dicitur, sed etiam quando veritas necessaria tempore debito occultatur; et talis fuit occasio, in qua Christus Dominus Math. 13, discipulis dicentibus Pharisæos fuisse scandalizatos ex doctrina ejus, respondit : *Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum.* Unde sumpsit nomen hoc scandalum passivum et pharisaicum appellatum est; propter hoc ergo vitandum non sunt præcepta omittenda juxta communem doctrinam. Unde ad minorem propositionem respondetur, in præsenti casu scandalum, quod sequi posset ex observatione interdicti, pharisaicum fuisse futurum et mere passivum, quod vitari non poterat sine majoribus incommodis ac subinde non sine formali violatione præcepti, et ideo non fuisse vitandum violando interdictum juxta doctrinam claram et receptam, de qua apud theologos supra, et summistas verb. *Scandalum,* et canonistas in capit. *Cum ex injuncto* de novi oper. nunci.

118 Hic vero redire videntur ad evasioneum superiori capite tractatam, quod nimirum præceptum pontificis, in tali causa et occasione latum, non obligat, quia latum est cum evidenti periculo publicæ perturbationis et scandali, et ideo a principio non obligavit, et consequenter servandum non est. Et ita nec ratio nostra, nec responsio data procedit, quia supponunt præcepti obligationem. Hoc ergo videntur illi theologi intendere, quando digrediuntur ad limitandum pontificis potestatem, et modum illi obediendi pro suo arbitrio et affectu perniciose declarant. Quibus breviter respondemus in primis Christum Dominum quodam illimitato modo dixisse Petro : *Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.* Unde licet verum sit pontificiam potestatem non esse ita illimitatam, sicut est potentia Dei, tamen etiam est certum non esse nobis pro nostro limitandam arbitrio, sed solum juxta principia alias certa vel per fidem et ecclesiæ traditionem, vel per rationem naturalem. Sed hæc omnia nihil ad rem præsentem pertinent, cum nullus catholicus dubitare possit, quin fuerit in pontifice potestas sufficientissima ad hoc præceptum et has censuras ferendas, ut supra probatum est. Dubium etiam, quod nunc movetur ab adversariis de auctoritate papæ supra concilium, revera dubium non est inter pios ac doctos catholicos, ut alibi est latius tractandum. Et in præsenti est impertinens, quia, quidquid sit de illa quæstione, certum est fideles omnes teneri ad observandum censuras a pontifice juste latas. Quod autem hæ fuerint justæ, et quod prætermitti non debuerint propter timorem perturbationis et scandali passivi Venetorum, jam satis declaratum est; quia hic est casus, in quo utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. Hoc enim dogma non solum de veritate doctrinæ, sed etiam de veritate justitiæ et disciplinæ recte exposuit Glos. in cap. *Nisi cum pridem;* quæ addit : Licet veritas disciplinæ interdum omitti possit propter multitudinem delinquentium, vel ad vitandum multorum perturbationem, *si vero defendere volunt malum quod faciunt, et excusare illud quasi ex auctoritate, tunc multitudini parcendum non est propter scandalum.* Quibus verbis videtur Glossa illa præsentem casum descripsisse, eamque confirmat Innoc. ibi dicens : Veritas disciplinæ interdum deseri potest propter multitudinem; sed hoc intelligimus, ubi non defendunt errorem : si enim defenderent vel excusarent, tunc nullo modo parcendum est multitudini. Quod variis decretis comprobat.

119 Unde etiam constat doctrinam, quam de modo obediendi præceptis pontificis, et consequenter de omnibus legibus humanis afferunt, præterquamquod perniciosa valde est, et sanctis patribus ac rationi naturali contraria, ad causam præsentem esse impertinentem. Ajunt enim non esse simpliciter obediendum pontifici, sed debere prius subditos examinare quale sit id, quod præcipitur. Quam propositionem erudite satis ac pie impugnat illustriss. cardinalis Bellarm. in brevi opusculo, contra hos theologos nuper edito; et ideo ab illa disputatione nunc abstinebimus, et quia in speciali opere de statu religionis fuse de illa mate-

ria disseruimus; et præsertim quia in præsenti causa locum non habet illa disceptatio. Tribus enim modis contingere potest hominem esse dispositum circa præceptum superioris quoad apprehensionem de honestate vel iniquitate præcepti. Primo ut manifeste constet in illo ejusque executione involvi peccatum, et huic clarum omnino est non esse obediendum; neque tunc consulto opus est, neque tunc est necessarium prævium examen, cum supponatur asserta et clara iniquitas præcepti. Verumtamen hic gradus seu modus judicii et cognitionis non potest ad præsentem casum applicari, ut ex omnibus hactenus tractatis evidenter constat; et per se manifestum est materiam hujus præcepti pontificii non esse intrinsece malam, nec alienam a lege Dei, nec ab aliis legibus canonicis, ac subinde præceptum de se non continere malitiam. Secundo ergo potest præceptum esse tale, ut constet certo esse honestum, et justum, et posse servari sine peccato, et sine incovenienti; et tunc etiam clarum est non esse necessarium prævium examen, sed statim obligare.

120 Tertio ergo fieri potest ut, proposito præcepto, statim oriatur dubium de justitia ipsius præcepti vel secundum se, vel prout observandum in tali occasione, et cum talibus circumstantiis. Et tunc gratis admittere possumus debere subditum expendere dubium illud, quale sit; potest enim esse dubium tantum negativum, ut vocant, id est quia subditus nec positivam rationem habet, nec causam, ob quam judicet præceptum esse iniquum, aut posse fieri sine peccato; nec etiam in re præcepta aliam necessitatem agnoscit præterquam quod præcepta est. Et tunc subditus optime sine dubio faciet non examinando quale sit, quod præceptum, sed simpliciter obediendo; in quo casu maxime locum habet communis doctrina patrum de simplici obedientia præstanda, quia superioris auctoritas sufficit subdito pro ratione operandi, et ut credat præceptum esse honestum, quando contrarium non constat. Non peccabit tamen tunc subditus inquirendo et exponendo, quale sit, quod præcipitur, dummodo bona fide id faciat et non animo resistendi et fugiendi vim præcepti : tunc autem si, facta diligentia, non potuerit expellere dubium, certum est teneri ad obediendum præcepto, ut etiam adversarii fatentur, et in sequenti puncto dicetur. Aliter vero potest esse dubium positivum, quia subditus nonnullas habet rationes probabiles faventes observationi; non tamen ei desunt rationes aliæ, suadentes præceptum latum præter prælati auctoritatem. Et tunc etiam concedimus posse interdum esse obligationem examinandi et inquirendi veritatem, si forte possit certo invenire, maxime ubi damnum tertii vel periculum alicujus peccati timeri potest. At vero si post diligentiam moralem res manet utrinque dubia et probabilis, communis doctrina est obediendum esse præcepto, tum quia in dubio melior est conditio possidentis. Superior autem possidet jus suum et potestatem, qua utitur; tum etiam quia superioris auctoritas in hoc negotio major est, quia est veluti universalior causa, et melius perspicere potest rationes omnes et causas, ex quibus talis præcepti justitia vel necessitas pendet.

121 Atque hoc maxime locum habet, quando superior ipse et doctus et prudens est, et prudentum consilio utitur in præceptis ferendis. Estque optimum exemplum commune de principe indicente bellum : nam in simili dubio subditi tenentur illi obedire, quamvis bellum actio sit, ex qua multa damna et publicæ perturbationes oriri solent; majora tamen sequerentur, si subditi possent tunc licite excusari, cum fieri non possit ut princeps dicat omnibus subditis rationes et causas, ob quas bellum movet, nec possit aliter consequi jus suum, nisi obligando subditos ad sibi cooperandum ad bellum; ut ergo subditi possint licite deponere practice dubium in casu, satis est quod credant superiorem sufficienti consilio duci, et habere viros apud se, scientia et conscientia præditos, approbantes tale præceptum. Et consequenter id satis est, ut subditus obedire teneatur, quia superior vim habet obligandi ad actum practice licitum, quidquid est de speculativo dubio. Et hæc fuit doctrina Augustini lib. XXII contra Faustum c. 74, et habetur in cap. *Quid culpatur* 23, q. 6; de qua videri potest Victor. relect. de Bello. n. 30, 31 et Cordub. in quæst. theolog. lib. III, q. 8 et 9, Silvestr. et alii summistæ verb. *Obedientia*.

122 Applicando ergo doctrinam hanc ad casum præsentem, quamvis revera non versemur in casu dubio, sed certo quoad justitiam et rigorem ac necessitatem præcepti

pontificii, permittamus tractari perinde, ac si esset dubium, et concedamus eis licentium dubitandi in principio, et expendendi vim hujus præcepti. Interrogo igitur an post factam suam consultationem et examinationem invenerint pontificis præceptum, impositum tam reipubl. Venetorum de revocandis legibus suis, et personis ecclesiasticis suo judici tradendis, quam prælatis ditionis Venetæ de publicando et servando interdicto, durante contumacia reipublic., an, inquam, per suum examen certo cognoverint præcepta pontificis esse iniqua, vel adhuc versentur in opinione, apud ipsos ex utraque parte probabili : si hoc secundum fateantur, proprio ore condemnantur; nam ipsimet dicunt in casu dubio examinandam rem esse, et perseverante dubio post examen parendum esse præcepto. Si vero affirmare audeant se certe cognovisse præceptum esse iniquum, apertissime ostendunt se affectu vel timore humano esse obcæcatos, ut clarissime constare potest ex fundamentis positis in superiori libro, et ex discursu præcedentium capitum. Nam ostensum est principia omnia, in quibus isti theologi fundantur ad damnandum præceptum et censuras pontificis in Venetos, esse contra communem et receptam sententiam theologorum et canonistarum, et contra canones ac universalem ecclesiæ consuetudinem, et attingere non parum dogmata fidei, atque illa corrumpere; ergo fieri non potest, ut existiment istud judicium suum de præcepto pontificis verum esse, nisi ex nimia cæcitate vel errore.

123 Dicet vero aliquis rationem hanc recte concludere contra theologos illos, qui tale judicium et consilium dederunt, non vero contra ipsos senatores, qui sequendo consilium septem vel plurium theologorum, practice videntur excusabiles. Respondetur, majorem fortassis esse culpam consulentium et decipientium, quam senatorum, quia et cæci sunt, et duces cæcorum; nihilominus tamen nullius momenti esse excusationem etiam senatorum, tum quia non ignorant privatum illud consilium esse contra communem sensum ecclesiæ; tum etiam quia semper prævalet obedientiæ vis et pontificis auctoritas, cum aperte constare illis possit eum non inferre vim, nec facere rem novam, sed ecclesiæ antiqua jura tueri. Unde a fortiori constat multo minus posse prælatos ab obligatione servandi interdictum et præceptum, sibi impositum, hac ratione excusari; quia, si dubium aliquod habuerunt, vel nullam diligentiam fecerunt ad intelligendum veritatem, sed (ut fama constat) cæcis oculis reipublicæ resistenti pontifici obtemperarunt; vel certe si aliquam fecerunt inquisitionem, non potuit esse sufficiens ad expellendum dubium in agendo contra obedientiam pontifici debitam, et ad minimum timere necessario debuerunt perturbationem et scandala utrinque sequi posse; ergo in illo dubio tenebantur obedire.

124 Denique si dubium habebant, profecto debuissent saltem consulere pontificem, et proponere causas, ob quas interdictum servare timebant, ne majora mala sequerentur; nullam autem talem diligentiam fecerunt, sed sua auctoritate, et quasi independenter a pontifice interdictum contempserunt; nullam ergo legitimam excusationem afferre possunt. Atque hoc modo contra illos theologos et prælatos Venetos retorqueri potest cap. *Siquando*, de Rescrip. quo, ut intelligo, maxime in sua utuntur defensione : quia in eo dicit Alexander III ad episcopum Ravennatem : *Patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Sed legant quæso superiora : *Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas quare adimplere non possis rationabilem causam prætendas.* Non ergo dat ibi licentiam pontifex privatis episcopis non obediendi absolute præceptis suis propter rationes vel incommoda, quæ sufficientia illis videbuntur, sed ad summum suspendendi, consulendique pontificem; unde semper debent esse parati ad obediendum, si non obstantibus rationibus suis pontifex in executione præcepti exigenda persistat. Atque eadem ratione, quando incommoda vel occasiones non exequendi præceptum talia sunt, ut facile intelligi possit ea fuisse a pontifice prævisa; et nihilominus eum tulisse præceptum, tunc non habet locum Alexandri III responsio, nec suspensio præcepti; sed statim est obediendum, cum nihil occurrat quod demum repræsentari possit : talis autem profecto est casus, in quo versamur, et tamen in eo non constat nobis prælatos vel pastores Venetorum pontificem consuluisse

vel adiisse; non ergo possunt prætextu illius capitis et decisionis Alexandri III excusari. In quo est etiam valde considerandum aliud esse loqui de rescriptis, quæ non afferunt secum executionem, de quibus in illo textu sermo est. Aliud vero de censuris, quæ secum executionem afferunt. In prioribus enim nullum est periculum suspendendi executionem, ubi de surreptione probabiliter timetur, vel alia prævia damna, vel pericula timentur, quæ verisimiliter creditur non fuisse a pontifice cogitata, posseque animum ejus movere. At vero in censuris, quod secum afferunt executionem, est magnum periculum, si non statim juxta tenorem scripti serventur; quia si validæ sunt, revera efficiunt suum effectum; et ideo, si non serventur, indebito modo sacra tractantur, et canones violantur, et si res sit publica, magna scandala suboriuntur. Ideoque in similibus casibus si res publica sit, regulariter sunt statim servandæ censuræ; et quoad hoc non habet locum suspensio vel dilatio, nisi evidenter et publice constet censuras esse nullas ex defectu potestatis; alioqui, etiamsi videantur graves ac rigorosæ, patienter sustinendæ observandæque sunt, interim dum informatus plenius pontifex de re ipsa vel incommodis, quæ sequuntur, remedium adhibet: quia licet, quando censura est occulta, quamvis sit valida, possit interdum non servari in publicis actionibus propter vitandum scandalum, tamen quando censura est publica et valida, moraliter loquendo numquam licet illam non servare saltem absque magna violentia et gravi periculo mortis; de quo articulo sequenti puncto dicemus. In præsenti autem casu nullam suspicionem surreptionis potuerunt habere Veneti pastores : notum enim erat ac publicum pontificem tulisse censuras cum plena causæ cognitione, nec erat aliud verisimile in re tam gravi. Exclusa autem surreptione, non poterat prudenter dubitari de valore censurarum. Ergo licet rogandus et informandus iterum atque iterum esset pontifex, servandæ interim erant. Nec propter extrinsecum incommodum scandali, quod allegatur, potuerunt sine gravi culpa violari, tum quia erat scandalum passivum, tum quia majus sequitur ex earum violatione, ut ostensum est.

125 Unde tandem constat non minus frivolum et scandalosum esse, quod de censura interdicti illi theologi subjungunt. Erit autem in primis utile in hoc negotio observare hos theologos defensores Venetorum in hac causa fere in omnibus assertionibus et verbis suis hæreticorum vestigia sequi, et phrases modosque loquendi imitari. Quod certe in superioribus sæpius observatum est in modo, quo de potestate pontificis, de libertate ecclesiastica, de obedientia pontifici debita et aliis similibus loquuntur. Et hic adnotari potest. Nam hæretici, cum ecclesiæ traditiones, mores vel consuetudines volunt despicere, solent eas novitatis reprehendere, ut in minori habeantur æstimatione. Sic nunc isti theologi auctoritatem interdicti elevari putant eo, quod nova censura ab eis appelletur. Respondemus autem in primis non esse novum id, quod ante quingentos annos constat in ecclesia usitatum et fortasse antiquius est, licet id non constet. Dicimus etiam parum referre quod sit novum vel antiquum, si legitima pontificum auctoritate est institutum, et universæ ecclesiæ traditur tamquam illius moribus conveniens : pontificis enim auctoritas numquam est nova; nam semper eadem est, eamdemque assistentiam a Deo habet; ac proinde si res novæ ejus auctoritate institutæ, ac probatæ et universæ ecclesiæ propositæ sunt, non minorem auctoritatem habent quam antiquæ. Certo enim credimus pontificem in his rebus non errare, licet etiam ex universali ecclesiæ consensu et usu multum obfirmentur; de justo ergo usu hujus censuræ secundum se dubitare catholico non licet. Unde licet verum sit aliqua secum afferre incommoda, illa tamen si non sint majora quam ex ipsamet censura, et veluti intrinsece sequuntur, ut sunt diminutio cultus divini, et usus sacrorum, ac similia, illa non possunt obstare, quominus interdictum servandum sit, ut per se constat; alias inutilis esset talis censura. Ecclesia ergo judicat permittenda esse illa incommoda propter spem majoris boni; illi ergo parendum est. Si autem incommoda sunt majora, et extraordinaria, probabiliterque crederetur noc esse prævisa a pontifice, tunc pontifex ipse consulendus esset, et postea esset ejus judicio standum. In præsenti autem casu jam ostensum est, et causam interdicti fuisse justissimam, et ex illius observa-

tione nullum timeri potuisse scandalum, ob quod vitandum servari non debuerit, nec aliquam legitimæ excusationis causam intervenisse, aut pontifici propositam esse; ideoque dubitari non potest quin ex hoc capite excusatio prædicta legitima non sit.

CAPUT VIII.

De tertia excusatione ex timore.

126 Hæc etiam proponitur et in allegatis propositionibus ut sufficiens ratio excusationis, et ex quinta, sexta et septima propositione hæc ratio conficitur. Timor justus excusat ab observatione humanæ legis; sed præceptum pontificis de observando interdicto humanum est; ergo justo interveniente timore, sine peccato potuit non servari; at intervenit timor justus, ergo; minor ad factum pertinet : tribus autem modis declaratur et probatur ab ipsis : nam ex tribus principiis poterat damnum grave timeri, vel a republica, vel a plebe, vel ab ipso interdicto et ejus observatione. Primo ergo senatus ipse minabatur mortem, exilium et gravissimas pœnas servantibus interdictum. Tunc ergo argumentantur ; quia timor probabilis mortis, et amissionis bonorum, vel incarcerationis et gravis vexationis in propria persona et in conjunctis est justus et sufficiens ad excusandum, sed talis fuit timor, juste et prudenter ab ecclesiasticis conceptus ex violentia reipublicæ; ergo non tenebantur servare interdictum cum tanto nocumento. Secundo ajunt eos timuisse magnam populi commotionem contra clerum, si eis usum sacrificii et sacramentorum denegassent. Nam cum ille populus valde sit propensus ad officia divina et sacramenta, præsertimque ad Missæ sacrificium, multum contristaretur et perturbaretur, si tanto bono per observantiam interdicti privaretur; unde cum illa injuste credat sibi auferri ratione talis interdicti, violenter in parochos et religiosos irruerent, nisi eorum desideriis satisfacerent. Tertia ratio timoris fuit, quia ex interdicto plurima spiritualia detrimenta in illo populo timeri possent, quia, usu divinorum officiorum sublato, paulatim devotio amittitur, et peregrinis opinionibus ac doctrinis locus aperitur.

127 Verumtamen, ut statim per se apparet, hæ duæ rationes nullius considerationis sunt; et incipiendo ab ultima, præ oculis habenda est theologorum regula, quando lex vel præceptum intrinsece et per se affert secum aliquam difficultatem vel periculum, semper obligare, non obstante illa difficultate vel periculo, quando alias superior simul cum potestate habet justam rationem præcipiendi, non obstante illo periculo, tali operi per se conjuncto. Ita docent auctores omnes paulo inferius referendi. Et declaratur exemplis. Si gubernator civitatis tempore pestis præcipiat medicum vel alios ministros reipub. infirmos curare, cui operi per se conjunctum periculum vitæ, inde non possunt excusari, quominus obediant; idem de militibus, quibus dux præcipit, ut rem periculosam aggrediantur, et sic de aliis. Ratio est quia, quando periculum vel detrimentum est per se conjunctum actioni, satis censetur prævisium a superiore; unde voluntas ejus est ut non obstante illo periculo id fiat; quæ voluntas potest esse, quia ad bonum reipublicæ actio illa necessaria est, non obstante illo periculo, quia majora damna sequentur, nisi præceptum illud servetur. Et ideo talis voluntas superioris et præceptum, ab illa manans, vim habet obligandi. In præsenti ergo detrimentum illud spirituale, quod ex interdicto timeri potest, non est peculiare in populis Venetorum, ut dici possit per accidens, et a pontifice non prævisum, nec excogitatum; sed est illud commune, quod interdicto secundum se conjunctum est; ut dicitur in cap. *Alma mater* de sent. excom. in 6. Ergo illud nullius considerationis est ad excusandum, ne interdictum servetur; alioqui regula generalis statuenda erit numquam esse obligationem servandi interdictum in illis provinciis. Quæ regula consequenter poterit extendi ad alias; cum non sit majus periculum detrimenti spiritualis in illis provinciis, quam in aliis. Ac tandem melius concludetur interdictum esse indiscretam censuram, ac perniciosam, et ideo peccare pontifices illas imponendo. Quia si detrimentum illud formidatum excusat subditos, ne obediant, idem profecto detrimentum prævisum accusat superiorem præcipientem, quod imprudenter ac injuste præcipiat. Sicut ergo esset erroneum et blasphemum hoc dicere, ita vanum est illo prætextu excusationem fingere, quia eccle-

sia, non obstante illo periculo, judicat expedire illam censuram imponi et observari propter vitanda majora mala, eo vel maxime, quod, stante interdicto, majus est periculum scandali in illius transgressione quam in humili subjectione. Et magis poterit conservari devotio populi, si excitetur ad humilitatem et ad clamandum ad Deum corde contrito et humiliato, quam si sacra fiant et frequententur cum scandalo, et accusante ac reprehendente conscientia, vanasque excusationes cogitante.

128 Atque hæc responsio fere eodem modo locum habet in secundo prætextu timoris. Nam si ex illo capite periculum aliquod peculiaris mótionis esse potest, profecto cum omni interdicto conjunctum est. Non enim est cur Veneti nobis ita exaggerent suorum populorum devotionem et propensionem ad officia divina, ut nobis persuadeant in hoc excedere omnes alios christianos populos; nec etiam est cur affirment suam plebem esse magis audacem et temerariam ad insurgendum contra clerum, et vim illi inferendam, quam sint nationes aliæ. Ergo si illud periculum verum est vel consideratione dignum, est per se ac ubique conjunctum interdicto; ergo æque hic urget ratio facta, quod vel hæc censura de medio tollenda est, tamquam secum afferens seditionem et perturbationem christiani populi contra clerum, vel quod non obstante illo periculo censura observari debuit, sicut in aliis populis et civitatibus servari solita est. Hinc autem colligitur etiam optimum argumentum, quod talis prætextus vanus sit, et absque morali fundamento; nam quod numquam in aliis populis accidit, sine causa in ditione Veneta timetur; aliæ autem gentes ac populi sæpe tolerarunt interdictum per plures annos absque seditione populi vel violentia, quam clericis intulerint, ut ex historiis constat; ergo illa occasio timoris sine fundamento conficta est. Quod si fortasse communis plebs Venetorum acerbius ac durius hoc interdictum tulisset ob publicos rumores a republica sparsos, quod esset injustum et contra temporalia commoda ipsiusmet plebis, periculum perturbationis, inde exortum si quod esset, non ipsi interdicto, sed præsumptioni magnatum, et falsæ doctrinæ consulentium ipsis tribuendum est. Ideoque non esset illi periculo occurrendum per inobedientiam interdicti, sed per publicam veritatis prædicationem, exhortationemque populorum ad obediendum ecclesiæ. Quod quidem si a pastoribus factum esset, nulla fuisset profecto metus occasio relicta ex populorum contra ecclesiasticos seditione.

129 In primo ergo puncto potest esse nonnulla magis apparens excusationis umbra, quia vis a principibus catholicis illata nova est et extraordinaria; unde dici non potest per se conjuncta cum interdicto; cum ergo revera dicatur illata, et cum magno temore, et comminatione gravissimorum damnorum vitæ aut rerum temporalium, videntur ecclesiastici Veneti hinc habere potuisse aliquam probabilem excusationem, vel credentes in principio, quod si pontifex tam acerbas persecutiones ecclesiasticorum prævidisset futuras occasione interdicti, illud observari noluisset, vel certe opinantes non posse illos obligare ad illud observandum cum tanto nocumento. Addunt præterea theologi superius allegati (quod speciali consideratione dignum est) rempub. non peccare, immo recte agere vim hanc et coactionem ad non servandum interdictum sed ad celebranda divina ecclesiasticis inferendo. Etenim ipsa respubl. probabiliter et bona conscientia (ut ipsi putant) credit vim sibi a pontifice inferri, dum injuste se suosque populos divinis privet; ergo licite eis est vim vi repellere, atque adeo cogere ecclesiasticas personas, ne talem pontificis sententiam, sibi suisque populis nocivam et injuriosam exequantur. Immo ajunt in hoc casu rempublicam seu principem ad hoc teneri, quia tenetur suos subditos defendere, non solum a nocumentis temporalibus, sed etiam ab spiritualibus, quando injuste inferuntur. Quod si hoc verum est, multo rationabilius erit excusatio cleri, tum quia non potest esse bellum justum ex utraque parte : si ergo republ. eos juste cogit, non possunt ipsi juste resistere; tum etiam quia si respubl. juste agit, ergo juste præcipit; ergo obligat ecclesiasticos suo præcepto; non ergo potest tunc obligare pontificis præceptum; tum denique, quia si præceptum humanum papæ obligaret cum tanto dispendio, id maxime esset, quando per tyrannidem et injuriam impediretur executio sententiæ pontificis; sed in hoc casu non per tyrannidem, sed juste impeditur. Ergo.

130 Ut igitur radicitus hanc excusationem evellamus, ab hoc ultimo puncto incipiendum est et videndum quantum et quomodo delinquat respublica Venetorum cogendo ecclesiasticos ad non observandum interdictum. In quo puncto nulla est nobis dubitandi ratio juxta facti veritatem. Satis enim, ut credimus, a nobis demonstratum est, ducem ac senatores Venetos graviter multisque modis contra libertatem ecclesiasticam et sacros canones deliquisse; ac subinde, supposita eorum contumacia, sententiam excommunicationis in eos juste latam fuisse, ac rursus, in censura excommunicationis sordescendo et obdurato animo in sua sententia perseverando, sufficienter interdicto causam dedisse. Ex quo ulterius evidenter concluditur personas eorum vere ac valide esse interdictas, et omnia loca, reipubl. subjecta, esse similiter juste ac valide interdicto supposita. Ergo dum ipsi non solum interdictum non servant, sed etiam alios ad non servandum cogunt, non tantum inobedientes sunt pontifici, sed etiam in clerum et ecclesiam tyrannidem apertam exercent. Nam injuste cogunt illos ad violanda sacra et ad non obediendum suo supremo pastori, justa præcipienti. Supposito ergo illo vero fundamento, nulla de hoc superest dubitatio. Addo vero, etiam supposito errore in quo versantur, existimantes censuras esse injustas, injustissime eos agere ac tyrannice, per vim et pœnas cogendo ecclesiasticos ad non servandum interdictum.

131 Ut hoc declarem et ostendam, distinguo quatuor gradus injustæ censuræ. Primum quando est injusta, non vero nulla; secundum quando est etiam nulla coram Deo, in foro tamen ecclesiæ est valida, quia scilicet in re non subest causa, in foro tamen ecclesiæ probatur et censura fertur secundum allegata et probata; tertium quando reus censuras dicit esse nullas et habet auctores et doctores, et rationes etiam usque ad probabilitatem, sed tamen judex est in contraria sententia et cum probabilitate rationum et auctorum, ac denique res non est evidens, sed utrinque dubia modo dicto; quartum quando sententia est ita evidenter nulla, ut sit clara violentia cogere ad illius observationem. In primo gradu certissimum est esse rem injustam cogere ad non servandum censuras, cum sit sacrilegium illas non servare, ex communi omnium et indubitata sententia; tunc enim maxime obtinet sententia Gregorii homil. 26 in evangelia : *Sententia pastoris sive justa sive injusta timenda est.* Et refertur 11, q. 3, c. 1; et ibi in c. *Quibus* magis explicatur ab Urbano pontifice dicente : *Valde est timenda sententia episcopi, licet injuste liget.* Nam si ligat, timenda est, cum vinculum injiciat : et in eodem sensu dixit etiam Gregorius contra morem ecclesiasticum esse non patientissime tolerare prælati correctionem etiam injustam, lib. IV, epist. Si sent., cap. 95, et cap. *Contra morem* d. 100. Et hoc etiam optime confirmant verba Caroli magni, quæ iterum in superioribus allata sunt ex capite *In memoriam* d. 19 : *Servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, tamen feramus et pia devotione toleremus.* Ratio vero est clara; quia, si sententia censuræ est valida, secum affert executionem; ergo vere interdicit vel excommunicat. Ergo ecclesiastici tenentur illam servare; ergo injustum est et sacrilegum est eos minis et terroribus inducere ad eam violandam.

132 In secundo gradu est etiam clarum censuram esse in conscientia servandam publice, et non posse illi resisti, quia prælatus ecclesiarum juste illam profert secundum allegata et probata; et ita, licet in re non subsistat causa ejus, in foro ecclesiæ tenet censura; et ideo in eodem foro illi parendum est; quæ etiam est communis sententia, de qua hic non plura dicam, quoniam ad causam non refert. In tertio gradu est etiam sine dubio præferenda causa prælati, ut in superioribus prolatum est; quia, licet demus posse unumquemque quoad actionem suam conformari suæ opinioni alias probabili, quando alioqui non intervenit præceptum prælati, tamen, quando non obstante varietate opinionum, prælatus interponit auctoritatem et præceptum suum, sine dubio parendum est ex omnium sententia. Multo ergo fortiori ratione non posset in tali causa respublica cogere juste subditos suos ad non parendum censuris, quia major est potestas et auctoritas pontificis, quam reipub., præsertim in materia de censuris, tam in judicio de valore illarum quam in præcepto de earum observatione. Ergo si materia est alioqui de se dubia, vel utrimque probabilis, prævalet pontificis potestas; ac

subinde respectu illius, est evidens inobedientia et injuria cogere alios ad non obediendum talibus censuris; respectu vero subditorum, est tyrannis manifesta, quia coguntur subditi ad rem iniquam et sacrilegam in materia, in qua non sunt subditi. Item ipsimet gubernatores non possunt in tali casu in conscientia non servare interdictum et censuram, saltem in publico foro ecclesiæ; quomodo ergo poterunt juste cogere alios ad non servandum illam? Antecedens etiam a suis defensoribus non negatur; nam fatentur in casu dubio parendum esse superiori, estque communis sententia, de qua supra diximus. Et in præsenti materia de censuris patet, quia in eo casu sententia non continet intolerabilem errorem; nam, ut supponitur, fundatur saltem in probabili sententia; ergo non habet nullitatem juridicam, quia supponimus esse a legitima potestate, et non habere alium defectum essentialem; ergo perinde servanda est sicut sententia lata secundum allegata et probata. Et ita colligitur ex communi sententia, ut late refert Covar. in cap. *Alma mater* p. 1, s. 7, n. 5, et nos etiam attigimus tom. V, disp. 4, sect. 7. Cum ergo non possint Veneti negare quin sententiam sanctissimi domini nostri Pauli V saltem probabilibus causis et rationibus nitatur, nisi velint contra omnium hominum sensum loqui et in meridiana luce se cæcos ostendere, profecto nulla ratione apparenti possunt justificare factum cogendi per vim et metum cives suos ad non servandum interdictum.

133 Addo vero ulterius, quod etiam in quarto casu seu gradu nullitatis censuræ non habet potestatem neque jus magistratus temporalis ad cogendum ecclesiasticos ad non servandam censuram vel ad celebrandum tempore interdicti, etiam si publice constet illud esse nullum. Si enim concilium Trident. sess. 25, c. 5, de reform. dixit nefas esse potestati sæculari cogere ecclesiasticum judicem, ut censuram tollat eo prætextu quod inique lata sit, quanto diceret detestabilius esse rempublicam sæcularem cogere episcopos et ecclesiasticos viros ad non servandum censuras, a pontifice latas, falso nullitatis prætextu? Ratione vero ita ostenditur, quia vel hoc licet principi sæculari ratione jurisdictionis, vel per modum justæ defensionis : neutrum dici potest; ergo nullo modo id licet. Consequentia est clara ex sufficiente partitione in majori posita; non enim potest excogitari alius titulus, ratione cujus possit unus homo alteri vim inferre, mortemve comminari, vel aliquid simile : suppono enim hic non esse sermonem de patre respectu filii, nec de domino respectu servi, nec de viro respectu uxoris, licet in his etiam quidam modus jurisdictionis, hac voce utendo pro quo quacumque superioritate vel dominio, intercedat. Probatur ergo minor quoad priorem partem; etenim ecclesiastici non sunt subditi civili magistratui, maxime quoad vim coactivam, ut supra late probatum est. Et multo magis est certum etiam de jure divino, quoad actiones sacras seu ecclesiasticas, quales sunt servare interdictum non dicendo sacrum, ministrando sacramenta etc. Ergo sive ecclesiastici bene faciant, sive male, servando interdictum nullum, non possunt per potestatem laicam puniri, nec etiam cogi ad contrarias actiones sacras præstandas, eo vel maxime, quod, licet interdictum publice sit nullum, non sequitur ecclesiasticos male agere servando illud, quia ille de se est actus humilitatis et submissionis ad suum superiorem et etiam patientiæ, potestque fieri ut illa via majora mala vitentur, et afflictio interdicti minus duret. Ergo non possunt laici usurpare judicium de tali actione contra clericos; ergo titulo jurisdictionis non potest actio illa justificari. Altera vero pars de jure defensionis probatur : quia hi ecclesiastici nullam vim inferunt reipubl.; nam vis dicit positivam aliquam actionem injuriosam, si vis proprie sumatur pro coactione et violentia propria; vel moralem, loquendo late de violentia morali, prout dicitur vim facere judex, qui sententiam aperte iniquam profert vel negat injuste appellationem. Ecclesiastici autem, servantes interdictum, non exercent aliquam actionem violentam vel injuriosam in rempublicam, sed solum abstinent a quibusdam actionibus, vel certum modum in eis servant; non ergo inferunt vim; ergo nec per vim cogi possunt, nec habet hic locum justa defensio.

134 Sed ajunt : Ecclesiastici tenentur de justitia sacra ministrare reipublicæ; ergo vim inferunt reipublicæ privando illam sacris officiis propter interdictum injustum et plane invalidum. Antecedens patet,

quia inter populum et clerum in hoc corpore religionis Christianæ intervenit hoc tacitum pactum, quod populus alat clericos, ipsi vero teneantur spiritualia ministrare : ex quo pacto oritur obligatio ex justitia, cum laici ex parte sua pactum impleverint. Confirmant hoc primo, quia cum respublica aliqua religionem suscipit christianam, quasi contrahit pactum cum Deo, ut ipsa sit populus Dei et ipse sit Deus ejus, id est ut verus Dei cultus per sacrificium verum ac sacramenta in tali republica sit; ergo, dum hoc beneficio privatur injuste, quasi Deo ipso privatur; potest ergo juste se defendere. Denique hoc confirmant, quia cedit in magnam ignominiam et infamiam reipubl. quod privatur indebite sacris, et sine causa. His et similibus rationibus, ut relatione intellexi, utuntur quidam, qui defensionem reipubl. Venetæ assumpserunt, etiam in hoc facto cogendi ecclesiasticos ad non servandum interdictum. In quibus rationibus semper supponunt censuras pontificias esse plane injustas ac nullas : quod ipsi nec probabiliter, nec apparenter adhuc probare potuerunt, nec vim effugere rationum, quibus juste ac valide esse probantur, nisi introducendo erroneam doctrinam, sacris canonibus receptisque catholicorum sententiis contrariam; et ita illæ considerationes et illationes cum ex falso fundamento procedunt, nullius momenti sunt.

135 Addo vero ac respondeo etiam ex illa suppositione male eos inferre et concludere; unde ad principalem rationem (quidquid sit de antecedenti), negatur consequentia, quia aliud est injustitia, et aliud vis; atqui non omnis injustitia potest per vim repelli, sed illa tantum quæ infertur per actualem vim, ut omnes docent, et in præcedenti libro c. 13 tactum est. Si enim debitor statuto tempore non solvat debitum, injustitiam facit; illa tamen non est vis, nec licet ei, qui jurisdictionem in alterum non habet, per vim eam injustitiam repellere. Item si parochus sit negligens in ministerio suo, contra justitiam peccat; non tamen vim infert, quæ per vim possit repelli; idem est de episcopo, et de ipsomet pontifice dici potest; immo et de rege et senatoribus ipsis Venetis : nam etiam ipsi de justitia tenentur populum gubernare in æquitate ac justitia. Si ergo rex sit negligens in gubernando, peccando contra justitiam debitam in officio suo, poterit populus contra eum insurgere, ut vim vi repellat? Hoc non admittent domini Veneti, nam videbunt statim esse contra politicum statum, et temporalem pacem, unitatemque reipubl. Ita ergo necesse est fateantur non habere locum in casu interdicti, etiam invalidi, violentiam clericorum sub titulo defensionis. Deinde vero addo non intervenire ibi proprie injuriam ex parte inferiorum ministrorum, quia, esto interveniat illud pactum inter populum et clerum, inferiores ministri ecclesiastici non obligantur, nisi dependenter a suo capite; et ideo, quando ab ipso prohibentur, sive jure, sive injuria ipse id faciat, non peccant ipsi contra justitiam abstinendo vel cessando, quia non obligantur ministrare, etiam repugnante capite. Nam illis etiam hoc esset nimis onerosum et periculosum. Item possunt prudenter judicare ad publicum scandalum vitandum et majora mala expedire magis pro tunc abstinere a sacris; quod non est substantiale detrimentum populorum, nec irreparabile damnum, et ideo non sequitur esse injustitiam. Unde ad minimum concluditur non posse per vim repelli. Denique in hoc ipso negotio episcopi ipsi ordinarii sunt superiores reipublicæ et ad ipsos pertinet judicium, an expediat necne tale servare interdictum, tametsi nullum; ergo non faciunt vim, etiamsi abstineant, nec possunt per vim cogi. Si ergo in eo casu possunt de aliquo conqueri, quod injustitiam faciat, maxime de pontifice summo ferente interdictum, quod supponitur esse nullum, numquid ergo possent licite in eum per vim irruere, et mortem minitari, nisi tolleret interdictum? Absit : hoc enim esset os in cælum ponere et viam schismatibus aperire. Hoc autem plane sequitur ex ratione illa, si alicujus esset roboris et momenti.

136 Ad confirmationem, quæ symbolica est et parvi momenti, eadem responsio adaptatur; quia tota illa privatio Dei aut sacrorum non est per vim, sed per alium modum injuriæ, non tam a ministris, quam a supremo prælato; et ideo remedium non est quærendum per vim, sed per alia convenientia media, ut est communis doctrina omnium scribentium de potestate papæ et vi ab ipso illata. Dico præterea, licet servetur interdictum, non

privari populum Christianum Deo suo, sed tunc magis eum colere per patientiam et obedientiam humilem, quam per violentam exactionem divinorum officiorum. Violentia enim non est accommodatum medium ad extorquenda officia divina, neque Deo placere possunt talia sacrificia, nec talis cultus. Altera vero confirmatio rationem continet magis politicam quam christianam; respondemus tamen, cum interdictum sit validum, ut revera est illud, de quo tractamus, summa ignominia christianæ reipublicæ esse per vim et persecutionem ecclesiasticorum illi resistere; nam hoc vel est aperte schisma, vel non longe ab illo distat. Dico vero, quod licet esset invalidum, nulla esset ignominia tolerare illud, sed esset opus insigne patientiæ et reverentiæ erga Christi vicarium : et quando illa esset aliqua ignominia, a christiano principe non esset repellenda per actionem iniquam, nec manus violentæ in sacros homines essent inferendæ. Nulla ergo ratione potest coactio illa et persecutio clericorum a sacrilegii et tyrannidis nota vindicari.

137 Cum ergo sæculares Veneti excusari non possint persequendo et cogendo ecclesiasticos, videamus jam an ipsi excusari a culpa et inobedientia possint, illis cedendo et ob timorem mortis vel aliorum gravaminum interdictum violando. Est autem præcipue sermo de episcopis et prælatis. De quibus in primis dicimus nullo modo eos excusari posse; quod hoc dilemmate concludimus, loquendo solum de casu præsenti. Aut enim illi episcopi credunt præceptum pontificis esse justum et validum, aut credunt esse injustum et nullum; sed utroque modo graviter delinquunt; ergo nullo modo excusari possunt. Minor quoad priorem partem probari potest primo ex capit. *sacris*, et *his quæ* etc. Ubi Innocentius III distinguit inter coactionem et metum, dicitque eum, qui cogitur communicare cum excommunicato, excusari; eum autem, qui per metum communicat, non excusari, cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere. Eadem autem ratio secundum omnes est de interdicto : excusatio ergo metus non sufficit in violandis censuris. Hic vero textus non omnino cogit; nam, eo non obstante, multorum gravium auctorum opinio valde probabilis et fortasse vera est, aliquando metum excusare a culpa in communicando cum excommunicato, seu (quod perinde est) in non observando censuram validam, ut tractavi V tom. disp. 6, sect. 3. Ubi etiam auctores retuli. Sed licet verum sit, decisionem illius textus non esse ita intelligendam, ut semper et in universum sit peccatum non servare censuram ex metu, nihilominus necessario fatendum est, non semper excusationem metus validam esse in violatione censuræ; sed, metu non obstante, sæpe esse peccatum agere contra censuræ prohibitionem; nam hoc ad minimum definit Innocentius III; et ideo auctores, qui ita limitant textum illum, variis modis illum interpretantur. Si tamen eas interpretationes consideremus, et ad præsentem casum fideliter applicemus, inveniemus plane casum hunc comprehensum esse in decisione illius textus.

138 Primo ergo docent aliqui Innocentium fuisse loquutum de metu levi, qui non cadit in virum constantem, nec multum movere debet; nam metum gravem putant fuisse ab ipso comprehensum sub violentia. Quam expositionem Covarruvias et alii indicant. Et quidem licet neque verbis textus satis accommodetur, neque generalem doctrinam sufficienter declaret, tamen id quod asserit, verum est, scilicet metum levem non excusare a culpa etiam mortali, communicando cum excommunicato in ea communicatione, quæ de se mortifera est, ut est communicatio in sacris, vel alia similis. Nam hoc et ex textu ipso ad minimum probatur, et ex ratione, quia talis metus fere nullum involuntarium causat, et ex communi sententia sine dissensione. Addimus vero applicando doctrinam hanc ad casum præsentem, considerata personarum qualitate rerumque, quæ in hoc negotio acciderunt et a fide dignis narrantur, non fuisse metum gravem incussum episcopis vel prælatis, sed facili negotio ac libera voluntate eos in reipublicæ sententiam descendisse. Hoc in primis testatus est auctor epistolæ octo propositionum in fine his fere verbis : Licet domini Veneti sub comminatione mortis omnibus religiosis præceperint, ut apertis ecclesiis celebrent, sicut prius, non id fecerunt, quia crederent timorem illum fuisse necessarium, cum scirent omnes majori ex parte esse paratos ad interdictum non servandum, sed divina ministeria libere sicut

antea peragenda, verum ut severius et constantius id facerent. Si ergo hoc verum est, non fuit profecto verus timor, sed apparens, ac subinde vix fuit levis, nedum gravis. Deinde quamvis respectu aliquorum negari non possit, quin comminationes illæ factæ sint ad verum metum incutiendum, tamen experientia ipsa ostendit fuisse magis comminationes ad terrorem quam ad exsecutionem; nam qui fuerunt constantes, nulla acerba mala passi sunt, præter ejectionem ex civitate et dominio; quæ non erat res magni momenti in causa, et pro causa tam gravi. Et sine dubio erat per se valde credibile, quod, si episcopi et prælati omnes inter se uniti constantiam ostendissent, veramque doctrinam libere prædicassent, non fuissent ausi senatores catholici grave aliquod malum eis inferre, et se aperte tyrannos et persecutores episcoporum in medio ecclesiæ profiteri. Non est ergo, quod timorem nobis exaggerant, ut credamus fuisse ita gravem, ut ad excusationem etiam simplicis transgressionis præcepti humani sufficeret. Sed ne ad quæstionem facti, quæ ad nos non pertinet, doctrinam revocemus, procedamus ulterius, et admittamus timorem fuisse gravissimum.

139 Est igitur secunda expositio, Innocentium tertium in dicto capite *sacris*, fuisse loquutum de communicatione in sacris cum excommunicato : dicunt enim illam esse intrinsece malam et peccatum mortale, ac subinde numquam esse licitam propter metum quantumvis gravem, et hanc fuisse mentem Innocentii. Quod potest sumi ex doctrina D. Thomæ in quarto, dist. 8, q. 2, articulo quarto, q. 1, ad 1, seu in addit. q. 23, art. 3 ad 1, et quolibet. 11, art. 9, ad ult. in fine et ex Durand. in 4, dist. c. 8, q. 3, ad 3; juxta quam sententiam (quidquid sit de accommodatione ejus ad textum) etiam convincuntur ecclesiastici et pastores Veneti non posse per metum excusari, quia maxime inducti sunt ad communicandum in sacris et ad violandum interdictum in rebus sacris. Fortasse tamen dicent sententiam illam, quæ in universum docet ex metu mortis non esse excusabilem communicationem in sacris non esse veram, nec ex divo Thoma vel Durando sufficienter sumi. In quo non repugno, si communicatio sit talis, ut non involvat deformitatem aliquam contra præceptum naturale et divinum jus; tunc enim excusare non potest metus (ut recte dixit Sylvester verbo *Metus*, q. 7, et verb. *Excommunicatio* 3, n. 6, in fine, ubi etiam textum illum exponit) quale est admittere ad Eucharistiam eum, quem minister sacramenti scit esse excommunicatum, seu dedisse causam interdicto et in sua sententia perseverare; et similia, quæ sunt intrinsece mala; et ideo propter nullum metum fieri possunt. Considerent ergo pastores Veneti, an hoc modo communicaverint in sacris, et an tales communicationes approbaverint, et fortasse intelligent non excusari per metum a multis transgressionibus gravissimis contra reverentiam debitam rebus sacris. Sed ulterius procedendum est.

140 Tertio ergo exponitur textus ille, ut intelligatur de communicatione cum excommunicato, vel violatione censuræ, quæ fit in contemptum clavium vel censuræ, ac potestatis superioris, et præcepti ejus. Nam actio hæc tam est per se ac intrinsece mala, ut numquam possit fieri sine gravi crimine; ideoque non potest excusari, si fiat propter quemlibet metum. Hæc est sententia D. Thomæ in dicto quodlib., ubi in corpore ait : « Quicumque communicat cum excommunicato, quasi contemnens mandatum ecclesiæ, peccare mortaliter; » et in fine concludit hunc esse unum ex casibus, in quo verificatur dicta decretalis *sacris*. Sic etiam Navar. in cap. *inter verba laudantium* 3, § *infertur quarto*, dicit responsum Innocentii intelligi *de communicante in contemptum, vel negationem clavium, vel auctoritatis excommunicantis, vel potestatis ecclesiasticæ*. Idem docet Covarruvias in capite *Alma mater* 1 p. § 3, n. 9; Adrianus in 4, q. 3 de clavi except. 8 et quodlibet. 1, art. 3 ad 3, et quodlibet. 6, art. 3 ad 2, circa finem; Mai. 4, d. 18, q. 4. Sylvester idem sentit dicto verb. *Excommunicatio* 3, n. 23 in fine, et sum. confes. tit. de sent. excom. q. 165. Quæ sententia quoad doctrinam in se spectatam certissima est, tum quia tunc consentire inferenti metum et cooperari cum illo est simul etiam præceptum contemnere vel superiorem, vel est negare potestatem ejus, vel quid simile. Hoc autem intrinsece malum est; tum etiam quia, licet leges humanæ regulariter non obligent ad sui observationem cum periculo mortis,

nihilominus si transgressio legis includit contemptum vel religionis vel fidei, vel quid simile, certum est eam obligare ad sui observationem, non obstante quocumque metu, ut omnes catholici doctores docent, ut in his quos proxime retulimus videre licet; et in Cajet. et in aliis 1, 2, q. 96, art. 4 et 22, q. 125, art. 2; Soto lib. 1 de just. q. 1, art. 4, et in 4, d. 22, q. 1, art. 4; Ledesm. 2 p. quarta. q. 10, art. 5; Gab. 4, d. 18, q. 3, dub. 4; Ivan. And. Ant. et Imol. in dicto cap. *sacris;* quia tunc subest ratio sufficiens boni communis, propter quod potest obligare legislator, etiam cum periculo vitæ.

141 Applicando ergo prædictam doctrinam ad casum præsentem, publicum satis ac notorium est ducem et senatores Venetos contempsisse censuras pontificias; quod præter constantem famam ex verbis eorum tam in manifesto ducis, quam in litteris senatorum manifeste constat. Nam dux vocat breve pontificium contra omne jus et æquum, et ea, quæ divina scriptura, sanctorum patrum doctrina, et sacri canones præcipiunt; et in fine concludit, obsecrando Deum, ut suo spiritu mentem pontificis excitet, quo brevis sui et omnium actorum suorum contra rempublicam nullitatem cognoscat. Senatores vero in epistola sua, non contenti similibus sententiis, quasi per contemptum ajunt pontificem vulgaribus suis armis contra ipsos usum fuisse. Rursus cum ecclesiasticos per metum induxerunt ad non servandas censuras, plane induxerunt ad illas non servandas eodem prætextu et titulo, quod essent nullæ et contemnendæ. Ergo si censuræ validæ sunt, ut vere sunt, et episcopi et pastores ita de illis coram Deo sentiebant, ut nunc supponimus (nam hac suppositione in his rationibus procedimus), non poterant ob metum cedere, et exterius consentire, et cooperari illi contemptui censurarum et pontificis. Nam in hoc maxime casu locum habet decretalis *Sacris,* cum communi doctrina explicata. Dicent fortasse, quamvis ex parte senatorum omnia fierent ex contemptu, nihilominus quod ipsi faciunt, non esse ex contemptu ex parte ipsorum, sed ex metu; vel etiam dicent senatores non contemnere dignitatem pontificis, nec negare illius potestatem simpliciter, sed in tali casu et materia, et ita eos neque hanc personam pontificis contemnere, sed hanc tantum actionem, ac similiter non contemnere censuras ut sic, sed has ut nullas, et hunc contemptum non sufficere, ut lex humana obliget cum tanto rigore, interveniente tam gravi metu. Sed utraque evasio frivola est. Prima quidem, quia esto interius non habeant formalem intentionem contemnendi (de qua non judicamus), habent voluntatem cooperandi ad aliorum contemptum, quod reipsa faciunt, dum publicum contemptum censurarum et papæ, quem respublica profitetur, non solum ipsi fovent, sed etiam exequuntur. Nam licet hoc faciant ex metu, simpliciter voluntarie faciunt, ideoque gravem culpam non effugiunt. Secunda item evasio non plus juvat, quia non solum est pravum cooperari contemptui, qui sit contra fidem, sed etiam illi, qui sit contra religionem, obedientiam et unitatem ecclesiæ. Contemnere autem dignitatem [pontificiam aut censuras, secundum se vel ex animo negandi absolute pontificis potestatem, est contemptus hæreticus, ut ita dicam, seu ex hæresi profectus; non ergo de hoc solo contemptu loquuntur auctores supracitati, sed de contemptu clavium in tali actu, vel pontificis jubentis illum : quia etiam hic contemptus est valde irrationabilis, et injuriosus valde religioni christianæ, ac perinde nimium perniciosus; et tunc violare censuram non est dissimulare, vel non impedire, sed est cooperari contemptui. Unde negari non potest, quin pontifex habeat potestatem obligandi tunc inferiores pastores ad tuendum suum honorem et ecclesiæ, non obstante quocumque metu; minusque dubitari potest, quod habuerit hanc voluntatem, quæ justissima erat, et valde necessaria ad ecclesiæ defensionem.

142 Multumque confirmatur hæc veritas ex duabus aliis interpretationibus ejusdem capitis *sacris,* quæ in se veram doctrinam continent; quod ad causam nostram refert; quidquid sit de accommodatione illarum ad textum. Quarta ergo interpretatio est, ut caput illud intelligatur de metu, directe immisso ad violandas censuras; qui vocatur metus, ab extrinseco illatus, ut distinguatur a metu mortis, aliunde proveniente ab intrinseco, ex fame vel necessitate aliqua humana. Nam quod ex hoc posteriori metu liceat non servare censuram, vel communicando cum excommunicato, et petendo ab illo sacramentum in

articulo mortis, vel auxilium contra hostes vel quid simile, satis certum apud omnes est; at vero quando timor est ex comminatione tyranni vel hominis rebellis ecclesiæ, directe ut violetur censura, tunc auctores hujus interpretationis ajunt quod numquam licet violare censuram ex metu. Ita docuit Ab. cum Antonino in d. c. *sacris*, n. 7, et sequitur Adri. locis supracitatis; additque Ab. rationem non contemnendam. Nam qui ex alia intrinseca necessitate operatur id, quod per censuram prohibitum est, non agit formaliter contra censuram, sed subvenit vitæ suæ; quando vero aliquis directe inducitur ad violandam censuram, formaliter censetur illam violare, quando aliorum inductioni consentit, eorumque malitiæ cooperatur, et ideo non excusatur sicut prior. Hic ergo auctores etiam condemnant factum pastorum Venetorum. Nam constat metum fuisse directe incussum, ut violarentur et contemnerentur censuræ. Et quamvis fortasse illa regula vel dispositio dictorum non sit ita generalis, quin patiatur exceptionem, tamen regulariter loquendo procedit et reducitur ad dicta in puncto proxime præcedente; nam regulariter talis actio facta ex tali metu, maxime quando fit eum tyrannide, vel rebellione contra ecclesiam et quadam divisione a capite, aut consentire tali metui non est sine contemptu clavium et pontificis, et ideo talis metus non excusat. Et revera in hoc sensu loquuntur auctores dicti, ut magis quam cæteri explicat Adrian. Non enim loquuntur de metu directe incusso ab aliquo propter spem alicujus lucri vel propter indiscretum desiderium audiendi sacrum; hic enim metus interdum excusare potest; sed loquuntur de inferente metum, ut prævaleat contra censuram et auctorem ejus, et suam illi potestatem præponat, et ostendat talem censuram nullius momenti esse. Et hoc modo utramque partem bene confirmat Adrian. ex exemplis Machabeorum lib. I, c. 2 et lib. II Machab. c. 7. Ita ergo hæc sententia coincidit cum præcedenti; illamque rem magis declarat et confirmat; et in casu nostro omnino evidentissimum est omnes illas circumstantias concurrere.

143 Quinta ejusdem textus interpretatio, quæ nobis etiam multum inservire potest, est decisionem illam esse intelligendam de communicatione cum excommunicato in crimine; nam illa communicatio intrinsece mala est, et ideo licere non potest, etiam propter metum gravissimum. Hæc fuit sententia Innocentii IV super illum textum. Et illam amplectitur d. Thom. supra, Sylvest. Panor. et omnes, quoad hoc saltem ut in illo casu infallibiliter procedat regula l. *sacris*, etiam si ad illud solum arctanda non sit. Hoc vero quod certissimum est, nobis sufficit, quia in hoc casu Venetorum ecclesiasticorum lapsus et pusillanimitas non fuit sine communicatione in crimine criminosi; quod variis modis ostendi potest. Primo quia non tantum exterius non servarunt censuras, sed etiam publice professi sunt illas esse nullas et non obligare; hoc autem erat unum ex maximis criminibus ipsorum excommunicatorum; nam hoc est maxima contumacia eorum; ergo secundo per hoc factum approbant hi ecclesiastici leges, conditas a Venetis, et actiones incarcerandi ecclesiasticos, et ita obfirmant amplius obstinatos animos principum Venetorum; ergo cooperantur maxime crimini eorum. Tertio (quod gravius est) eos confirmant in erronea doctrina, quod papa non possit leges illas irritare, et quod respubl. possit ecclesiarum tollere immunitatem et abrogare, et quod potestas eorum in his locis non subordinetur potestati pontificis; sed hæc omnia pertinent ad crimen maximum ipsorum excommunicatorum; ergo violatio illa censurarum est cum communicatione in crimine, ac subinde intrinsece mala et inexcusabilis ratione metus. Quarto huc accedit, quod in magistratu et pastore, et in universum in eo, qui ex officio tenetur impedire malum, vel docere veritatem necessariam ad vitanda mala publica, tacere et connivere est cooperari. At ecclesiæ pastores tenebantur maxime impedire malum illud, et docere veritatem; ergo tacendo et dissimulando, nedum exterius assentiendo, maxime cooperati sunt illi crimini, et peccato; nec per metum excusari possunt. Sic dixit Bald. in lib. *non ideo* c. de accusat. et in lib. I. § *Hoc autem* ff. ad Silani. illos favere hæreticis, qui contra eos non exsequuntur, quod a magistratibus eis fuerit mandatum. Ergo episcopi, qui contra contumaces non faciunt, quod pontifex præcipit, ipsis contumacibus favent, et eorum crimini cooperantur, nec excusari possunt ob metum; nam in eo casu maxime locum habet, quod

dicitur 11, q. 3, c. 80 : *Quisquis metu cujuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis hominem timet quam Deum.* Accedit quod ratione materiæ, in qua crimen Venetorum versatur, peculiari titulo et ratione tenebantur ecclesiastici, præsertim episcopi et prælati, non connivere et consentire cum illis; tenentur enim se opponere eis, qui bona ecclesiarum quacumque ratione usurpare procurant, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant; et dicitur in c. *generali*, de elect. 16; tenentur etiam jura ecclesiarum sine pontificis summi licentia laicis non permittere c. *hoc consultissimo*, de rebus eccles. non alien. in 6, et similiter ex capite *adversus*, de immunitate eccles.; tenentur denique ecclesiasticam libertatem tueri usque ad sanguinis effusionem, si opus sit, quia illius tutela et conservatio illis commissa est; et ad illa tenentur ex officio, et ideo non possunt propter timorem hanc curam dimittere magis quam alia, quæ sunt de necessitate salutis, ut aperte docuit D. Thomas 22, q. 43, art. 8, id confirmans exemplo gloriosi Thomæ Cantuariensis, qui pro tuenda libertate ecclesiastica martyrium subiit; possetque facile aliorum patrum exemplo et sententiis confirmari; sed ne prolixiores simus, ad hujus partis confirmationem hæc sufficiant.

144 Sed fortasse membrum aliud dilemmatis eligent, dicentque se judicasse censuras et præcepta pontificia fuisse injusta et nulla, ideoque in conscientia et coram Deo non credidisse se teneri ad illas observandas, et consequenter judicasse se non debuisse illas servare etiam exterius cum periculo ac detrimento. Verumtamen excusatio hæc non minuit, sed aggravat culpam. Primo quia licet res esset dubia, deberent ecclesiastici potius cum suo capite sentire, eique adhærere in sententia et judicio quam senatui sæculari, tum propter generalem regulam, quod in dubiis subditi stare debent judicio superioris, tum propter evidentem præsumptionem, quod in materia ecclesiastica majorem cognitionem et lumen habent ecclesiastici prælati, quam sæculares principes; tum maxime propter peculiarem prærogativam apostolicæ sedis, cui Deus clavem scientiæ concessit, et peculiarem promisit assistentiam; et licet in singulis factis non habeat illam infallibilem directionem, quam in rebus fidei et universalibus regulis morum habet, nihilominus pie credendum est in rebus magni momenti specialiter juvari et dirigi a Deo, maxime quando prudenti consultatione utitur, et recta intentione procedit; quod semper præsumendum est, quando oppositum evidenter non constat. In hoc autem facto omnes hæ circumstantiæ concurrunt, ut toti ecclesiæ manifestum est. Ergo, etiamsi res esset dubia, tenebantur Veneti episcopi et totus clerus submittere judicia sua pontificis judicio, illudque publice defendere ac tueri, supponendo censuras esse validas. Secundo vero fit hoc evidentius, quia res non est dubia, sed evidentissima, ut in discursu hujus libri manifeste deductum est ex principiis certissimis, in primo libro ita probatis, ut sine gravibus lapsibus et erroribus in doctrina fidei negari non possit. Quæ principia tenebantur scire episcopi et præcipue animarum pastores, præsertim cum materia sit quotidiana, et ad ecclesiasticam administrationem, et defensionem libertatis suarum ecclesiarum sit necessaria; vel saltem, si de tota causa et ecclesiastico jure non erant satis instructi, non debuissent præcipitare sententiam, inconsulto summo pontifice; deberent enim prius difficultates ei proponere, quæ ipsos movebant, et plenam instructionem postulare, ut suos subditos docere possent. Hic enim fuit perpetuus ecclesiæ usus, et hoc sacri canones passim præcipiunt, et catholici ac sanctissimi episcopi hoc semper servarunt. Illa igitur ignorantia, vel potius error seu præcipitata sententia non potest eos excusare a gravissima culpa violati interdicti; imo audeo dicere neque illam minuere, sed potius augere : non minuit quidem, quia videtur ignorantia affectata; nam (ut referunt homines fide dignissimi) ad primam instructionem et petitionem ducis et senatus colla statim submiserunt, et non solum opere, sed etiam mente ac judicio se illi paruisse ostenderunt. Ergo nullam habent ignorantiæ excusationem, sed illam voluntarie elegisse videntur, vel nimio terrore commoti, vel ex aliquo mundano affectu aut ad rempublicam temporalem, aut ad consanguineos, vel alia temporalia commoda. Unde etiam addo inde augeri culpam, quia error ille, sive in doctrina, sive in praxi (uterque enim conjungi videtur), in re tam gravi, et in talibus personis, per

se est gravis culpa; et, quatenus alios decipit vel in errore confirmat, est gravissima. Igitur, quocumque se vertant, non possunt inde eorum factum ac crimen excusare.

147 Accedit tamen ratio gravissimi scandali, inde in tota ecclesia secuti; propter quod vitandum (quando nulla alia ratio subesset) tenebantur omnino episcopi et pastores Veneti interdictum observare : quæ ratio maxime confirmat totum discursum factum, sive una, sive altera pars propositi dilemmatis eligatur; quia propter scandalum grave vitandum non solum censuræ validæ, sed etiam quæ nullæ existimantur servandæ sunt, ut omnia jura et doctores docent; quia in servanda censura nullum est peccatum, et dare grave scandalum magnum est peccatum. Quod autem scandalum dicti ecclesiastici dederunt, manifestum est : nam quantum in ipsis est, persuaserunt orbi pontificem fuisse injustum ac temerarium in hac causa. Item facto suo prædicarunt recte acturos principes sæculares, clericos malefactores incarcerando et criminale de illis judicium usurpando, et de ecclesiasticis bonis in suum commodum disponendo, suisque legibus modis aliis ecclesiam gravando, et propter hanc causam non esse dignos reprehensione, nec posse pontificem tanto malo remedium opportunum adhibere. Ostenderunt etiam magnam animi timiditatem, et exemplo suo docuerunt subditos, ut facile et ob quemcumque timorem alicujus incommodi temporalis pontificia jussa contemnerent. Nam subditi, pastorum suorum actus intuentes, eos facile imitantur. Denique viam aperuerunt, ut gravissimum schisma in ecclesia nasceretur. Nam ut Cyprianus epist. 63 dixit : *Hæc sunt initia hæreticorum, et artes atque conatus schismaticorum, male cogitantium, ut sibi placeant, et præpositum superbo tumore contemnant.* Quamobrem discursum hunc alia ejusdem Cypriani gravissima sententia concludam. Sic enim ad Cornelium scribit, ep. 55 : *Si ita res est, ut nequissimorum timeatur audacia, et, quod mali jure atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant, actum est de episcopatus vigore, et de ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divina potestate, nec christiani ultra aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas atque insidias pertimescamus.* Et infra : *Sed non ideo, frater carissime, relinquenda est ecclesiastica disciplina, aut sacerdotalis solvenda censura, quoniam convitiis infestamur, ac terroribus quatimur, quando occurrat et moneat Scriptura divina, dicens : Ille qui præsumit et contumax est, vir sui jactans, nihil omnino perficiet.* Unde postea concludit : *Neque enim aliundæ hæreses subortæ sunt aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur.*

LIBER TERTIUS

DE TUENDA ECCLESIASTICA IMMUNITATE CONTRA MUTILATORES TOMI V DE CENSURIS EJUSDEM AUCTORIS.

PROOEMIUM.

1 Si verum est illud, quod scite scripsit Aristoteles, æque homines ingenii et artium fœtus ac natos ipsos deamare, in promptu erit ratio (etsi alia fortior existit) cur superioribus libris hoc apponam additamentum. Cum enim quintum, quem scripsi de censuris tomum, lacerum aliquot in locis videam et mutilatum, cur non doleam ingenii fœtum et cerebri prolem ita fuisse per summam injuriam laceratam! Non hæc patientia esset, sed negligentia, non pacis amor, sed segnities improbanda. Ne tamen lector nescius sit, rem paucis expediam. Cum meus de censuris tomus quintus typis denuo Venetiis mandaretur, etsi nihil, quod sciam, novæ doctrinæ sit affixum, aliquot tamen in locis ea mihi expuncta sunt, quæ non erant ad gustum Venetorum. Parturiebant scilicet monstrum, quod postea pepererunt; et quæ recens nato obesse poterant, præventis consiliis abstulerunt. Neque futilis videri potest hæc conjectura consideranti fere illa tantum ex meo libro fuisse abrasa, in quibus sedis apostolicæ auctoritatem et potestatem, ac censurarum rigorem amplificabam. Cur enim, multis intermissis, in ea tantum involavit audacia, quæ Venetorum in pontificem et ejus potestatem conatibus obsistebant? Cur censuram distringuunt in eam doctrinam, in qua censurarum vigor et spiritualis gladii rigor stabilitur? Nimirum censurarum vires enervare et pontificis potentiam imminuere certum erat; et cum in catholicorum libris patrocinium reperire non possent, ne saltem reciperent detrimentum, quæ poterant obesse, abraserunt. Neque existimo eo consilio in meo potius libro quam in aliis hanc fecisse mutilationem, quod plus aliquid mihi tribuerent, aut majorem in me cognoscerent auctoritatem; sed cum præsens typorum occasio in meo potius libro quam in aliis offerretur, id quod in omnibus facerent, si adesset occasio, in meo, ubi se dederat, exercuerunt. Quis vero primus auctor et fons exstiterit hujus facti, non ita mihi exploratum; rumor tamen quidam vulgo percrebuit senatoris cujusdam et religiosi servitæ industria id perfectum : quod si fortasse plures in ea re suam interposuerunt auctoritatem, tanto pejus est. Ut enim Hieronymus prudenter scripsit ad Ruffinum : Peccantium multitudo non parit errori patrocinium. Itaque cujusvis ope aut opera ea obliteratio facta fuerit, non mihi tantum injuria exstitit, sed veritati ac sanæ doctrinæ perniciosa. Hæc igitur ratio me præcipue excitavit ad hunc tertium librum scribendum; nam quamvis me aliquantulo commoverit illorum audacia, qui sanam ex meo libro doctrinam abraserunt, ratio ipsa postularet ut male saucio fœtui et per injuriam truncato medicarer. Ea tamen cura levius meum animum vellicabat, præsertim cum illustrissimi DD. cardinales, qui in congregatione librorum prohibitorum assistunt, publico diplomate et gravi denunciata pœna satis declararint, quanta exstiterit audacia typographi, mutilatum librum excudentis; non ergo mea me tantum commovit injuria, quantum veritas et sanæ doctrinæ defensio stimulavit; quam percurrendo breviter illa omnia, quæ mihi fuerunt excisa, solidius comprobabo.

CAPUT I.

Immerito e disp. 15, *sect.* 6, *ablatam esse partem illam, in qua communitati adversus principem hæreticum vel schismaticum, suæ reipublicæ corruptorem, defensio justa conceditur.*

2 Quamvis materia hujus capitis videatur pertinere ad illam ecclesiasticam immunitatem, quæ propria clericorum est, pertinet tamen ad quamdam aliam superiorem seu universalem immunitatem catholicæ ecclesiæ; nimirum ut ab omni periculo errorum libera sit : ad quam consequenter pertinet ut a gubernatione et influxu hæreticorum principum immunis sit, ubi præsertim periculum fidei imminet.

Spectat etiam hæc materia ad defensionem ecclesiasticæ unitatis et conjunctionis cum suo capite, a quo maxime tota ecclesiastica libertas pendet. Et ideo nostro instituto necessaria est, et intra scopum hujus operis posita continetur. Erat ergo ad disputandum propositum in prædicta sectione : *An subditi teneantur vitare principem excommunicatum, eique negare obedientiam, fidelitatem omnemque aliam communicationem;* conclusumque fuerat *ex vi censuræ ac per se loquendo hoc fieri a populo non debere, donec princeps declaratus per ecclesiam sit ac nominatim denunciatus hæreticus vel excommunicatus.* Additumque est, ad privationem regni et omnium emolumentorum, quæ ex regni dominio consequuntur, necessarium esse, ut talis pœna per ecclesiam adjuncta sit. Post hanc vero doctrinam, quæ intacta relicta est, sequentem ego addidi clausulam, quæ tota sublata est.

3 « Dixi autem : per se loquendo et ex vi excommunicationis; quia ex aliis capitibus licitum esse potest hujusmodi subditis obedientiam, fidelitatem, tributa et omnia obsequia his principibus negare, ut si sint hæretici, vel schismatici, et rebelles ecclesiæ, et subditi timeant ex eorum principatu maximum periculum fidei et religionis sibi imminere; tunc enim jure defensionis possunt eos repellere et obedientiam ac fidelitatem negare; quod facere possent, etiamsi non essent excommunicati, neque per ecclesiam essent illis aliæ pœnæ impositæ, sed solum ob prædictum periculum reipubl.; et tantum esse posset periculum tamquam moraliter certum, ut non solum liceret, sed etiam teneretur talis respublica, si posset, tali principi resistere, et a se illum expellere. Item contingere potest ut, quamvis princeps sæcularis hujusmodi sit, ecclesiæ pastores non possint vel non audeant sententiam declaratoriam contra illum proferre; et tunc censent aliqui licitum esse subditis ab eorum obedientia omnino recedere, ex quadam ratihabitione, seu tacita ecclesiæ consensione, quæ tunc vim quamdam patitur, propter quam aperte non declarat voluntatem suam. Ex facti tamen evidentia et magnitudine periculi et aliis circumstantiis satis præsumitur hoc esse conforme voluntati ejus. Estque hoc satis probabile, quamquam moraliter non potest separari a primo, id est a periculo communis damni; nam quamdiu hoc non intervenit, sed solum personalis iniquitas ipsius principis, si ecclesia illum sustinet et non declarat, nulla est sufficiens ratio ad præsumendum, quod id faciat invita, vel quia non audet, sed quia non vult tanta severitate uti, donec alia remedia suaviora adhibeat. Et ideo non est facile præsumendum, quod velit aut quod concedat facultatem subditis recedendi omnino ab obedientia talis principis. »

4 Hanc doctrinam plurimum favere conservationi et puritati fidei ac religionis christianæ, imo necessariam esse, moraliter loquendo, manifestum est; ideoque non sine suspicione erroris et animi depravati videtur sublata. Una enim principalis assertio in hoc paragrapho continetur, nimirum in casu aliquo esse licitum subditis negare obedientiam et omnem recognitionem principi suo, prius etiam quam per ecclesiam declaretur. Declaratum est autem statim hunc casum esse : Si sit hæreticus, vel schismaticus ac rebellis ecclesiæ; et additur ut conditio necessaria, quod ex ejus commercio et gubernatione maximum periculum fidei et religionis imminet. Ratio vero seu fundamentum hujus facultatis esse dicitur justa defensio, quæ locum habet et licita est; etiamsi ratio vindictæ, pœnæ aut excommunicationis non interveniat. Huicque subjungitur assertio altera, videlicet non solum hoc esse licitum in illo casu, sed adeo posse circumstantias aggravari et necessitatem urgere, ut sit etiam sub obligatione, quando scilicet periculum est gravissimum et moraliter certum; ille igitur, cui hæc doctrina displicuit, et qui ideo totam abstulit, utramque assertionem negasse videtur, et subinde asserere teneri fidelem ac christianam rempublicam permanere sub obedientia principis hæretici vel schismatici, et cum illo communicare politice, etiamsi certo sciat inde sibi suisque civibus gravissimum periculum contagionis hæresis et schismatis creari. Hanc vero assertionem contrariam non solum et ab omni ratione alienam esse, sed etiam perniciosam doctrinam continere et hæresibus et schismatibus favere breviter ostendendum est.

5 Duo autem sunt fundamenta præcipua nostræ doctrinæ : unum est ex consortio et regimine hæretici principis ma-

gnum periculum salutis subditis imminere. Nam licet hoc tantum sub conditione a nobis proponatur, tamen, nisi res esset hujusmodi periculo moraliter exposita, non oporteret doctrinam illam proponere, etiamsi ex hypothesi vera esset; tamen quia periculum est morale, et valde contingens magisque timendum, ideo doctrinam illam necessariam existimavimus. Aliud fundamentum illius doctrinæ est propriam defensionem esse licitam in tali eventu, et interdum esse posse sub præcepto. Atque his potest addi tertium, videlicet medium necessarium ad hanc defensionem esse abjicere principem hæreticum, seque ab illius commercio prorsus separare; quod fieri non potest, nisi obedientiam et alia obsequia illi denegando. Discurramus ergo breviter per singula.

6 Primo igitur generatim loquendo, quod ex principis vita et moribus multum pendeat salus et mores subditorum, per os Sapientis Spiritus sanctus docuit, Eccles. 10 dicens : *Qualis rector est civitatis, talis et in ea habitantes*, *Rex insipiens perdet populum suum, et civitates inhabitantur per sensum potentium*, Et Prover. 28 propter eamdem causam dicitur : *Regnantibus improbis, ruinæ hominum.* Estque hoc tam manifestum et connaturale hominibus, ut etiam gentiles philosophi et legislatores id sæpius admonuerint. Plato in lib. IV de legibus : *Quales in repub. sint principes, tales* ait *solere esse cives.* Ubi Marsil. Fiscin. sententiam commendat; immo divinitus scriptam esse dixit Cicero lib. I famil. epist. ad Lentulum; quam etiam referunt et commendant jurisperti, quos refert Tiraquel. de pœnis tempor. causa 31, n. 97 et Simon. de catholi. instit. tit. 25, n. 5; sic etiam Cicero lib. III de legib. dixit : *Vitiis principum infici solet tota civitas;* et adjungit : *Nam licet videre, si velis refricare memoriam temporum, qualescumque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse. Quæcumque mutatio morum in principibus exstiterit, eamdem in populo senties.* Rationes vero attigit Plinius, in Panegyrico dicens : *Flexibiles quamcumque in partem ducimur a principe atque (ut ita dicam) sequaces sumus; huic enim cari, huic probati esse cupimus. Quo frustra speraverunt dissimiles, eo obsequii continuatione pervenimus, ut prope omnes unis moribus vivamus.* Et ob hanc causam merito dixit Gregorius lib. 10, epist. 37, prælatos et pastores delinquentes corripiendos esse, *ne totum corpus incipiat morbus invadere, si languor non fuerit curatus in capite.* Ut enim dixit Innocentius III in cap. *Magnæ*, de voto : *Quod agitur a prælatis, facile trahitur a subditis in exemplum.* Id quod non minus in regibus et principibus verum est, ut annotavit Hieronymus, Dan. 3, ad hoc accommodans et expendens verba illa : *Misit rex ad congregandos satrapas, magistratus etc.* : *Ut per principes*, inquit, *seducantur et gentes.* Et infra : *Subditi populi majorum exemplo pereunt.* Et hoc ipsum significatum est ab Osea, cap. 7 dicente : *Omnes adveterantes quasi clibanus succensus a coquente :* id est exemplo regis excitati, ut post Hieron. et Cyrill. optime declarat Ribera in illum locum.

7 Huic autem generali et verissimo principio morali addere oportet, quod de hæresi Paulus ait, 2 Timot. 2 : *Profana et vaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.* Est ergo primum periculum in commercio et communicatione cum hæreticis, quia et superbi sunt et loquaces, eorumque sermo populum solet inficere. Et ideo ubique monet Paulus eos vitare; ad Titum 3 : *Hæreticum hominem post primam et secundam monitionem devita;* 1 Corint. 6 : *Nolite jugum ducere cum infidelibus;* et alia multa, quæ ibi subjungit : quæ licet generalia de infidelibus sint, maxime vero in hæreticos conveniunt. De quibus sic scribit Joan. Epist. 2 : *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.*

8 Hinc multi sapientes viri dixerunt hæreticum jure ipso divino esse excommunicatum, et communicationem cum illo divino jure esse catholicis prohibitam. Ita sentit Almain. 4, d. 18, q. 1, in ultimis fere verbis; allegaturque Okam in eamdem sententiam : videtur tamen loqui late et improprie de jure divino; sic enim ait : Videtur quod a jure, ab Apostolis confecto, hæreticus sit excommunicatus et non solum a jure positivo; et sic jure divino hæretici possunt dici excommunicati et privati beneficiis; et infra ex verbis Pauli ad Galat. 1 : *Si quis vobis evangelizaverit*

præter illud quod accepistis, anathema sit, infert, esse canonem sententiæ, latæ ab ipsis apostolis, et non tantum ab ecclesia. In quibus verbis est quædam improprietas; nam jus, ab apostolis confectum, positivum est : si enim esset naturale, non esset ab apostolis confectum, sed declaratum; male ergo distinguitur a positivo. Item jus, ab apostolis confectum, simpliciter est humanum; nam alias non erit ab eis confectum, sed promulgatum. Denique quod per apostolos factum est, per ecclesiam factum est; ergo non bene hoc distinguuntur. Itaque significat hoc loco auctor hoc esse jus apostolicum, quod cum ipsa ecclesia incepit, vel late vocat confectum ab apostolis, quia ipsi declararunt hoc esse præceptum a Christo specialiter positum, vel (quod magis consequenter dicitur) jure divino naturali sequi ex intrinseca malitia et contagione hæresis, sicut ex natura lepræ, cancri ac pestis sequitur, ut ex naturali obligatione conservandi vitam sit vitandum, si commode fieri possit.

9 Atque in hoc sensu videntur illi sententiæ subscribere Joan. Mius in Enchiridio contra Luther. c. 27. Judoc. Clichtovæus in Assertione veritatis, Senensis et Jacobus Latomus in Assertione Lovaniensi contra Lutherum, art. 7. Hos auctores refert Castr. lib. II de justa hæret. punitione, cap. 18; et licet ipse non omnino definiat quæ in hoc opinio verior sit, satis tamen se in hanc partem propensum ostendit, adducitque testimonium Pauli 2 ad Thessal. 3 : *Denunciamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis.* Adducitque expositionem Theophyl. qui verba illa *in nomine Domini nostri Jesu Christi* sic exponit : *Non enim nos id ipsum injungimus, sed Christus ipse.* In eadem sententia videtur fuisse Ovied. lib. II de libert. christ. c. 8 circa medium, dum ait : *Verumtamen jus divinum propter nullum crimen quodlibet enorme videtur ipso facto excommunicare quemquam, præterquam hæreticum, qui propter doctrinam hæreticam (quod maximum est crimen) vitandus est juxta sententiam Joannis.* Inclinat etiam Simon. in catholi. institut. tit. 27, in principio; Turrecrem. lib. IV summæ, 2 part. cap. 18 et 20. Si ergo vera est hæc opinio, recte concluditur in hunc modum : Omnis hæreticus est excommunicatus jure divino; ergo et rex seu princeps hæreticus est eodem jure excommunicatus; sed omnis excommunicatus est vitandus ex præcepto Christi, Math. 18; ergo et princeps vel rex eo ipso, quod hæretius sit, vitandus est; ergo eo ipso non est obediendum illi, nec aliquod obsequium est ei præstandum; nam hæc fieri non possunt sine communicatione cum illo.

10 Verumtamen licet hanc quæstionem ita nude sumptam non probemus, loquendo de propria censura excommunicationis; quod tamen auctores illius sententiæ maxime intendunt, negare non possumus, nimirum communicationem cum hæretico periculosam et perniciosam esse, et ideo regulariter ac moraliter loquendo esse vitandam ratione periculi; et hoc esse de divino jure naturali, quo tenemur vitare moralia pericula, et præsertim tam perversi et periculosi criminis. Unde D. Thomas ad tit. 3, lect. 2, distinguit triplicem rationem vitandi hæreticum; et primam dicit esse propter periculum, quod moraliter intervenit. Alia ratio est, ne communicemus operibus ejus, quæ ponit, Joan. 2 canon.; et potest reduci vel ad rationem scandali; nam qui communicat cum hæretico, præbet suspicionem, quod illi consentiat; vel potest etiam pertinere ad propriam cooperationem; nam per communicationem favor quidam hæretico præberi videtur; unde, cum hæc mala interveniunt, etiam est prohibita communicatio jure divino. Tertia ratio vitandi hæreticum est in pœnam, et hæc pertinet ad excommunicationem, de qua nunc non agimus; priores ergo rationes naturales et divinæ sunt, et præsertim prima est frequentior et quodammodo intrinseca, quia hæresis ut cancer serpit. Et hac ratione patres omnes gravissime monent vitare hæreticos, non solum quia excommunicati sunt, sed præcise quia hæretici sunt. Præsertim videri potest Clemens lib. VI constit. cap. 18 : *Impios,* inquit, *hæreticos non pœnitentes discludite, et semovete a fidelibus et eis ecclesiam Dei interdicite, ut omnibus modis ab eis declinent, neque ulla cum eis sit sermonis aut precationis communitas. Hi enim sunt adversarii et insidiatores ecclesiæ, qui corrumpunt gregem et fœdant hereditatem etc.* quæ late prosequitur.

Sic etiam scripsit Ignatius ad Philippenses : *Incolumes estote, devitantes corruptores verbi veritatis*, et ad Philadelphios : *Tali ne commisceamini, ne simul cum illo pereatis, nec si pater sit, aut filius, aut frater, aut domesticus*. Et fere in omnibus suis epist. hoc graviter monet. Similiter Cyprianus epist. 55, alias lib. 1, epist. 3 : *Declinent*, ait, *de cætero fortiter, et evitent dilectissimi fratres nostri verba et colloquia eorum; sermo velut cancer serpit* etc. Et similia habet lib. 1, epist. 8, alias epist. 40; et multa similia passim in sanctis patribus reperiuntur, quibus hoc periculum cognoscunt et exaggerant, et omnibus modis fugiendum monent.

11 Ergo est absque dubio periculum hoc contagionis valde conjunctum cum consortio hæreticorum, eorumque communicatione. Quod si hoc verum est de omnibus hæreticis, in rege seu principe hæretico est longe evidentius totius communitatis, sibi subditæ, perditionis periculum. Quod utinam ipsa experientia non tam evidenter docuisset! Ex Scriptura enim constat, quoties reges Israel idola coluerunt, populum totum in idololatriam corruisse. In ecclesia Julianus apostata magnam ecclesiæ partem ad deficiendum a Christo induxit. Et quando imperatores vel reges fuerunt Ariani, hæresis illa multum prævaluit sub Constantio et Valente in Oriente, et sub nostris regibus Gottorum in Hispania, et sub Vandalis in Africa. Nostris etiam temporibus vidimus Saxoniam totam hæresi Lutherana brevi tempore infestatam fuisse, eo quod Fred. dux Luthero fidem et favorem præstitit. Idem de Anglia, Scotia aliisque florentibus regnis constat. Est ergo plusquam morale et evidens periculum. Ratio vero sumitur ex principio supra posito, quod plebs facile imitatur principem suum; unde recte Claudianus dixit : *Mobile mutatur semper cum principe vulgus*. Præterea in rege est potestas conferendi temporalia beneficia, et est potestas cogendi et trahendi subditos per vim et metum in suam sententiam; et videtur quod, quando hæreticus est vel schismaticus, utraque potestate facile utitur ad subditos in suam sententiam trahendos, ut eadem experientia docet. Accedit, quod, ut Sapiens ait, Proverb. 10 : Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. Et similiter principi hæretico statim adhærent infiniti ministri, qui, ut ei adulentur, plebem in ejus sententiam trahere conantur; unde hi, ut, rege existente hæretico, non tantum ut cancer, sed etiam ut pestis, serpat error, vel potius ut ignis totam rempublicam consumat, laborant. Versatur ergo sine dubio in magno periculo respublica, quæ regem tolerat hæreticum.

12 Hactenus primam partem nostri fundamenti ita ostendimus, ut non tantum sub conditione, ut nos moderate locuti sumus, sed etiam absolute dici possit, eo ipso, quod rex est hæreticus, et maxime si post unam, et alteram, vel plures monitiones est pertinax, regnum ejus in magno periculo versari. Quia vero contingere potest, ut rex sibi ipsi malus sit, ita ut, licet sit hæreticus privatus et alios non inducat, ideo cum ea moderatione locuti sumus, ut, donec de periculo publico satis constet moraliter, tolerandus sit, quam diu ecclesia illum tolerat, et in eum sententiam non profert. Nam post sententiam jam non tantum jure defensionis, sed etiam jure censuræ et ecclesiastici præcepti tenentur, si possunt, subditi illum a se pellere, ut in hoc ipso loco latius desserui, et tractat D. Thomas 22, q. 12; ubi Cajetanus disputat quæstionem, an ante sententiam, latam a prælatis ecclesiæ, possit populus regi hæretico, publice et evidenter noto, obedientiam negare. Et respondet posse quidem licite id facere, non tamen teneri, quem ibi Banell. et Gregor. de Valentia sequuntur. At vero Cajetanus non loquitur jure defensionis, nec ratione periculi, sed tantum ratione juris canonici, referentis hæreticis talem pœnam ipso jure; et eodem modo locutus est Valentia. Bañez vero nostrum casum in specie tetigit, et utramque partem nostræ sententiæ amplexus est, et ut certam illam proponit.

13 Non est ergo dubium, quin defensio in hoc casu, et stante periculo, justissima sit, quia respub. christiana potest defendere fidem suam; sed princeps in illo casu illam evertit. Ergo habet respub. jus defendendi se contra illum. Major est evidens, quia fides præferenda est vitæ corporali; qui ergo potest defendere vitam, non poterit defendere fidem suam? Item si in republica gentili, vivente tantum secundum legem naturalem, rex cogeret vel moraliter induceret populum ad idololatriam vel ad

violandam aliis modis legem naturalem, possit respubl. illi resistere et se ab illo defendere, ut posset, quia nimirum corruptio est summum reipub. malum; utque eodem modo potest respub. christiana tueri fidem et christianos mores etiam contra principem infidelem et non baptizatum; ergo multo magis adversus principem hæreticum et apostatam, qui ratione baptismi tenetur specialiter religionem christianam tueri. Atque hæc eadem ratio cum proportione probat teneri rempubl. ad hanc defensionem, si necessitas urgeat; quia unusquisque tenetur pericula æternæ mortis vitare et pro fidei defensione pugnare, si necesse sit alia temporalia aut corporalia pericula subire.

14 Denique, quoad hanc defensionem, quod necessarium medium sit expellere principem a regno, ex iisdem principiis evidenter sequitur. Nam ubi affirmatio est causa adæquatæ affirmationis, negatio seu ablatio talis causæ est medium necessarium ad impediendum effectum, ut negatio causæ sit causa negationis effectus; sed, perseverante principe hæretico in suo regimine, communicatio cum illo est causa adæquata, et morali quadam necessitate inferens periculum eversionis reipub.; ergo medium ad se defendendum a tanto malo moraliter necessarium est ablatio illius communicationis; hæc autem auferri non potest nisi expellendo regem, et negando illi omnem subjectionem et obedientiam; ergo. Et hanc habet vim verbum Pauli. Devita græce παραιτου, id est expelle et abscinde ut contagiosum, juxta illud Hieronymi, *Resecandæ sunt putridæ carnes* etc. Resecandæ 24, q. 3. Confirmatur primo; nam hac ratione pater hæreticus jus patriæ potestatis in filium amittit; et quamvis etiam sit ecclesiastica pœna, nihilominus, existente periculo eversionis filii, jure ipso divino ac naturali potest filius negare patri hæretico obedientiam; et quia hoc periculum morale est et fere semper accidit, ideo regulariter debet filius separare se a patre, quem hæreticum novit, quia ordinarie solent filii imitari parentes et eorum mores sequi. Simili modo per matrimonium conjuges acquirunt jus mutuum in propria corpora et socialem vitam; et nihilominus, si unus conjugum hæreticus fiat, alter non cogitur habitare cum illo, imo potius debet consortium illius fugere, et negare illi debitum, non solum in pœnam per jura ecclesiæ, sed etiam ex naturali jure, præsertim si ita censeatur pertinax, ut periculum immineat habitando cum illo : propter quod etiam matrimonium fidelis cum hæretico omnino est ab ecclesia prohibitum, ut late tractat Simanc. tit. 40, a num. 16, et Covar. m. 4, 2, p. c. 6, § Valet, in fine. Ergo majori ratione idem dicendum est de tota republ. comparatione principis hæretici, tum quia bonum commune divinius est, tum quia majus est periculum quod a rege imminet propter majorem potentiam, et quia superiorem in temporalibus non recognoscit, et, postquam fit hæreticus, etiam spiritualem superiorem despicit. Manet ergo firma et stabilis veritas nostræ assertionis; neque occurrit objectio alicujus momenti, quæ contra illam fieri possit.

15 Fortasse vero dicet aliquis, quæ adduximus solum de hæreticis procedere; nos autem in prædicto loco etiam ad schismaticos et rebelles ecclesiæ sermonem extendisse, cum tamen non sit de illis eadem ratio; quia illi non in doctrina, sed in moribus errant; propter errorem autem in moribus non licet subditis contra principem suum commoveri: alias aperitur janua publicis seditionibus et perturbationibus regnorum. Atque hæc pars magis forte ostendit Venetos illos, qui hanc doctrinam expungendam putarunt; nam de futuro schismate et rebellione adversus pontificem aliquid forte præsagiebant. Respondemus tamen primo, si eadem conditio in schismate impleatur, eamdem rationem de illo procedere, totumque discursum factum facile ad illud applicari posse. Est autem conditio, quod ex schismate grave periculum spiritualis detrimenti et defectionis ab obedientia, debita apostolicæ sedi, reipublicæ immineat. Nam idem jus defensionis ad tantum malum propulsandum extenditur. Et declaratur; quia sine unione cum capite seu vicario Christi non potest ulla respublica christiana in unitate et pace conservari ; sed unaquæque respublica habet jus defendendi pacem et unitatem suam, præsertim illam, ex qua salus animarum pendet, ergo. Secundo vero dicimus, quamdiu schisma non transit in hæresim, diutius exspectari posse, et tolerari principis tyrannidem, ante rebellionem alia remedia summa cura et sollicitudine adhibendo; quia tunc non est

tam certum periculum infectionis aut defectionis totius communitatis. Et hoc ad summum probat objectio facta. Nihilominus addimus tertio non esse hoc nimium extendendum, sed vigilandum esse, ac omnino procurandum, ut scissura et inobedientia non protrahatur et cancereretur; tum quia ipsum schisma per se gravissima nocumenta tum spiritualia, tum etiam temporalia reipublicæ adducit, tum maxime quia schisma facillime transit in hæresim. Nam ut Hieronymus ait : *Nullum schisma non aliquam sibi confingit hæresim, ut recte ab ecclesia discessisse videatur.* Et ideo fere omnes patres citati, præsertim Cyprianus, eodem modo de schismaticis et hæreticis loquuntur.

16 Juxta doctrinam hanc diximus consequenter in eadem sect. n. 9, regulariter quidem deneganda non esse vectigalia et alia tributa principi excommunicato, donec per sententiam ecclesiæ declaretur vel illis privetur; nihilominus vero addendam esse limitationem, superiori doctrinæ consentaneam, quam his verbis proposuimus : *Vel donec tanta sit pertinacia, ut et fiat suspectus de hæresi, et consequenter etiam incipiat magnum aliquod periculum reipublicæ imminere.* Hæc igitur verba etiam expunxerunt; sed non indigent nova defensione, quia ex doctrina tradita evidenter sequuntur et quia per sese sunt rationi consentanea, et favorem fidei continent; nec video quo spiritu auferri potuerint, nisi præferendo politicum statum fidei puritati ac sinceritati.

CAPUT II.

Immerito ex disp. 20 *sect.* 1 *ablata esse omnia illa, quæ ecclesiasticam potestatem circa temporalia in ordine ad spiritualia commendare aut extendere videbantur.*

17 Tractabatur in illa sectione quæstio de potestate, quam ecclesiastici judices habent ad ferendas excommunicationis censuras pro temporalibus causis, et usque ad numerum octavum resolutio generalis tradita est, in qua nihil est immutatum. In numero autem 9 seu paragrapho *tandem confirmatur,* explicando rationem et modum, quo judex ecclesiasticus possit censuram ferre vel præceptum in materia hac temporali, non solum quando obligatio est naturalis, ut restituendo alienum, sed etiam novam obligationem imponendo, obiter sequentia verba scripsimus :

18 « At si prælatus judicet expedire, ut a fidelibus aliqua contributio fiat et ideo id præcipiat sub censura excommunicationis, ut tale præceptum recte feratur, necesse est ut finis illius contributionis sit aliquo modo spiritualis, ut v. g. pauperum subventio; quamquam enim pauperum commodum temporale sit, subventio tamen et cura illorum spirituale opus est; præsertim corporalis etiam eleemosyna, maxime cum communitati ad spiritualia damna vitanda sit fere necessaria; et sub ea ratione maxime ad curam spiritualis pastoris pertinet. Idem erit si talis contributio sit moraliter necessaria ad decentem cultum divinum secundum ecclesiæ ritum; vel etiam si sit necessaria ad aliquod bonum commune, quod ad vitanda spiritualia damna conferat. Quod enim in his et similibus casibus prælatus ecclesiæ, vel episcopus, vel summus pontifex respective juxta materiæ gravitatem et qualitatem possit circa temporalia præcipere in ordine ad spiritualia, manisfestum est ex illo principio, quod potestas spiritualis indirecte extenditur ad temporalia, quatenus ad spiritualia necessaria sunt vel conferunt, unde sunt quasi accessoria, quæ consequuntur ad principale. »

19 Hæc omnia verba sublata sunt, sed in eorum defensione non immorabor, quia nullam in eis dubitandi rationem invenio, nec video quis ea delere potuerit, nisi qui perfectam pastorum ecclesiæ potestatem non credit. Nam quis dubitare potest posse prælatum ecclesiæ interdum præcipere subditis, ut eleemosynam faciant tempore, quo pestis vel alia gravis infirmitas, vel fames populum premit? Si enim potest prælatus subditis jejunia præcipere, cur non poterit eleemosynam? Eademque ratio est de contributione necessaria ad res divini cultus. Alias non potuisset ecclesia per potestatem spiritualem fidelibus decimas imperare. Itaque nulla potest apud catholicos esse difficultas in assertione posita. Cui ergo non addo posse etiam pontificem, si opus sit, pro fidei vel obedientiæ sibi debitæ defensione bellum indicere, subsidium temporale

a regnis catholicis postulare et exigere, quia est summus princeps in ordine ad spiritualia; et hoc pertinet ad jus supremi principis : sed de hoc latius alibi, et pro hujus operis opportunitate satis in superioribus factum est.

20 Venio ad alia loca, quæ in eadem sect. corrupta sunt, concernuntque omnia dubium quoddam, in numero 12 propositum, de excommunicatione, quæ interdum fertur, ut restituatur ablatum, vel ut veritas in aliqua re necessaria reveletur. An ergo potest ferri contra determinatam et certam personam in causa civili ac temporali? Responsumque est, num. 13, ecclesiasticum judicem non posse per se jus dicere in hujusmodi causis, et ideo regulariter ferre talem censuram non licere. Addidimus autem hæc verba : *Quamquam, si fiat, factum teneat, et excommunicatio liget, si revera sufficiens ratio et spiritualis causa intercedat.* Hæc ergo verba sublata sunt, et consequenter auferre etiam debuerunt limitationem illam : *Regulariter;* nam statim totam illius particulæ declarationem abstulerunt.

21 Itaque num. 14, 15 et 16 particulam illam in hoc modo exposuimus : « Dixi autem regulariter hoc non licere, quia, interveniente causa rationabili, erit hoc licitum. Erit autem causa hujusmodi primo, si judex sæcularis nolit remedium adhibere, neque accusationem ejus, qui injuriam passus est, suscipere aut in causam progredi. Tunc enim ad commune bonum spectat et ad pacem fidelium, ut ad ecclesiasticum judicem possint habere recursum, saltem eo titulo, ut peccata publica corrigantur juxta textum in capite *mulieres* 2, de jur. jurand. in 6, et in capit. *Qualiter*, de judiciis. Neque enim obstat, quod tale peccatum sit injuriosum ipsi denuncianti; nam fortasse ideo Christus peculiariter dixit : Si peccaverit in te frater tuus, id est, contra te (ut multi exponunt), ut intelligamus etiam in his peccatis habere locum processum et terminum fraternæ correctionis. Hoc autem intelligendum censeo, quando ipse judex sæcularis cogi non potest per alium superiorem ejusdem fori; nam si possit, ad illum prius recurrendum est, propter rationes superius factas. Tunc ergo solum licitum est spirituali brachio talem causam assumere, quando sæculare non vult, vel certe non potest suo munere fungi; immo etiam tunc prius debet sæcularis judex moneri, vel etiam per censuras compelli ut suo munere utatur; quod si hoc sufficiat, non poterit ecclesiasticus judex causam suscipere.

22 Alia causa erit si persona tantæ est dignitatis ut non habeat superiorem in temporalibus, nec velit arbitrorum judicio rem committere; tunc enim potest spiritualis potestas per censuras cogere ad faciendam justitiam; vel si res sit dubia, ad standum aliquorum judicio. Hoc aperte docet Innocentius III, in dicto capit. *Novit.* Et constat ita esse servatum perpetua ecclesiæ consuetudine, ut late refert Bellarm. tom. I, lib. v de Romano pontifice, capite 6, 7 et 8.

23 Et ratio est, quia tunc non usurpatur temporale judicium, cum nullus sit, ad quem spectet, et alioqui ad ecclesiæ pacem et consequenter ad commune bonum spirituale hoc pertineat. »

24 Consequenter etiam abstulerunt totum paragraphum sub num. 17, quia in illo altera limitatio seu assertio de valore talis censuræ in hunc modum declaratur : « Denique in ultima parte addidi : Licet interdum judex ecclesiasticus imprudenter faciat se intromittendo, si tamen vera causa spiritualis subsistat, et illam se intendere dicat, nihilominus censuram, quamvis forte injustam ob inversum ordinem, validam esse. Quod sumo ex dicto capit. *Novit.* ubi dicitur posse prælatum ecclesiasticum quælibet peccata corrigere; si ergo constet de offensione facta, et de mora satisfaciendi, etiamsi persona sit certa, subest vera causa spiritualis, quam potestas spiritualis curare potest; ergo si revera hoc titulo id faciat, quamvis imprudenter et præmature tale judicium usurpet, timenda erit illa censura ut valida. Patet consequentia, quia illa censura non continet intolerabilem errorem, neque injuriam contra justitiam commutativam, respectu partis, contra quam fertur : neque etiam est ab usurpata jurisdictione, quia talis causa revera subest jurisdictioni ecclesiasticæ, quamquam absque necessitate non deberet per illam agi, sed per inferiorem magis proportionatam. Hic tamen defectus non est substantialis, neque invenio decretum aliquod illam censuram irritans, et ideo ut validam timendam esse censeo. »

25 Ex tota ergo doctrina duæ collige-

bantur assertiones. Una est : judex ecclesiasticus interdum potest et licite, et valide ferre excommunicationis censuram in personam certam, obligando illam sub tali censura, ut restituat, quod abstulit, vel ut veritatem in aliquo negotio vel causa temporali proferat. Altera est : excommunicatio, lata a judice ecclesiastico in hujusmodi causa, non semper est nulla; sed interdum potest esse valida et servanda, etiamsi fortasse illicite vel indebito modo lata sit. Qui ergo totam illam doctrinam abstulit, contradictorias assertiones pro certis haberi voluit, nimirum ecclesiasticum judicem numquam posse licite ferre censuras in talibus causis, semperque talem censuram, illicite latam, esse etiam nullam. Quibus autem rationibus adversarii moti fuerint, nobis non constat, quia non ratione, sed violentia quadam usi sunt. Proferamus ergo breviter rationes et testimonia, quæ doctrinam nostram aperte confirmant; et inde, ut existimo, sufficienter constabit, id factum non esse propter rationes theologicas, sed propter aliquas rationes politicas ad spiritualem potestatem limitandam et coarctandam; unde etiam constabit injuriam hanc non tam nobis, quam ecclesiæ potestati factam esse, ac subinde ecclesiasticæ immunitati non parum derogare.

26 Adverto autem in primis ibi fuisse sermonem de prælato ecclesiastico in genere, ac subinde doctrinam illam ad summum etiam pontificem pertinere; unde si assertiones in illo veritatem habere ostendantur, id satis esse, ut simpliciter veræ sint, quia non sunt universales, sed indefinitæ; nam in priori non asserimus hoc semper licere, sed interdum; unde si in uno casu liceat, hos satis nobis est; ostendamus autem etiam in multis licere. Et in primis hoc evidenter convincit definitio, quam ibidem adduximus ex Innocen. III in capit. *Nov.* de judiciis; ubi causa agebatur inter determinatas personas, reges videlicet Galliæ et Angliæ, et videtur fuisse principaliter super feudum aliquod; quod rex Galliæ in injuriam regis Angliæ, et contra pacis fœdera inter ipsos irrita occuparat, ut colligitur ex illis verbis : *Non enim intendimus judicare de feudo* etc., *sed decernere de peccato, cujus* (ait pontifex) *ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus.* Ergo papa, ut supremus ecclesiæ pontifex seu prælatus, potest sub censura præcipere determinatæ personæ, ut restituat alienum, vel ut servet pactum cum alio initum ratione peccati, quod ibi intervenit, etiamsi materia talis peccati temporalis sit. Unde inferius expresse addit pontifex se posse hoc modo procedere super quolibet criminali peccato, ut peccatorem revocet de vitio ad virtutem; præcipue vero, ubi agitur de pace conservanda inter principes; et multo magis, ubi tractatur de servando juramento : quod ad judicium ecclesiæ non est dubium pertinere; quasi dicat juramentum pertinere magis directe, et per se; alios vero contractus vel debita pertinere indirecte, quatenus de evitando vel emendando peccato in eis agitur.

27 Scio decisionem hanc adeo generalem, sicut a pontifice posita est, non placuisse cuidam fr. Paulo servitæ, cujus supra mentionem facimus, eumque eam vel reprehendere, vel limitare voluisse; ideoque non miramur eumdem (ut suspicamur) similem doctrinam ex nostro libro expunxisse; tamen sicut auctoritas Innocentii decissionem suam satis confirmat, ita doctrinam nostram sufficienter tuetur ac defendit. Atque ita sumitur ex omnibus interpretibus ibi, qui generalem regulam colligunt, in similibus casibus semper posse recurri ad papam, quando necessitas id postulat, sive sit necessitas juris, sive facti, ut ibi notat Abb. n. 16, cum Innoc. cap. *Licet* et *suscepto* de for. comp. Dicitur autem necessitas juris, quando illi, qui inter se dissentiunt, non habent superiorem in temporalibus, ut erat rex Galliæ et Angliæ; necessitas autem facti intervenit, quando, licet dissentientes habeant judices, tamen vel non possunt, vel nolunt jus dicere; et æquitatem servare; et idem est cum proportione de episcopis respectu suorum subditorum, ut ibidem notat Abb. num. 8 et 9, ex text. cum Gloss. in cap. *Placuit;* quod. notat etiam ibi Ab. n. 48 per modum denunciationis posse unumquemque adire prælatum ecclesiasticum, ipsumque indistincte posse admittere paternam seu fraternam denunciationem; judicialem vero non ita indistincte, sed tantum in defectu justitiæ, vel si crimen de sua natura est ecclesiasticum, vel quando crimen est notorium, vel quando non auditur in foro sæculari, ut quando obligatio est naturalis tantum; et dicit hanc esse communem doctrinam ac

sententiam doctorum, quam latissime et doctissime confirmat ibi Navar. notab. seu quæst. 6, per totum.

28 Præterea probatur aperte nostra sententia ex cap. *ex transmissa* de For. Compet. ibi : *Per dominum feudi causam jubeas terminari; et, si ipse malitiose distulerit, tum ei debitum finem imponas.* His enim verbis Alexander III utramque partem nostræ principalis assertionis tradit, videlicet per se ac directe, et subinde regulariter has causas temporales per proprios et sæculares judices esse terminendas; nihilominus tamen in casu, quando ad animarum salutem est necessarium, posse per judicem ecclesiasticum terminari; et hinc fit posse etiam tunc ecclesiasticum judicem per censuras cogere, si opus sit, ad executionem sententiæ seu mandati sui, arg. c. *Quærenti* de offic. delegati; quia oportet judicem habere vim cogendi; alias imperfecta esset ejus potestas et jurisdictio. Potest autem quis respondere personas illas, de quibus in illo textu agitur, fuisse alias de jurisdictione ecclesiæ, ut Panor. ibi, et alii interpretantur; sed hoc incertum est; et præterea idem esse servandum inter laicos expresse deciditur in c. *Licet* et capit. *ex tenore*, eodem titulo. Quibus locis omnes hoc notant, et ut indubitatum supponunt, immo censent, quando judex sæcularis malitiose vexat innocentem, et non exhibet justitiæ complementum, et non est recursus ad alium superiorem judicem sæcularem, posse judicem ecclesiasticum de causa cognoscere eamque terminare; id enim satis expresse in dictis decretis traditum est; ergo a fortiori id poterit judex ecclesiasticus, quando per viam denunciationis ab eo remedium petitur, ut faciat proximum ab injustitia in alterum proximum cessare.

29 Ratio autem pendet ex illo vero principio, quod spiritualis potestas indirecte extenditur ad temporalia; circa quod non satis bene sentire videntur hi, quibus illa nostra doctrina displicuit ut in superioribus libris notavimus : nam revera omnes turbæ, quæ Venetiis excitatæ sunt, ex eodem fonte, hoc est ex falsa doctrina circa pontificiam et spiritualem potestatem ortæ sunt. Illud autem principium, ut in lib. 1, cap. ult. tetigimus, firmissimum est, neque potest sine errore negari. Ex illo autem principio evidenter sequitur superior doctrina. Primo quia corrigere omne peccatum pertinet ad ecclesiasticam potestatem spiritualem; sed interdum grave peccatum in temporali negotio intervenit; ergo sub ea ratione, et ut tollatur peccatum, potest spiritualis potestas ad illud negotium extendi. Ergo licet regulariter id non faciat, ne confusio judiciorum fiat, et ne spiritualis potestas videatur se immiscere negotiis sæcularibus, vel etiam ne sæcularium judicum jurisdictionem impediat, nihilominus quando necessitas urget, merito potest ecclesiasticus judex uti sua potestate in talibus causis, etiam per censuram cogendo. Secundo hoc probat usus ecclesiæ, ut in ipsomet tom. V dixi, et retuli ex illust. Bellarm. Et breviter varia exempla recensuit Gregorius de Valentia III tom. suæ Summæ, disp. 1, q. 12, puncto 2; idem etiam ostendit factum Ambrosii cum Theodosio imperatore; ita enim illum prius propter peccatum excommunicavit, ut ipsum etiam coegerit modum aliquem adhibere in politica gubernatione, ferendo legem circa modum exequendi sententiam sanguinis. Denique non est ulla ratio, ob quam ecclesia possit cogere per censuras quemcumque hominem ad emendandum crimen contra caritatem vel religionem, et non contra justitiam respectu proximi, maxime ipso denunciante et petente quasi defensionem, quando aliter non potest a vexatione alterius liberari; cum Christus de his peccatis, quæ sunt contra proximum, præcipue se judicaturum dixerit, et absolute etiam dixerit : *Si peccaverit in te* etc., et postea : *Si ecclesia non audierit* etc. Item quando incerta est persona, quæ furtum v. g. commisit, ecclesia cogit per censuras ad restituendum, in communi ferendo censuram contra eum, qui tale delictum fecit; similiter, licet persona sit certa, si fugit et capi non potest, eadem ratione potest per censuram cogi, ut in hoc eodem loco dixi, et ab adversariis videtur admissum, quia sublatum non est; ergo, etiamsi sit persona certa, quum quacumque de causa civiliter cogi non potest, vel quia superiorem temporalem non habet, vel quia ita habet ut in illam justitiam exercere nolit vel non possit, idem poterit facere ecclesia; nam est omnino eadem necessitas, et eadem materia, nec video probabilem rationem differentiæ, quæ dari potest.

30 Hac igitur veritate supposita, quod judex ecclesiasticus habet potestatem ad præcipiendum sub censura in his, quæ per-

tinent ad peccati emendationem, etiamsi materia præcepti alioquin temporalis sit, non est difficile intelligere interdum posse judicem hunc aliquantulum excedere in usu hujus potestatis, et nihilominus censuram esse validam, etiamsi non sine aliqua culpa lata sit. Quod in primis probatur ex illa generali regula, quod non omnis censura injusta est nulla; ergo nec in præsenti materia oportet omnem censuram, illicite latam, esse nullam, quia nulla specialis ratio sufficiens reddi potest. Quod facile in particulari declaratur, quia defectus, irritantes censuram, sunt vel defectus potestatis et jurisdictionis, vel defectus causæ seu materiæ, vel si feratur post interpositam appellationem, aut contineat aliquem intolerabilem errorem, præsertim in ipsa sententia expressum. At in præsenti fieri potest, ut censura nullum ex his defectibus habeat, et quod nihilominus habeat defectum aliquem accidentalem, propter quam illicite lata sit. Ergo potest esse valida, licet sit illicita; et hoc satis est, ut sit timenda, licet injusta appareat, quando de nullitate evidenter non constat juxta doctrinam, superiori lib. cap. 7, declaratam. Probatur minor, quia in primis supponi debet censuram ferri a vero prælato in suum subditum ac subinde ex hoc capite non habere defectum potestatis nec jurisdictionis, quia etiam supponimus prælatum non esse suspensum, nec alio modo impeditum in usu jurisdictionis suæ, si alioqui habeat materiam competentem. Deinde statuendum est subditum vere esse denunciatum de crimine aliquo, et in eo perseverare, non obstante prælati sui monitione, nullamque appellationem interposuisse; ac denique nullum alium errorem in sententia committi præter hunc, quod ecclesiasticus judex absque sufficienti necessitate in tali causa se interponit, attenta indirecta jurisdictione, et tempore quo causa posset et deberet ad sæcularem judicem remittere, ad quem directe pertinebat. Hic autem error, licet culpabilis sit, non est tam intolerabilis, ut irritet sententiam. Quod patet; quia in primis non est in ipsa sententia expressus; non est enim id necessarium, imo vix apparet possibile, si prudenter et moraliter consideretur. Deinde non est expressus in jure, quamvis enim jura canonica moneant servare in hoc convenientem ordinem et moderationem, non tamen irritant actum alias factum, nec tollunt jurisdictionem. Solum in dicto cap. *Licet*, de foro competenti, dicitur esse nullum pontificium rescriptum, in quo sæcularis causa delegatur ecclesiastico judici, quia illa per se pertinet ad sæculare forum, et judex sæcularis paratus est ad exhibendum justitiæ complementum. Verumtamen illud est peculiare, quia vel litteræ illæ subreptitiæ censentur, vel quia non intelliguntur concessæ, nisi sub tali conditione, unde non habent effectum si conditio non impleatur. Hic vero agimus, quando judex ecclesiasticus procedit ex vi suæ ordinariæ jurisdictionis, quæ per se extenditur ad cognoscendum de peccato ut sic, præcedente sufficiente denunciatione, vel infamia; immo non invenietur in jure expressa prohibitio, in particulari præscribens ut sine tali, vel tali necessitate hoc non fiat sed ad summum in generali, quod non fiat absque necessitate, vel præcedente negligentia judicis sæcularis; in particulari vero res pendet ex prudenti arbitrio. Ergo, licet interdum minus prudenter se gerat judex ecclesiasticus accelerando sententiam, non ideo statim erit nulla. Denique si attente legantur auctores, ubi tractant de excommunicatione injusta et nulla, quamvis plures casus in particulari enumerent, in quibus excommunicatio nulla est, semper censent esse validam, quoties, procedendo per viam denunciationis ad emendandum subditum a peccato, debitus ordo correctionis servatur; nec adhibent limitationem, si tantum in casu necessitatis id fiat, vel sine illa. Atque ita dici potest hæc sententia communis in hac materia, ut videri potest in Glossa cap. *præsenti*, de sentent. excommunic. in 6, verb. *ad cautelam* et in Sylvest. verb. *excommunicat.* 2, n. 3 et 4 10 et sequentibus. Item faciunt, quæ tractat Covar. in c. *Alma* p. 1, § 7, num. 7, conc. 4, et sequent. et § 11, n. 14, Navar. cap. 27, n. 4.

31 Neque contra præcedentem doctrinam invenio rationem alicujus momenti : contra priorem enim partem solum video posse objici, quia ex illa doctrina datur occasio ecclesiasticis judicibus usurpandi nimium civiles causas et perturbandi forensem ordinem. Respondemus nullum esse hoc periculum, cum solum dicimus hoc licere, quando moraliter censetur necessarium, aut valde conveniens ad bonum

animarum, et ut liberenter a statu peccati; vel certe quando ad commune bonum spirituale ecclesiæ vel communitatis alicujus expedit, ut cessent violentiæ et oppressiones innocentium. Hinc vero objici potest contra alteram partem, quia in eo casu, in quo judex ecclesiasticus intempestive et sine sufficienti causa se interponit, non est judex, sed usurpat jurisdictionem; quia non alia de causa illicite facit, nisi quia indebite prævenit alium judicem, ad quem causa directe pertinebat. Respondemus negando assumptum, quia licet non sit judex causa, ut civilis causa est, tamen est judex peccati et absolute potest cogere ad vitandum illum; et hoc satis est, ut sententia valeat. Deordinatio vero solum est in hoc, quod ordinarie prius est remedium adhibendum via directa, quam indirecta, nisi aliqua specialis necessitas compellat; inversio autem hujus ordinis substantialis non est. Denique saltem videtur certum talem sententiam semper esse timendam et observandam in conscientia, quia præceptum superioris in se justum est, cum sit de peccato vitando; unde accedente inobedientia et contumacia, consummatur causa censuræ; ideoque, licet fortasse judex ecclesiasticus non deberet tam facile illam proferre, tamen si proferat, timenda et servanda est; et contraria doctrina relaxat disciplinam ecclesiasticam, et nimiam subditis licentiam præbet, ideoque nulla ratione admittenda est.

CAPUT III.

Immerito ex disp. 21, *sect.* 2, *sublata esse aliqua quæ ad exponendam quintam censuram Bullæ Cœnæ contra imponentes tributa in casibus sibi prohibitis asseruntur.*

32 Exponuntur in illa sectione censuræ latæ in Bulla Cœnæ Domini, et a num. 37 declaratur quinta censura, et in ejus declaratione nonnulla dicuntur, quæ vel vigorem censuræ augere vel pontificiam potestatem extendere videntur; et ideo censoribus Venetis displicuerunt; ideoque auctoritate sua illa expunxerunt : quod sine fundamento, et non sine aliqua suspicione pravæ doctrinæ factum esse breviter a nobis ostendendum est.

33 Primo ergo occasione verborum, quibus illa censura fertur in eos, qui nova pedagia seu gabellas in casibus sibi non permissis imponunt, quæsitum est, an hæc censura comprehendat supremos principes, imponentes gabellas in illis casibus, in quibus revera non possunt. Et quia doctor Navarrus ad hanc quæstionem respondit, non comprehendere illos, diximus ejus opinionem fuisse probabilem juxta tenorem Bullæ Gregorii, cujus verba ipse interpretatus est; statim vero sequentia verba subjunximus : *At vero juxta formam verborum Clementis non videtur sane hæc opinio probabilis; immo ad illam excludendam videntur hæc verba mutata : non enim excommunicat eos, qui potestatem non habentes, sed eos, qui in casibus sibi non permissis gabellas imponunt; ergo, etiamsi alias habent potestatem ad imponenda tributa, si ea utuntur in casibus sibi non permissis, contra hanc prohibitionem agunt, et consequenter hanc censuram contrahunt; neque fortasse alia erat mens Gregorii : magis enim necessaria est hæc prohibitio ad cohibendum excessum habentium potestatem, quam non habentium. Nam domini non supremi, sicut potestatem non habent ad imponenda tributa, ita rarissime tentant illa imponere. Et quamvis tentent, cum habeant superiorem in temporalibus, ab illo possunt facile cohiberi. At vero supremi principes, qui potestatem habent, et superiorem temporalem non habent, facile possunt in usu illius potestatis excedere; ideoque ad eos maxime dirigi videtur hæc lex, si in casibus sibi non permissis tributa imponant, vel* (*quod in idem recidit*) *si potestate uti velint, ubi revera potestatem non habent; et ita tunc vere dici possunt imponere tributa, potestatem non habentes, ut ait Gregorius; quia licet alias habeant, non tamen ad hoc; nam cum est sermo de potestate, respective debet intelligi, scilicet respectu actus, de quo sermo est.*

34 Hanc ergo totam clausulam abstulerunt, quod duplici titulo factum ab eis esse intelligi potest. Primo quia credunt in pontifice non esse potestatem ad censuram hanc ferendam contra principes supremos in illo casu; secundo quia licet possit, non constat fecisse, quia non expresse et in particulari id declarat, et præsumendum non est per verba adeo generalia supremos principes comprehendere. Item confirmare hoc possumus, quia ibi excom-

municantur, qui in terris suis in casibus a jure non permissis etc. Principes autem supremi non habent determinatos casus a jure permissos, in quibus possint tributa imponere, sed habent absolutam potestatem illa imponendi, solumque tenentur usum accommodare ad regulas juris naturalis; ergo signum est verba illa modumque non dirigi ad supremos principes. Confirmari hoc potest ex verbis in eadem clausula subjectis : *Seu augeri seu imponi prohibita exigunt;* nam illa tributa dicuntur prohibita, *quæ non apparent imperatorum vel regum, vel Lateranensis concilii largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine, cujus non exstet memoria, introducta;* ut dicitur in cap. *Super quibusdam,* de verb. sign.; tributa autem, ab ipsis regibus vel principibus supremis imposita, quamtumvis injusta sint, non sunt prohibita illis modis, ut ex illis capitibus in dicto textu declaratur. Ergo non sunt ex illis tributis, de quibus pontifex loquitur in bulla Cœnæ; ergo illa censura non comprehendit principes supremos.

35 Ex his duobus modis reprobandi sententiam nostram mihi non constat quæ fuerit mens adversariorum; tamen ex his, quæ postea evenerunt, occasione causæ Venetæ in superioribus libris tractatæ, et quæ in defensionem ejus scripta sunt, magna generatur suspicio, quod priori titulo prædicta clausula libri nostri ab eisdem abrasa sit; videntur enim nolle recognoscere superiorem in usu suæ supremæ potestatis temporalis, ita ut limitari a quoquam possit, et consequenter neque a pontifice per censuras. Et sane, nisi ita sentirent putarentque nostram doctrinam esse suo statui ac supremæ potestati contrariam, non tam acriter in illam irruissent. Quia tamen nobis non constat hanc fuisse illorum mentem, illam sententiam eis non imponimus. Cujuscumque tamen illa sit, eam erroneam esse asserimus; certum itaque sit potuisse pontificem censura illa principes supremos in temporalibus comprehendere, eorumque excessus contra naturalem æquitatem et justitiam in his tributis imponendis cohibere. Hoc constat ex suprema potestate summi pontificis, qua non minus est pastor imperatorum et regum quam cæterorum, ut in superioribus ostensum est. Unde ex justa causa non minus potest ferre censuram in imperatorem vel regem, quam in alios, ut ex verbis Christi, Math. 16 et 18, et ex usu ecclesiæ, et ex cap. *Novit,* de judiciis, cum similibus, et ex evidenti ratione, supposito pastorali pontificis munere, evidenter constat. Est autem justissima causa coercere gravissimam injuriam, et communi bono contrariam; qualis est onerare populos injustis tributis; ergo nullus catholicus dubitare potest, quin pontifex potuerit censuram illam in dicto sensu ferre.

36 In secundo titulo fateor esse majorem dubitationem, et posse unumquemque in sensu suo abundare; nullus autem theologus, nisi sit suæ sententiæ nimium addictus, dubitare potest quin nostra sententia probabilis sit; ideoque magna fuit temeritas propter suam privatam opinionem propria sua auctoritate illam expungere, eo vel maxime quod nostra sententia magis pia est, et fortasse ad defensionem pauperum et afflictorum necessaria. Addo etiam esse verbis ipsis clausulæ magis conformem; nam in primis verba sunt universalia : *Excommunicamus omnes qui in terris suis.* Cur enim sub hac distributione non comprehendentur principes supremi? Aut ubi est jus commune, declarans in clausula universali, ferente censuram, non comprehendi reges aut principes, etiamsi materia ad illos pertineat, nisi exprimantur? Unde Navarrus non in hoc fundabatur, sed in eo, quod censura ferebatur contra eos, qui non habentes potestatem ferendi tributa illa imponunt; principes autem supremi non sunt tales, ut potestatem non habeant; verba autem illa mutata sunt, ut notavimus; et in novissima bulla S. D. N. eodem modo habentur, quo illa exposuimus. Et ex interpretatione, a nobis data, constat cætera omnia verba propriissime in quoslibet principes convenire. Et ita Silvester verbo *excommunicatio,* 7, simpliciter ait, censuram hanc ferri contra omnes imponentes nova pedagia etc. : quando scilicet illa imponere non possunt; nam tunc propriissime dicuntur ea imponere in casu, sibi nullo jure permisso. Ac denique talia tributa etiam dici possunt prohibita, quia revera sunt prohibita, quia injusta et per se mala.

37 Secundo loco, quia in bulla Cœnæ in eadem clausula docetur posse pontificem dare facultatem alicui principi temporali

imponendi tributum, quia alias sine illa licentia illud imponere non posset, explicando hanc potestatem convenire pontifici per supremam, quam indirecte habet in temporalibus. Occasione illius in fine paragraphi *Altera interrogatio*, num. 38 sequentia verba addidimus : *Sicut etiam per eamdem potestatem potest summus pontifex aliquas personas eximere a tributis temporalibus, debitis alicui principi, si ad spirituale finem vel necessarium, vel valde utile, aut decens sit.* Hæc igitur verba etiam abstulerunt. Credunt enim non esse in pontifice potestatem eximendi aliquos a jugo, potestate et tributis principum sæcularium, ut ita totam exemptionem ecclesiasticarum personarum evertant : quæ doctrina non solum scandalosa est et schismatibus viam aperit, sed etiam est erronea contra doctores omnes catholicos, et communem sensum et traditionem ecclesiasticam, ac plane universalem Petri potestatem, recta ratione deductam atque intellectam, et ab ipsis pontificibus explicatam. Quia rem supra in lib. 1 late probavimus, et ideo hic plura non dicimus; nam ex ibi dictis satis constat, prædicta verba catholica esse, recteque fuisse illi loco adjuncta; nam licet non essent simpliciter necessaria, erant autem utilia, ut una potestas ex declaratione ad alteram declararetur; nosque tam claram et indubitatam esse putavimus hanc posteriorem partem, ut ex illa alteram confirmare studuerimus, Deo etiam fortasse ita providente, ut hac occasione adversarii apostolicæ sedis animum suum amplius declararent.

38 Tertio ex eodem loco in num. 4 subtracta sunt alia verba, quæ connexa sunt cum expositione, data in num. 37 et in primo puncto hujus capitis adnotata; ideoque nihil circa illa nobis dicendum superest; continent enim eamdem doctrinam; itaque in principio illius num. 40, § *Aliud dubium est*, tractando dubium, an reges imponentes tributa in casu justo, non tamen pro omnibus personis, licet peccent vel in acceptione personarum, vel imponendo tributum personis privilegiatis, incurrant illam censuram Cœnæ. Respondimus non incurrere; quia, si rex imponit tributum personis certis, et non totæ terræ, non comprehenditur sub verbis censuræ ex ea parte, qua dicunt in *terris suis;* si vero imponit terræ, et ex justa causa, non comprehenditur ex ea parte, quæ dicit *in casibus non permissis;* nam casus permissus est, licet applicatio ad personas mala sit; de qua in illa censura non fit mentio. Et hæc omnia intacta relicta sunt. Addidimus vero, si causa etiam injusta ad imponendum tributum deesset, et tributa toti terræ imponerentur, censuram incurri, quod sequentibus verbis declaravimus, quæ sublata sunt: *Aliud vero dicendum esset, si causa etiam justa ad imponendum tributum deesset; nam licet pro personis alias expositis ad solvenda tributa poneretur, censeretur imponi injuste et in casu non permisso; ergo, etiamsi ex parte personarum, quibus imponeretur, simul justitia deesset, semper tributum illud esset impositum in casu non permisso; ergo contra hanc prohibitionem et censuram.* Constat ergo hæc verba non alia ratione esse sublata, nisi quia supponunt regem, injuste imponentem tributa in terris suis, hanc censuram incurrisse; ostendimus autem hoc esse aut verum, aut certe multum probabile, et favorabile communi bono. Hoc ergo satis est ad horum verborum defensionem : nam supposita illa injustitia in ferendo tributo, quæ sufficit ad incurrendam censuram, quod addatur nova injustitia ex conditione personarum, quibus imponitur, non poterit impedire censuram, ut jam a nobis dictum erat; estque per se satis notum, et ideo in hoc amplius immorari non est necesse.

CAPUT IV.

Quale fuerit crimen alienum opus, publice approbatum, proprio ac privato arbitrio mutilare; et quam digna pœna fuerit punitum.

39 Defensionem nostri operis et communis doctrinæ breviter expedivimus : nunc ut grati animi significationem aliquam præbeamus, et debitum huic operi finem imponamus, declarare visum est quam prudenti et necessaria providentia illustrissimi cardinales Congregationis Indicis, pontificia auctoritate et voluntate fulti, in crimen illud severissime animadverterint; cujus diplomatis tenorem, ad verbum hic prius inseremus, deinde sin-

gulas illius partes breviter exponemus. Sic igitur habet

Edictum Illustrissimorum et Reverendissimorum DD. Cardinalium, a S. D. N. Paulo Papa V Congregationi Indicis deputatorum, contra infrascriptos Venetos impressores et bibliopolas.

Cum Joannes Baptista Ciottus Senensis, Joannes Antonius et Jacobus de Franciscis, bibliopolæ et librorum impressores Venetiis ex tomo V disp. de censuris doctoris Francisci Suarez Jesuitæ, hoc anno ab eis impresso, multa fraudulenter adimere, illumque sic mutilate impressum evulgare præsumpserint, falsi crimen incurrendo, illustrissimi et reverendissimi domini D. Cardinales, super librorum prohibitione, permissione, expurgatione et impressione in universa republica christiana specialiter deputati, ad prædictorum impressorum et bibliopolarum temeritatem et audaciam coercendam eisdem prohibuerunt, et præsenti edicto prohibent, ne in futurum cujuscumque generis libros imprimere possint, nec prædictum tomum V quovis modo vendere seu quemvis contractum de eo inire valeant sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, a qua non nisi a sancta Sede Apostolica præterquam in mortis articulo absolvi possint; inhibentes omnibus et singulis bibliopolis, mercatoribus et aliis quibuscumque personis, ubique existentibus, ne prædictum tomum aut alios libros, a prædictis in posterum edendos, vendere aut retinere præsumant, sed locorum ordinariis seu hæreticæ pravitatis inquisitoribus consignare teneantur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ac quingentorum ducatorum de camera incurrendis et arbitrio eorumdem illustrissimorum et reverendissimorum DD. Cardinalium Congregationis Indicis applicandis pœnis. Præcipientes omnibus et singulis personis cujuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis, et præeminentiæ, qui præfatum tomum retinent, ut in eo suppleant, quæ fraudulenter fuerunt adempta. Mandantes ordinariis locorum seu inquisitoribus, ut hujusmodi edictum faciant publicari, et post decem dietas ab ejusdem publicatione omnes astricti et obligati sint, ac si personaliter unicuique esset intimatum. Cujus transumpta, etiam impressa et sigillo cujusvis personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita, plenam fidem ubique locorum in judicio et extra faciant, ac si ipsummet originale esset exhibitum. Actum Romæ etc.

40 Duo ergo præcipue sunt per hanc sententiam proxime ac distincte facta; multa vero alia sunt consequenter intenta vel consecuta. Priora duo sunt declaratio criminis, ab his typographis commissi, et impositio pœnæ pro tali crimine. Posteriora sunt : primum omnium defensio auctoritatis propriæ prælatorum ecclesiæ, et inquisitorum aliorumve ministrorum habentium a pontifice potestatem. Ad eos enim pertinet ecclesiasticam doctrinam illæsam custodire, ac subinde librorum, in quibus illa continetur, approbatio vel correctio. Ideoque in concilio Lateranensi sub Leone X et in Trident. sess. 4 prohibitum est ne quis audeat libros imprimere sine episcopi et inquisitoris approbatione; ibique virtute etiam præceptum est, ut prout ab illis sunt approbati, ita imprimantur. Aliquid ergo de libris probatis propria auctoritate demere est propriam ecclesiasticam potestatem usurpare. In hujus ergo audaciæ detestationem et ecclesiasticæ auctoritatis defensionem sententia hæc in primis lata videtur. Deinde ad munimen et tuitionem librorum catholicorum omnium. Si enim hæc licentia impressoribus librorum impune permitteretur, facile libri omnes corrumpi possent; et quod nunc per subtractionem inchoatum est, paulatim crescet, et per depravationem et additionem falsorum dogmatum perveniet; eo vel maxime, quod ablatio veritatis necessariæ interdum æquivalet falsitati; ut statim dicam.

41 Præterea existimo hoc factum esse in detestationem talis consuetudinis, quia scriptionem infectæ doctrinæ secum affert. Est enim hæreticorum mos proprius catholicorum libros mutilare, corrumpere ac defraudare; de quibus dixit Tertull. lib. 4, contra Marcionem : *Eradunt contraria sententiæ suæ, competentia vero reservant.* Nam licet frequentius soleant hoc facere hæretici in Scripturis Sacris, ut idem Tertull. notat, lib. de præscript. hæret. c. 17 et 38, et late Conradus Brun. de Hæret. c. 6; tamen ex Dionys. legimus apud Euseb. lib. 4 Hist. c. 22 in fine, etiam alias catholicorum scripturas corrumpere con-

sueverunt; quod late etiam recenset Sixtus Senensis lib. v Biblioth. Sanct. in proœmio. Quoniam ergo perniciosa hæc falsitas longe a catholicorum usu abesse debet, ideo in odium talis criminis hæc animadversio facta est. Addo ulterius probabile mihi esse non parum promovisse pios ac catholicos judices, quod viderunt librum in eis tantum partibus mutilatum, in quibus ea doctrina continebatur, quæ vel fidei puritatem, vel ecclesiasticam unitatem et cum capite conjunctionem, vel ecclesiasticam potestatem ac libertatem tueri et amplificare poterat.

42 Atque ex his rationibus facile satisfieri potest aliquorum admirationi, cum videlicet gravissimum cardinalium tribunal angustam privati auctoris injuriam, ipso nihil petente vel cogitante, tam severe vindicavit : existimo enim non tam personam respexisse quam causam et unico exemplo omnes catholicos scriptores sub sua vigilante cura ac protectione constitutos esse ostendere voluisse. Nam si ejus nominis, qui inter omnes minimus ac novissimus est, tantam curam ac sollicitudinem habuit, pro graviorum auctorum defensione quid faciet? Itaque quod in principio de typographis dicebam, idem nunc de illustrissimis cardinalibus assero, eos non idcirco libri mei defensionem suscepisse, quod in illo aliquam excellentiam cognoscerent, sed quia in illo potius quam in aliis se obtulit occasio faciendi, quod pro omnibus facturi essent si ratio et necessitas postularet, et quod in me, ubi se obtulit occasio, exercuerunt atque ostenderunt.

43 Sed explicandum superest, quomodo in facto illo crimen falsitatis intervenerit : tale enim fuisse illud delictum illis verbis declaratum est : *Cum in libro Francisci Suarez, hoc anno ab eis impresso, multa fraudulenter adimere illumque sic mutilate impressum evulgare præsumpserint, falsi crimen incurrendo.* Circa hæc ergo verba dubitare quis potest, quomodo isti bibliopolæ falsi crimen commiserint, cum nihil falsum libro inseruerint vel addiderint; nec enim in eisdem verbis de hoc crimine accusantur, sed solum quod aliquid ademerint librumque mutilaverint. In hoc autem nullum videtur contineri mendacium, quia sicut tacere veritatem non est mentiri, ita nec unam libri partem sine alia edere videtur esse mendacium, sed cujusdam veritatis omissio; ubi autem mendacium non est, nec crimen falsi intervenire posse videtur.

44 Dicendum vero est merito bibliopolas illos de crimine falsi reos declaratos fuisse. Primo quidem, quia fraudulenter lacerans alienam scripturam publicam vel privatam falsarius est; illi autem fraudulenter laceraverunt librum, qui et dici potest scriptura privata, quatenus ad suum auctorem pertinet et est opus ejus, et potest dici publica, quatenus publica auctoritate editus est, ad publicam utilitatem ordinatur et in omnium manibus versatur; ergo commiserunt crimen falsi. Major habetur ex Paulo ff. ad legem Corneliam, de falso; ubi Glossa, Bart. et alii notant, quod qui celat aliquid, ut verum simpliciter non appareat, incidere in crimen falsi. Idemque habet Glossa in cap. in memoriam, 19 d. et in c. licet, de crimine falsi; quæ ajunt ex dicto vel tacito dici litteras falsas, juxta cap. *super litteris* de præscript. ibi : *Tacita veritate vel suggesta falsitate.* Item ajunt prædictæ Glossæ chartam esse falsam, quæ vel falsa apparet, vel notabiliter immutata seu abrasa est, ex cap. ult. de crimine falsi et cap. *olim* de privileg. Ita etiam docent expresse Silvester in verb. *falsarius* n. 4, Angelus n. 5, Hostiensis statim citandus. Hinc Bart. in lib. presbyteri, c. de episc. et cleric. dixit falsitatem committi non solum in dicendo falsum, sed etiam in tacendo quod est verum; idque ex eadem lege colligitur quatenus dat actionem falsi contra eum, qui veritatem suppressit, quando eam aperire tenebatur; de quo late Frelin. in cap. 1 de testibus cogendis et optime Hostiensis in Summa, lib. v, tit. de crimine falsi; ubi rationem indicat, quia falsitas nihil aliud est quam immutatio veritatis, ex certa scientia ac subinde dolose seu fraudulenter facta, ut multa jura docent, quæ ibi allegat; ergo quacumque ratione quis immutet scripturam, sive addendo falsum, sive delendo verum, falsarius est. Hinc etiam Tertull. de præscript. hæret. c. 38, tribus modis ait falsari Scripturam detractione, adjunctione vel transmutatione.

45 Ratione etiam declaratur in hoc facto particulari, quia dum liber publice excuditur et promulgatur sub talis auctoris nomine, facto ipso asseritur ita fuisse librum ab auctore compositum et promul-

gatum; at hoc falsum est; ergo qui hoc modo librum dolose imprimit, falsarius est. Ideo in ipsamet narratione facti, quæ in allegatis verbis præmittitur, omnes illæ circumstantiæ observatæ sunt, videlicet quod mutilatio fraudulenter facta sit; non enim per ignorantiam, sed ex certa scientia, ac proinde cum fraude, et dolo facta est; quod ad propriam et formalem falsitatem est necessarium. Item quod librum sic mutilatum publice promulgaverunt, attribuendo nimirum illum auctori aliter, quam ab eo compositus sit. Secundo declaratur aliter, quia per illam mutilationem attribuitur auctori, quod illa, quæ subtrahuntur, omiserit, ex quibus multa fortasse erant ad complementum doctrinæ necessaria; illud autem mendacium est, et interdum perniciosum; quin potius sæpe accidere potest ut ex sola subtractione aliquorum verborum, quæ relinquuntur, falsum efficiant sensum, vel falsam aliquam interpretationem alicujus juris contineant; unde recte dixit de hæreticis sanctissimus martyr Cyprianus : *Prælati eorum extrema ponunt et superiora prætereunt, partim memores, et partim subdole corrumpentes, falsi interpretes;* ut facile intelligi poterit considerando multa ex dictis locis, quæ mutilata in nostro opere sunt. Ut ver. gr. in explicatione censuræ contra imponentes tributa, ablata una parte pertinente ad supremos principes, relinquitur interpretatio, quod ad solos inferiores censura illa pertinet; quod nos non asseruimus; et sic de aliis. Sæpe etiam manebit contextus incongruus, et reddens sensum vel falsum vel non intelligibilem; utrumque autem auctori tribuere non parva deceptio est. Denique quando veritates ad sanam doctrinam fidei vel morum pertinentes auferuntur, opere ipso negantur; hoc autem criminosa falsitas est. Verissime ergo declaratum est hos bibliopolas crimen falsi commisisse : et rationi dubitandi in contrarium positæ satis ex dictis responsum est, quia crimen falsitatis non uno tantum modo, sed multis committitur; unus autem esse solet per subtractionem, ut satis explicatum est.

46 Atque hinc tandem constat justissima pœna fuisse delictum illud punitum. Duo enim prudenter fuisse considerata videntur. Unum est actio peccaminosa adulterandi veritatem; aliud est opus ipsum ex ea resultans, nimirum corpus talis libri mutilatum et monstrosum. Ratione criminis in eos, qui deliquerunt, suspensionis ab officio, vel potius quasi depositionis pœna lata est : juste enim quis punitur in eo, in quo deliquit; et ita solet in jure pœna suspensionis, vel depositionis ab officio propter crimen falsitatis imponi, ut notat Gloss. in dicto cap. *In memoria* et cap. *Super litteris* de rescript. et cap. *Ad audientiam*, de crimine falsi; ex quibus decretis sumi potest argumentum a simili ad ferendam hanc pœnam prudenti arbitrio; nullam enim existimo esse in specie definitam in jure pro hoc crimine, prout in particulari et cum talibus circumstantiis fuit in hoc facto commissum; tamen ex his pœnis, quas pro hujusmodi falsitatis crimine jura imponunt, quæ variæ sunt juxta varietatem ejus (ut videre licet apud Tiraquel de pœnis tempor. causa 28, n. 23 et 24), ex illis (inquam) colligi potest, hanc pœnam et justam et proportionatam fuisse. Deinde vero etiam eis præceptum est, ne opus sic confectum divendere aut promulgare audeant; quod non solum in pœnam, sed etiam in delicti emendationem et correctionem præceptum videtur. Nam opus sic mutilatum promulgare esset in mendacio ac falsitate perseverare, et emptores decipere, et auctori operis iteratam semper injuriam inferre. Est ergo id merito prohibitum, quasi ad tollendum materiam denuo delinquendi, ideoque sub gravissima censura id prohibitum est. Atque eadem ratione extensa est prohibitio ad omnes alios librorum mercatores, ut ex ipso rescripto constat; illæ autem personæ, quæ ad suum usum bona fide librum sic impressum compararunt, nec puniuntur, in quo non delinquerunt, nec prohibetur usus ejus libri sic editi. Ut vero deceptionis et falsitatis occasio tollatur, in eo suppleri præcipiuntur, quæ desunt; atque hunc in modum prudenter ac juste omnibus provisum est. Hic sit finis hujus operis, in quo scribendo, primaria hujus academiæ prælectione distentus, proximos tres menses expendi; atque expenderem, si opus esset, longissimos vitæ annos, si illos mihi Dominus condonasset. Cum enim ecclesiæ causa agatur, cum pontificis potestas in dubium revocetur, ingratus essem filius, si matrem ecclesiam, si patrem pontificem pro mea tenuitate non defenderem. Urgebat etiam

amor, quem proximis omnes debemus; videbam nempe serenissimum ducem et magnificos senatores errantium theologorum consilio in materia gravissima fœde prolabi. Illos admonere volui per hunc tractatum, sibi ut consulant, animum mutent et debitam ecclesiæ exhibeant subjectionem. Meminerint itaque ecclesiam a D. Hieronymo lapidem oneris appellatam esse, quæ semper illæsa multos contrivit, et cujus tanta est magnitudo ut prudenter illud dictum sit a Chrysost. : Cum oppugnatur, vincit; cum appetitur insidiis, superat; cum afficitur injuria, splendidior evadit; neque existiment se iniquas condendo leges et ab ecclesia discedendo posse augere opes, aut rempublicam reddere ditiorem : optime enim scripsit Amb., de filio prodigo disceptans : Merito prodegit patrimonium, qui recessit ab ecclesia.

PRÆFATIO

IN JUDICIUM R. P. FRANCISCI SUARESII DE VIRGINIBUS ANGLIS ET ILLARUM INSTITUTO.

I In archivo domus professæ Societatis Jesu Romæ servatur judicium autographum, quod R. P. Franc. Suaresius emisit de novo instituto Virginum Anglarum, quæ e patria profugæ sese operibus caritatis et zeli christiani, emissis votis obedientiæ, castitatis et paupertatis dedicarunt. Ex autographo desumptum est exemplar, quod jam prælo committimus.

II Quum de explicando novo instituto Virginum Anglarum, de statu quæstionis P. Suaresio propositæ, et de controversiæ exitu, ea scribere constitueramus, quæ hic necessario scribenda videbantur, in manus nostras incidit commentarius doctissimus de universa hac controversia, juxta mentem nostram exaratus; quem, mutatis nonnullis, adoptavimus et huic præfationi subjecimus.

III Auctor illius commentarii opinionem R. P. Suaresii opportune corrigit et statum rerum ita accurate explicat, ut nihil jam desiderandum supersit. Juvabit tantum notare institutum Virginum Anglarum non ideo tantum a sede apostolica fuisse proscriptum quod illæ clausuram rigidam et vitam communem in claustro non servarent, prout auctor commentarii suspicari videtur; siquidem in Italia, ac præsertim in regno Neapolitano, innumeræ fere virgines vivant extra monasteria et domos privatas inhabitent, accepta veste speciali religiosa. Illæ autem lingua vulgari : *Monache di casa* id est : *Moniales domesticæ*, seu *moniales de domibus*, privatis nempe, appellari solent; quæ quidem neque clausuræ, neque regulis vitæ communis adstringuntur, sed libere vagantur per plateas, et vicos et ecclesias, quin earum vivendi ratio unquam fuerit a sede apostolica aut reprobata aut proscripta. At, ni fallar, Virginum Anglarum, institutum ea de causa damnatum est, quod illæ ex una parte se auctoritati ecclesiæ subducere nitebantur, et ex alia parte pleraque munera et officia, in se laudabilia quidem, sed femineum sexum minus decentia, assumebant. Sunt qui asserant id eis falso fuisse exprobatum ab iis, qui, quum nomen Patrum Jesuitarum audire vix possent, illico in institutum, quod Jesuitissarum nomen præ se ferebat, magno impetu irruerunt. De his judicent alii : nobis sufficiat indicasse occasionem, qua prodiit opusculum Suaresii.

IV Utrum hodiedum existant monasteria Virginum Anglarum illius instituti, cujus rationem sedes apostolica reprobavit, incertum est. Id certo scimus, S. Congregationem Concilii, quando in relationibus diœceseon, quas episcopi ad sedem apostolicam singulis quadrienniis transmittere solent, legit exstare in aliqua diœcesi monasterium Monialium Anglarum, sedulo inquirere utrum illius instituti sit, quod Urbanus VIII et Benedictus XIV proscripserunt. Unde conjicere licet S. Congregationem cardinalium concilii Tridentini interpretum minime approbaturam hujusmodi monasteria, si hodie superesse noscerentur. Quod auctor commentarii, infra edendi, asserit, instituta hujusmodi exstitisse sæculo superiore, atque nunc etiam existere, id non pugnat cum bullis Urbani VIII et Benedicti XIV, et cum disciplina S. Congregationis cardinalium Concilii Tridentini interpretum, dummodo moniales illæ aliam vitæ rationem inierint quam Virgines Anglæ olim amplexæ sunt. Nam sancta Sedes Apostolica profecto pro valida habet, et, data occasione, applicaret sententiam Concilii generalis Viennensis qua Beguini, Beguinæ et Beguardi, ineunte sæculo XIV, proscripti sunt; attamen tolerat, immo probat institutum omni laude

dignum Beguinarum, quæ in Belgio nostro florent. Si, servato nomine, alterius generis institutum fundetur, aut finis legis ex integro cesset pro parte eorum, quorum vivendi ratio videtur proscripta, non est cur Sedes Apostolica illud condemnet et evertat; si quidem non de nomine, sed de re judicare intendit. Id obiter dictum sit in gratiam eorum, qui si instituta Virginum Anglarum alicubi existere novissent, putarent disciplinam ecclesiasticam non satis sibi constare nec sibi cohærere.

5 Quamquam igitur opinionem R. P. Suaresii neque amplectamur, neque cum recepta jam disciplina consentire credamus, eam fideliter recudi curavimus, qualis in manuscripto autographo Romano legitur. Atque ita saltem fiet ut ex scriptis ineditis R. P. Francisci Suaresii, quæ ad manus nostras pervenerunt, ne minimum quidem christiano lectori inviderimus.

Brugis 4 Septembris 1858.

† J. B. Episc. Brugen.

DE JUDICIO R. P. FRANCISCI SUARESII

CIRCA INSTITUTUM VIRGINUM ANGLARUM BREVIS COMMENTARIUS.

Thomassinus, quem nemo non novit totum in eo fuisse ut quæ ad antiquitatem et decus religiosæ vitæ pertinent continuo arroderet, hæc tamen de instituto sacrarum virginum non potuit non scribere : « De » virginibus, inquit (1), id primo fateri » cogimur, earum institutum ipsi ecclesiæ » coævum esse.... Professio ipsa et conse- » cratio virginum una cum evangelica se- » mente statim ab exordio nominis chri- » stiani per orbem propagari cœpit. » Continebat porro ea professio, sive privata vestis virginalis assumptione, sive solemni velatione fieret, castitatis propositum seu votum, quod deinceps numquam sine piaculo violari posset; ita ut quæcumque esset talis violationis rea, Christi adultera, ut S. Cyprianus loquitur (2), haberetur : continebat quoque, uti ex SS. Cypriani (3) et Hieronymi (4) monitis liquet, obligationem ducendæ vitæ (sin minus in communitate, saltem intra privatas ædes) a virorum consortio prorsus sejunctæ, vacandique omnimodæ pietati atque etiam austeritati, necnon facultates terrenas, si quas virgo retineret, non aliter quam in bona opera impendendi. Multæ quoque, quibus ejusmodi facultates deerant aut quæ eas sponte dimiserant, alebantur stipendiis ecclesiæ (5); et quoniam (6) « ad majestatem ecclesiæ perma- » gni intererat ut hos virginum greges » curaret, excoleret et tueretur, velut in- » corruptibile quoddam suæ sanctimoniæ » decus, ideo his virginibus specialis et » honorificentior locus in ecclesia dicatus » erat, » specialique ratione, ut indicat S. Cyprianus (7) et S. Chrysostomus multis locis evolvit (8), eæ suberant episcoporum auctoritati et sollicitudini : adeo ut nil eis deesset quod ad essentiam religiosæ vitæ requiratur; neque ambigendum videtur quin eæ virgines vere religiosæ fuerint (9).

Incredibilis autem earum erat numerus, quod vel ex uno S. Ambrosii Mediolanensis testimonio constat. Hic enim ut invidiam declinaret, quam ejus de virginitate sermones ei pariebant, libros scripsit de virginibus, in quibus præter alia multa quæ objiciebantur hoc quoque commentum confutavit, virginitatis professione humanum genus decrescere : « Siquis putat, inquit (10), » consecratione virginum minui genus hu- » manum, consideret quia, ubi paucæ vir- » gines, ibi etiam pauciores homines : ubi » virginitatis studia celebriora, ibi nume- » rum quoque hominum esse majorem. » Discite quantas Alexandrina totiusque » Orientis et Africana ecclesia quotannis » sacrare consueverint. Pauciores hic ho- » mines prodeunt, quam illic virgines con- » secrantur. »

Jam vero sive in domo communi, sive in paterna degerent hæ virgines, diei partem dabant orationi et divinis laudibus, reliquam officiis domesticis, seu etiam linum et lanam tractabant; neque vestigia desunt operæ positæ in pie educandis puellis (11). Ex earum quoque numero assumebantur ministræ seu diaconissæ, quarum in ecclesiis plurima erant officia (12); ubi vero diaconissarum institutum, utut apostolicis temporibus coævum, admissum non erat,

(1) De disciplina eccles. part. I, lib. III, cap. 42, num. 1, pag. 778 et 779. — (2) Epist. 62, pag. 103, edit. Baluzii. — (3) Ibid. pag. 102 et 103, et lib. de Habitu virginum, passim. — (4) Epist. 22, tom. II Opp. col. 88 et seqq.; epist. 150, alias 8, col. 975 et seqq. edit. Vallarsii. — (5) Thomassinus, loc. cit. num. 5 et 6, pag. 779 et 780. — (6) Idem ibid. num. 15, pag. 781. — (7) Epist. cit. — (8) De sacerdotio, lib. III, tom. I Opp. pag. 398 et 399. — (9) Examen historicum et canonicum de regularium et sæcularium clericorum juribus et officiis, pag. 46 et 47 et passim. — (10) De virginibus, lib. III. — (11) Thomassinus, part. I, lib. III, cap. 42 et 43. — (12) Pinius, De ecclesiæ diaconissis tractatus, Act. SS. tom. I Septembris, pag. II et III.

virginum tamen ministerium non spernebatur. Sic ecclesiæ Africanæ, quæ numquam probasse videntur ordinationem diaconissarum (1), aliquot tamen eligebant sive ex viduis suis, sive ex virginibus ad ministerium baptizandarum mulierum, præstituta conditione (2) « ut tam instru» ctæ essent ad officium ut possent apto et » sano sermone docere imperitas et rusticas » mulieres, tempore quo baptizandæ erant, » qualiter baptizatori interrogatæ respon» derent et qualiter accepto baptismate » viverent. » Pauperum mulierum et infirmarum eis quoque demandata cura, et ex earumdem numero assumptæ, quæ ordinem in templo observandum indicerent, et maxime satagerent ne in ingressu ullus tumultus fieret et ne tempore liturgiæ aut dum pœnitentia, eucharistia aliave sacramenta celebrabantur, quidpiam turbaretur (3). Ex quibus evidens est quod, quamvis apostolus jusserit feminas in cœtibus fidelium tacere, id numquam ita intellectum esse ut omni officio ecclesiastico interdicendæ essent; sed eo tantum, quod neque imbecillitas, neque verecundia earum patiebatur; verbo exclusæ tantum sunt, ut sanctus Epiphanius recte docet (4), ab omni sacerdotali functione et alia ejusmodi administratione, sed assumptæ ut muliebris sexus honestati consuleretur, οὐχι εἰς το ἱερατευειν, οὐδε τι ἐπιχειρειν ἐπιτρεπειν, ἑνεκεν δε σεμνοτητος του γυκαικειου γενους. Atque his præmissis, *Insulam Sanctorum*, quæ olim dicebatur, adeamus.

Porro, quum anno Christi 1580 in Angliam penetrassent Personius et Campianus, ambo immortalia Societatis Jesu lumina, nil potius habuit posterior quam ut ex nobilibus juvenibus, a quibus unice diligebatur, societatem quamdam conflaret, cui S. Joannis Baptistæ vocabulum dedit et patrocinium imploravit; neque Personius omnino neglexit id divinæ gloriæ procurandæ instrumentum. Adjutorum autem illorum hæc præcipua lex erat ut viam pararent magistris; quod præstabant catholicos instabiles investigando, protestantes dubios quærendo; quin etiam pertinaces, sed honestos satis ne viros in se benevolos proderent. Atque ex his aliquot tam seduli erant ut innumeros ad rectam fidem perducerent, catholicæ religionis capita docerent et ad sacramenta rite percipienda disponerent : quod constat ex ipsius Campiani literis, quibus narrat ab uno ex eis multo plures ab errore ad veritatem perductos quam a semet ipso.

Patebant præterea virili sexui seminaria et collegia Belgica, Gallica, Lotharingica, Hispanica, Italica; quorum plura unis Anglis capiendis exstructa erant : atque ad ea juvenes catholicos maximo numero ex insula Britannica confluxisse nemo non novit; ita ut ad viros Christo lucrandos et egregie instituendos subsidia non omnino deessent. Sed nil simile, quod ad feminas attineret, quarum tamen spiritualis cura negligi non poterat, alicubi institutum erat. Neque enim per sacerdotalem modestiam licebat multum cum hoc sexu habere commercium, neque tunc temporis ulla uspiam videre erant puellaria convictoria, quæ a monialibus regerentur et quorum nunc tantam ubique cernere sit multitudinem. Quid itaque facto opus? Nemo non intelligebat quantæ utilitatis futuri essent virginum Anglarum aliquot pii greges, quæ æque ac primis ecclesiæ temporibus non suæ tantum saluti vacarent, verum operam quoque præstarent iis in rebus, quas per presbyteros fieri non decebat. Absonum omnino non videbatur id consilium, neque a septentrionalium regionum institutis abhorrens, quum tunc frequens esset per Belgium virginum numerus, quæ, a sæculi moribus sepositæ, privatim vel in communi sua studia conferebant in puellas omni genere disciplinæ illi sexu congruentis imbuendas, sive conjugio deinde, sive arctiori vitæ rationi discipulæ illæ se tradituræ essent : quarum virginum quædam solutæ, quædam ad tempus, aliæ in perpetuum colendæ castitati publica professione se devovebant; ex quo *devotarum* illis nomen acquisitum erat. Ingentia bona ex hoc vitæ instituto in rem publicam promanabant, et sane proxime accedebat ad virginum ordinem et officia, quæ in ecclesiæ primordiis a sanctis patribus tantopere laudata fuerant. Quamobrem promovebant illud idem magnopere Societatis Jesu viri

(1) Münter, Primordia ecclesiæ Africanæ, pag. 59. (2) Concilium Carthaginense IV, can. 12, Concilia Labbei, tom. II, col. 1201. — (3) Confer Augusti, Handbuch der Christlichen Archäologie, tom. I, pag. 256.—(4) Adversus hæreses, lib. III, hær. LXXIX, § 3, ap. Migne, Patrologia græca, tom. XLII, col. 744.

atque etiam scriptis libris commendabant. Quos inter venit primo loco venerabilis Leonardus Lessius, qui anno 1613 Coloniensibus typis apud Kinckium, cum falso nomine Leonis Hubertini a sancto Dionysio, sacræ theologiæ doctoris, edidit librum *de bono status eorum, qui vovent et colunt castitatem in sæculo;* qui liber sæpius deinceps et variis linguis in lucem prodiit. Venit postea Valentinus Bisschop, qui anno 1625, atque iterum anno sequenti et tertium anno 1627 typis Antverpiensibus Hieronymi Verdussen, idiomate theotisco cum virginibus sæcularibus communicavit *Encomium virginitatis et instructionem virginum Deo dedicatarum ad vitam cum pietate instituendam.* Neque operam suam desiderari passus est Heribertus Rosweydus, vir numquam satis commendandus, qui anno 1626 lingua item theotisca in lucem dedit *Vitas sanctarum virginum, quæ a Christi temporibus usque ad suum ævum castitatem in sæculo coluerant cum adjecto tractatu de statu virginali.* Innumeri alii de eodem argumento libri publicam lucem aspexerunt; certæ quoque leges virginibus illis sæcularibus præscriptæ et typis impressæ fuerunt: sed ne bibliothecam scribere videar, his omnibus recensendis supersedeo; satis habens ostendisse quantopere id vitæ institutum sæculo XVII ineunte in Belgio floreret.

Quum itaque catholicorum Anglorum continua per Belgium essent itinera, eis patuit quantum puellarum juvaretur hic educatio per virgines sæculares; et de simili re in suarum gratiam tentanda consilia agitata sunt; sed quum necesse esset hæc extra patriam exsequi, difficile visum est aliquid promoveri posse, nisi virgines illæ communem vitam ducerent : quod absque votis paupertatis et obedientiæ, castitatis professioni adjectis, vix fieri posse censebatur. Utcumque autem id sit, « virginum sæcu- » larium institutum exiguum, ut Henrici » Mori (1) verbis utar, quibusdam ex An- » glia virginibus visum est, quæ præter » excolendarum puellarum studium perfe- » ctæ religionis viam, additis paupertatis » et obedientiæ vinculis, inire meditaban- » tur : neque tamen nocturnis diurnisve » sacerdotum precibus aut certæ domui, » aut ordinariorum, ut vocant, jurisdi- » ctioni adstringi optabant, sed more So- » cietatis Jesu ad itinera atque ad quælibet » caritatis officia perseverare liberæ. » Quæ ut magis patefiant, addendum videtur propositum eis fuisse ut, dum pleræque in Belgio et in aliis catholicis regionibus puellis Anglis christiane educandis operam impendissent, selectæ aliquot et quarum virtus probatissima esset in Angliam redirent, ibique in domibus et villis puellas atque etiam mulieres colligerent, catecheses ad eas haberent, neque omnino negligerent feminarum protestantium ad fidem catholicam conversionem. Quæ res similis omnino erat consilio, quod sexaginta abhinc annis, quum impietas passim baccharetur in Galliis, maxima utilitate cepit P. Petrus Josephus de Clorivière. Quem enim fugit ab hoc fideli Dei servo pristinorum cœnobiorum moniales, e sedibus suis expulsas et per civitates et oppida vagantes, certis inter se vinculis colligatas fuisse, communi imposito nomine *Filiarum Mariæ*, easque ita institutas fuisse ut per domos irent et puellulas rudesque feminas catecheticis doctrinis imbuerent, atque ita perfectum esse ut in innumeris familiis pietas penitus non perierit? Neque dixit Suaresius in edenda tractatione hanc Anglarum Virginum sollicitudinem improbandam esse; sed, quod periculis obnoxia esset et singularibus incommodis, necesse esse ut hæc illarum instituti pars accurato examine expenderetur et probaretur Romano pontifici.

Statuerant præterea virgines illæ in convictibus suis vestes induere quæ colorem haberent uniformem et eumdem quo vulgo utuntur Societatis Jesu Patres; neque hoc magnum piaculum videbatur, quandoquidem non colorem tantum, sed etiam eorumdem vestium formam imitabantur Ursulinæ Italicæ et Virgines Hallenses in Tyrolio. Verum Anglæ Virgines hic non consistebant, sed regulam quoque Societatis Jesu et temporum officiorumque distributionem adoptaverant; quod, licet difficultatibus non esset vacuum, exemplo tamen non destituebatur. Anno enim 1606 a cardinali de Sourdis, archiepiscopo Burdegalensi, erecta fuerat *Societas Dominæ Nostræ* et Societatis Jesu fere legibus munita : quod institutum anno 1607 Paulus

(1) Historiæ provinciæ Anglicanæ Soc. Jesu, lib. VI, num. 24.

papa V probarat et inter ordines religiosos recensuerat (1). Nomen quoque *Jesuitissarum* amabant, quemadmodum eædem moniales Societatis Dominæ nostræ Burdigalenses initio *Jesuitinæ* dictæ fuerant (2); sed nulla id probari poterat ratione.

Quemadmodum autem ex dictis sequitur, clausuræ religiosæ legibus se cohiberi non sinebant, neque per instituti sui finem sinere poterant virgines Anglæ. Tuitæne sint hanc libertatem exemplo virginum Hallensium et Ursulinarum Italicarum, me latet; sed certe in Belgio nemini illa poterat esse offendiculo. Audi Espenium de clausura monialium, quantum ad Belgium pertinet, disserentem (3) : « Si enim » Belgici climatis constitutio, genius populi » et mores gentis attendantur, non apparet » eum clausuræ rigorem esse adeo necessarium, ut etiam moniales, clausuram » non professæ, neque etiam vi suæ regulæ » constrictæ, invitæ ac reluctantes per censuras et pœnas essent cogendæ : præsertim ubi etiam quædam ex sua fundatione » ad ægrorum curam agendam destinantur; quæ cum rigorosa et arcta clausura » nequaquam consistit. Accedit quod hic » in Belgio laudatæ matronæ intaminatæque virgines plateas ac templum publice » passim frequentent sine ullius offensa » aut scandalo populi; ita quidem ut, si » quæ hic clausura italica teneretur, proxima videretur infamiæ et censuræ. Videmus insuper tot millia Beghinarum ab » aliquot jam sæculis in Belgio sine illo » clausuræ rigore caste et religiose viventium, quæ simplici voto castitatis adstrictæ sunt : tot item virgines, quas filias » devotas vulgo vocant, in ædibus paternis » aut simul commorantes absque ulla clausura, sine periculo, scandalo aut opprobrio a Bonifacio indicatis, caste et devote » viventes. » Et quidem in nulla monasteria Belgica, concilio Tridentino antiquiora, si pauperum Clarissarum excipias, introductæ umquam fuere leges de clausura.

Verum hæc, ut quotusque facile percipiet, nequaquam eo animo retulimus ut quæ sacris canonibus et pontificum Romanorum constitutionibus stabilita sunt infirmentur; sed ut intelligatur quomodo factum sit ut initio virginibus Anglis faverint in Belgio præstantissimi viri; quos inter imprimis laudandus est Jacobus Blasæus, natione Brugensis, professione minorita et ab ineunte sæculo XVII episcopus Audomarensis, qui totam vitam de Anglis catholicis optime mereri studuit. Hoc videlicet præstantissimo præsule libentissime consentiente, Maria Warth, virginum Anglarum antesignana, cum sociabus suis anno 1608 primam sedem fixit Audomaropoli, et adolescentulis Anglis scholas et contubernium aperuit.

Ad excellentem vero cum puellarum institutione conjungendam pietatem Maria ejusque sodales utebantur plurimum P. Rogerio Lee Anglo, qui, ut Morus, Juvencius, Tannerus aliique etiam externi narrant, excelsa quælibet et ad divinum obsequium amplificandum sectabatur semper et promovebat. « Et erant, inquit Morus, in illis » virginibus omnium judicio præclara naturæ et artis dona, atque ornamenta non » inferiora virtutum, quibus delectati principes viri atque fœminæ his filiarum suarum magistris ut uterentur sedem dedere » in præcipuis per Germaniam civitatibus, » migraruntque Leodium, Treviros, Monachium, Viennam Austriæ, Pragam, » Posnaniam, Presburgum, Romam. » Atque hic, si Romanus et unus alterve convictus resecetur, jam erat earum status ante annum 1615.

At Societati Jesu, quæ earum curam numquam admittere voluit neque per Constitutiones poterat, semper graviter displicuit mulieres suum assumere nomen, ut aperte declarat Tannerus (4) : neque immerito. Nonne enim propter nominis communitatem in Societatem redundassent quæcumque ab illis virginibus minus recte acta fuissent, tametsi Societatis præpositis nulla fuisset ad eas corrigendas auctoritas? Sed licet hæc ita essent, virginibus illis certum statutumque erat sodales Dominæ Nostræ Burdigalenses nequaquam imitari, quæ *Jesuitinarum* nomen, initio acceptum, brevi post posuerant.

Habebant præterea istæ virgines ingenium illud, quod passim in Anglis in Belgium adventantibus cernere erat, scilicet

(1) Vide Hélyot, Histoire des ordres religieux, part. IV, sect. II, cap. 45; Suarez, Tractatus de religione Soc. Jesu, edit. de Reverseaux, pag. 530. not. 3. — (2) Ibid. loc. cit. — (3) Jus ecclesiasticum universum, part. I, tit. XXX, cap. 4, num. 14. — (4) Societas apostolorum imitatrix, part. I, pag. 474.

ut quantum fieri posset non sinerent exteros rebus suis sese immiscere. Sic Benedictinæ Anglæ Bruxellenses, ex quibus prognatæ sunt Gandenses, Dunkerkanæ, Iprenses et Pontisarenses, maluerunt carere fundatione, quam pientissima archiducissa Isabella Eugenia ipsis obtulerat, potius quam aliquod libertatis suæ detrimentum pati. Atque ideo, ni fallor, voluere Anglæ virgines dici et haberi virgines sæculares, votis tamen paupertatis, castimoniæ et obedientiæ ligatæ; ut nullus episcopus tentaret majorem in eas exercere auctoritatem quam in quaslibet alias virgines, degentes extra monasteria: ita ut præposita generalis et rectrices sui omnino essent juris. Quam absolutam seipsas regendi potestatem nemo probare poterat et certe eam damnat Morus, Societatis Jesu in Anglia historiographus (1). Unus P. Rogerius Lee mitius sensisse videtur; adeoque cum Audomaropoli amotus est, percrebuit per Societatis Jesu domos fama, id a Societatis præpositis factum esse « quia vel non improbabat vel non satis se non probare declarabat illam libertatem; » quamquam, ut tradit Morus hæc referens, valetudinis gratia Audomaropoli dimissum esse constat. Ast, ut sæpe fit, valetudo potuit esse in causa et aliæ graviores rationes simul exsistere.

Atque ita compositæ erant virginum Anglarum res, quum episcopus quidam, forte ipse Blasæus Audomarensis, sententiam rogavit Suaresium. Hic institutum ipsum seu potius ejus finem modosque laudibus extulit; sed negavit id ab episcopo approbari posse, quoniam concilium Lateranense et Lugdunense voluerunt ne quis deinceps novum ordinem, aut religionem, aut novæ religionis habitum induceret absque summi pontificis auctoritate; neque enim hanc legem eludi posse prætextu quod nulla fieret professio; sensum scilicet decreti esse, ne absque pontificia approbatione talis observetur vitæ modus, qui de se ad religionem constituendam sufficiat; sufficere autem tria substantialia vota sub certa forma et regula ad pium ordinata finem per consentanea media. Quæ sententia meo judicio omnino certa est; et quidem Urbanus VIII, quum anno 1630 Jesuitissarum sodalitium per bullam *Pastorali Romani* suppressit, iisdem nixus est canonibus, quibus id illicitum esse ostenderat Suaresius.

Verum neque in Belgio, neque in Germania omnino clara et manifesta erat hæc doctrina. Etenim ven. Leonardus Lessius, cujus tum nomen in omnium theologorum erat ore, tradebat prorsus contrariam (2). Scribebat scilicet « episcopum posse ap- » probare auctoritative, præsertim post » examen a doctoribus theologis, aliquam » vivendi normam, non quidem ut institu- » tum *religionis*, sed ut regulam laudabi- » lem ac piam; neque hoc opponi decretis » conciliorum Lateranensis et Lugdunensis, » quibus prohibita est novarum religio- » num institutio sine sedis apostolicæ » auctoritate. » Laymann vero, quem theologica et canonica prudentia excelluisse nemo non novit : « Statutum est, » ajebat (3), ne novus religiosus ordo » introduci aut in eo habitus assumi possit, » nisi a summo pontifice expresse appro- » batus sit. Ceterum alias congregationes » non sub titulo status religiosi, sed causa » pietatis seu devotionis christianæ nihil » prohibet institui, etiam non requisita » episcopi licentia. »

Neque difficile intellectu videtur unde hæc opinionum diversitas oriretur. Suaresius enim et qui cum eo sentiebant, certum esse arbitrabantur sufficere ut auctoritate apostolica probaretur vivendi forma quæ vota includeret, paupertatis, castitatis et obedientiæ, ut eo ipso religio esset ordo religiosus, status religiosus; alii contra statuebant ad essentiam status vere religiosi requiri ut religio seu ordo in hujusmodi statu apostolicæ sedis confirmatione stabiliretur, nec sufficere ab eadem apostolica sede obtinuisse dumtaxat approbationem et confirmationem regularum, quas aliqua virorum aut mulierum societas sibi observandas præscripserit seu secundum quas tria substantialia religionis vota emiserit. Ex priori enim sententia sequebatur eos qui absque sedis apostolicæ licentia publicum vivendi modum assumerent, cum tribus religionis votis conjunctum, eo ipso

(1) Historia provinciæ Anglicanæ, lib. VI, num. 24. — (2) Auctarium casuum, v° *Professio religiosa invalida*, cas. 22, edit. Lovan. 1645.— (3) Theologia moralis, lib. IV, tract. 5, cap. 1, num. 3, edit. Wirceburg. 1748.

attentasse novæ religionis introductionem, quemadmodum presbyter in matrimonium consentiens attentati matrimonii reus est; contra ex altera sententia pronum erat concludere eos qui, piæ assumentes vitæ formam et castitatis, paupertatis et obedientiæ vota emittentes, profitebantur se religionis, religiosi ordinis aut religiosi status laudem non affectare, nequaquam peccasse in Lateranense et Lugdunense concilia; quoniam non omne id volebant quod præter approbationem apostolicam necessarium erat, scilicet in statu religioso stabiliri; non secus ac sacerdos, simpliciter concubinarius, utut gravissimo scelere maculatus, attentati tamen matrimonii damnandus non est.

Supra jam aperui sententiam Suaresii pro tempore quo proposita fuit mihi certam videri; atque alibi de approbatione ecclesiastica, ad statum religiosum requisita, ex antiquitatibus sacris, a theologo Societatis Jesu recentiori, monumenta sane multa et præclara fuerunt collecta (1). Accedit quod, quando ipsa Societas Jesu a Paulo papa III primum instituta est, in approbationis bulla nuspiam dicitur in religioso statu stabiliri; quin etiam id verbum aut alia similia ibidem omnino non reperiuntur; sed nude approbatur oblata vivendi formula, qua Societatis quasi facies depingitur, et socii sub apostolicæ sedis protectione recipiuntur; adeoque novennio tantum post Societas primum *ordo* appellata est, in bulla nempe *Licet debitum;* in qua socii, ad alicujus prælati ministerium deputati, dicuntur « sub ordinis correctione sub- » sistere (2). » Verumtamen nemo ambigit quin ab initio Societas Jesu fuerit *religio, ordo religiosus, status religiosus;* quemadmodum ipsi summi pontifices, etiam de scholasticis, votorum simplicium vinculo solummodo obligatis, declararunt.

Sed quum postea invaluit paulatim alia sententia, et æstimarunt vulgo magistri non sufficere ut modus religiose vivendi pontificia auctoritate approbaretur, sed necessarium esse ut explicite status aut ordo diceretur religiosus; non potuit disciplina non mutari. Vita enim religiosa, utut secundum essentiam juris divini, quatenus tamen singularis in ecclesia status est, ecclesiastica disciplina regitur; atque hæc prævalentes doctrinas facile sequitur; unde factum est ut jam pontifices societates pias, quarum scopus et vivendi modus soli approbati sunt, non agnoscant tamquam vere religiosas, sed requirant insuper, quemadmodum anno 1749 dixit Benedictus XIV in bulla *Quamvis justo Dei omnipotentis judicio,* « ut religio seu ordo in statu vere » religioso apostolicæ sedis confirmatione » stabiliretur. » Ex qua conciliorum Lateranensis et Lugdunensis interpretatione sequitur licitum esse novas sodalitates, in quibus tria substantialia religionis vota emittuntur, erigere absque sedis apostolicæ approbatione, dummodo mens sit piam solummodo congregationem instituere, et nequaquam vitam vere religiosam absque sedis apostolicæ approbatione profiteri. Atque hæc jam ante datam a Benedicto XIV bullam tam firma erant ut S. Alphonsus de Ligorio, doctrina præstans et sanctitate, die 21 Julii anni 1742 stabilem fecerit suam sodalitatem, quinque votis perpetuis ab unoquoque sociorum pronuntiatis, sine ulla summi pontificis approbatione; quam multo post quæsitam non assecutus est ante diem 25 Februarii 1749; quum jam sex suorum sodalium domos per totidem fere Italiæ diœceses numeraret. Et reapse, nisi hæc licita forent, profecto possibile non esset ut jam ulla umquam nova pia societas aut religiosa familia instigueretur. Non enim solent amplius Romani pontifices id genus instituta eorumque regulas et constitutiones in antecessum examinare et approbare; sed prius scopum laudant et regularum examen in aliud tempus differunt; postea laudant ipsum institutum, quin tamen approbent; et quidem, ut loquitur cardinalis Soglia (3), « ex solita constanti » sacræ congregationis episcoporum et re- » gularium praxi tum tantum instituti » alicujus approbatio solet regulatim locum » habere, cum per sat longum temporis » spatium, post emissum laudis decretum, » liquido constiterit primo institutum, de » quo agitur, late admodum diffusum et

(1) Cfr Examen historicum et canonicum de regularium et sæcularium clericorum juribus et officiis, cap. 1, num. 8 et seqq. et cap. 4, num. 10 et seqq.— (2) Cfr Suarez, de virtute et statu religionis, tract. 7, lib. II, cap. 16 et 17. — (3) Institutiones juris publici et privati, tom. II, lib. II, cap. 5. § 129 de Monasteriis.

» propagatum esse; secundo uberes ex eo » colligi fructus; tertio regulas ipsas ad » vitæ sanctitatem conducere; quarto demum ea omnia præ se ferre requisita, » quæ a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis præscripta sunt. Quæ » omnia si adsint, simulque geminatæ supplices porrigantur ab iis, quorum interest, » preces, sacra congregatio nil habet prius » ac potius quam ut approbationis proferat » decretum, quod pro diversis rerum, locorum et personarum adjunctis diverse » emitti ac promulgari curat... Unusquisque facile perspicit... post habitas novas » informationes, et exquisito insuper consultoris voto, quæstionem adhuc solvendam remanere an et quomodo regulæ ac » constitutiones approbari debeant. » Atque ex his putem omnino manifestum esse nunc aliam omnino esse disciplinam quam quæ Suaresii ævo obtinebat : ita ut de præsentibus rebus secundum ejus doctrinam nequaquam pronuntiandum sit, neque ejus doctrina exigenda videatur secundum hodiernas consuetudines et mores.

Plura præfari nolim huic Suaresii tractatiunculæ; qui enim Jesuitissarum historiam volet, is legat in Bullario Romano Urbani VIII literas apostolicas *Pastoralis Romani pontificis* et Benedicti XIV *Quamvis justo Dei omnipotentis*. An vero adhuc supersint hujus instituti conservatoria, sub nomine Virginum Anglarum, Monachii, Mindelheimii, in Sancti Hippolyti, in Krembsi aut in aliis Germaniæ oppidis investigare nolo; quamquam mihi valde mirum accideret, si hæc, quæ medio sæculo proxime præterlapso certe florebant, omnia extincta forent. Quod tamen ad Monachiensem domum spectat, eam ante quinquaginta circiter annos in agrum Eboracensem in Anglia translatam fuisse ibique adhuc florere audivi; et in Actis diurnis etiam narratum est S. D. Pium papam IX, quum in regno Neapolitano versaretur, Jesuitissarum (id eis ibidem nomen datum erat) familiam Neapolitanam visitasse. Cæterum earum res omnino ad leges ecclesiasticæ compositæ sunt atque ipsæ imprimis virgines Jesuitissarum vocabulum abjiciunt.

DE VIRGINIBUS ANGLIS

E PATRIA PROFUGIS ET COMMUNEM VIVENDI FORMAM AC RELIGIOSÆ VITÆ PROXIMAM AMPLEXIS.

JUDICIUM P. FRANCISCI SUARESII DE ILLARUM INSTITUTO.

Multæ Virgines Anglæ, patriam suam, hæresi oppressam, egressæ sensim in unum coiverunt, et desiderio propriæ perfectionis et salutis proximorum confecerunt sibi certam vivendi formulam ad imitationem vitæ religiosæ, et ex suo corpore deligunt superiorem, quam vocant matrem : huic promittunt obedientiam perpetuam secundum illam regulam, voto se ad hoc obstringentes, addito simul voto castitatis, et paupertatis. Biennio probantur priusquam ad illa vota admittuntur. Finis hujus instituti est vacare suæ saluti, et perfectioni, et incumbere potissimum in institutionem puellarum, quæ ad eas ex Anglia mittuntur. Quæritur ergo

1° An hoc institutum sit licitum et pium ;

2° An episcopus possit illud approbare et confirmare ;

3° An hoc institutum debeat censeri status, ita ut virgines, illud amplexæ, possint censeri accepisse statum et vitæ rationem immobilem.

Ad primum quæsitum respondeo : illud institutum, per se spectatum secundum ea quæ hic referuntur, et optimum finem habet, propter quem assumitur, et media, quibus profitentes illud utuntur, de se optima sunt; nimirum in communi vivere, superiorem deligere, tria vota emittere, et per hæc suæ spirituali saluti et perfectioni vacare, et honestas virgines ab infectione hæreticorum defendere, et in certa fide et honestate morum instituere, et ad hæc omnia convenienter et sine periculo præstanda, honestam aliquam regulam seu certam vivendi formulam sibi proponere : hæc enim omnia ex ipsa casus propositione colliguntur, et in eis nihil quod honestum non sit invenitur.

Nihilominus tamen censeo hunc vivendi modum seu statum, tamquam perpetuum seu stabilem per continuam successionem seu receptionem puellarum, sine approbatione summi pontificis non esse licitum, quia similis nova institutio post Concil. Lateran. sub Innoc. III est jure ecclesiastico prohibita, ut patet cap. 13 ejusdem Concil., quod est ultimum Extravag. de Religios. Domib.; ubi firmiter prohibetur ne quis de cætero novam religionem inveniat, sed quicumque ad religionem converti voluerint unam de approbatis assumant etc. Quam prohibitionem confirmat Grogorius X, cum concilio Lugdunensi districtius inhibens, ne aliquis de cetero novum ordinem aut religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis assumat; contra quam prohibitionem erit aperte dicta institutio, si absque approbatione summi pontificis assumatur et in usum et consuetudinem introducatur.

Responderi potest illud institutum non esse introductum sub specie et modo religionis propriæ, quia dictæ virgines nec peculiarem habitum religiosum portant, sed tantum honestum habitum aliarum virginum, quæ privatim voto castitatis se Deo dederunt et sæcularia ornamenta abjecerunt; neque etiam illum statum tamquam religiosum profitentur, sed solum ut pium collegium, et honestam familiam, suo modo divino obsequio peculiariter dicatam, conficiunt. Quod ex eo patet, quia, licet tria vota emittant, qualia potest quælibet persona privatim facere, propriam tamen professionem non efficiunt, quæ ad rationem propriæ religionis necessaria est. Et hinc est ut personæ, in hoc instituto viventes communiter, veræ religiosæ non reputentur; merito ergo dici potest hunc vivendi

dum non esse prohibitum in dictis conciliis; quia ista prohibitio, cum sit stricti juris, debet ad propriam et rigorosam vocis significationem restringi; ille autem status neque est proprie religio, nec sub tali titulo aut intentione est introductus; nec virgines, quæ illo modo vivunt, religiosæ haberi aut appellari volunt. Et pro hac sententia et explicatione allegari potest card. consil. 139, alias 138, incipiens *in aliquibus locis:* dicit enim jura quæ prohibent novas religiones creare, inconsulto papa, non intelligi de illis, qui inducunt novum modum vivendi religiose, non facta professione, quia ille non est proprie religio; ac proinde illi novam religionem non inducunt. Quam sententiam probat et commendat Felix in cap. *Ecclesiæ sanctæ Mariæ,* de constitut. n. 1.

Nihilominus hæc mihi non satisfaciunt, quia vel multum enervant, vel inutilem reddunt prohibitionem, factam ab allegatis pontificibus et conciliis; quod in hunc modum declaro. Nam prædicti canones non prohibent religionem novam, si a summo pontifice approbetur, ut est per se notum : nam post illa decreta novæ religiones media pontificis approbatione in ecclesiam inductæ sunt; tum etiam quia par in parem non habet imperium; unde non potuerunt prædicti pontifices manus successorum suorum ligare, ut novam religionem approbare non possent; tum denique quia talis prohibitio non esset in ædificationem, sed in destructionem. Prohibent ergo illa decreta ne absque approbatione pontificis usu teneatur talis vivendi modus, qui de se ad religionem sufficiat, si pontificis approbatio accedat. Igitur in illis decretis nomen religionis novæ non debet limitari ad eam significationem rigorosam, quæ dicitur de vera religione jam approbata. Nam hoc modo vel intelligeretur prohibita res, quæ prohiberi non potest; vel inutilis et frustratoria esset prohibitio : nam potest quilibet novum modum vivendi suo judicio pium et religiosum, et cum omnibus requisitis ad statum religiosum præter approbationem instituere, et securus in conscientia manere non petita approbatione, dicens se non violasse legem illam, quia non introducit religionem rigorose sumptam; at hoc absurdissimum est : alioquin quis esset fructus prohibitionis illius? Nam juxta illam interpretationem æque possunt novæ religiones induci, ut prius fiebant; quia etiam prius religiones noviter inventæ non erant approbatæ. Unde eadem confusio religionum, quam concilium per eam prohibitionem studuit evitare, post illam in ecclesia permansisset; immo magis esset confirmata et liberius fieret : dicerent enim hujusmodi inventores novarum religionum se nolle propriam ac rigorosam religionem introducere, et ideo neque velle approbationem ullam petere neque illa indigere.

Quo supposito fundamento, ex illo manifeste colligi videtur, supposita vera facti relatione, hoc institutum et vivendi modum sine approbatione pontificis esse a prædicto concilio prohibitum. Probatur primo quia, ut expresse relatum invenio in quodam scripto cujusdam viri docti illarum regionum et totius rei claram notitiam habentis, illud institutum est adeo affine religioni, ut nulla re egeat, qua fiat absolute religio præter summi pontificis approbationem; quæ approbatio, ut idem ait, extrinseca est, nec semper in ecclesia fuit necessaria; ergo illud institutum comprehenditur sub religionibus, de quibus dicta decreta loquuntur; ergo illud profiteri sine approbatione pontificis per illa decreta prohibitum est. Consequentiæ sunt evidentes. Antecedens autem, quamvis ex relatione facti satis probatum videri possit, nihilominus ex conditionibus illius instituti amplius declaratur. Nam imprimis vera ratio status religiosi non in nomine aut titulo religionis, nec in privilegiis ejus, sed in tribus substantialibus votis sub certa forma et regula, ad pium finem per consentanea media ordinata, consistit, ut tamquam certum et manifestum suppono; immo etiam ad veram religionem necessarius non est peculiaris habitus in colore aut figura, ab habitu omnium laicorum diversus; tum quia habitus non facit monachum, sed professio, ut dicunt jura cap. *Porrectum,* cum similibus, de regul.; tum etiam quia usu constat esse in ecclesia plures religiones sine speciali habitu, in illo rigore sumpto. Nam loquendo latius nulla est religio, quæ non habeat aliquo modo proprium habitum saltem quoad uniformitatem, et peculiarem aliquam moderationem exteriorum vestium suorum religiosorum, etiamsi alias color et figura ipsius habitus communis sit. Et ita in hac conditione habitus non videntur hæ fœminæ, de

quibus tractamus, ab aliis religiosis discrepare : nam cum in communitate vivant, et unum corpus suo modo mysticum efficiant, et ab aliis distinctum componant, verisimile est eas in ipsomet habitu honestarum virginum aliquid peculiare uniformiter observare; et ideo in scripto citato additur tantam esse similitudinem inter hunc vivendi modum et statum religiosum, ut in opere externo vix possit inter illa distinctio designari. Præter hæc vero etiam finis et media hujus instituti ad substantiam status religiosi ex ea parte sufficiunt, ut ex ipsa facti narratione manifestum est. Quibus omnibus accedit perpetuitas ad statum religiosum necessaria et sufficiens. Nam hæ virgines tria vota substantialia emittunt, ut in casu supponitur, et ex parte voventium perpetua sunt, nec possunt ipsæ sine transgressione voti voluntarie retrocedere, ut in dicto scripto refertur. Additur vero ibi hujusmodi personas sine votis dimitti. At vero hoc absolute loquendo non impedit stabilitatem ac perpetuitatem ad statum religiosum sufficientem, ut in instituto Societatis Gregorius XIII declaravit. Unde consequenter negari non potest quin istæ virgines professionem faciant de se sufficientem ad statum religiosum. Nam licet olim status religiosus non assumeretur nisi per professionem factam per solemnia vota; hodie tamen jam declaratum est posse fieri cum votis simplicibus de se perpetuis, et præsertim cum fiant in aliqua communitate divino cultui dicata, cui se offerunt et suo modo se tradunt omnes, qui talia vota emittunt. Quæ omnia in hoc vitæ instituto servantur non minus quam in Societate quoad scholares suos, seclusa approbatione summi pontificis et peculiari acceptatione, quæ illius auctoritate in religione approbata fit, quæ quidem in hoc instituto feminarum deest; hoc autem non obstat quominus ex se habeat quidquid ante approbationem ad institutum religiosum necessarium est; et hoc satis est ut sine approbatione sit prohibitum. Potestque hoc exemplo Societatis optime declarari : patres enim, qui hanc religionem instituerunt, prius de hoc instituto, ejusque fine et mediis convenientibus cogitaverunt, et inter se convenerunt, ac privatim modum illum vitæ exercuerunt. Postea vero, ut illud institutum tamquam stabile et in publicum omnibus proponerent, sedis apostolicæ approbationem prius postularunt; intelligentes profecto sine tali approbatione sibi non fuisse licitum institutum illud, tametsi pium et sanctum, tamquam stabile et religiosum suscipere, alios ad id vitæ genus suscipiendo et superiorem deligendo; et quamvis profecto illud institutum etiam votis simplicibus firmatum sine approbatione pontificis non magis esset vera ac propria religio, quam sit hoc feminarum institutum, de quo est dubitatio, ex converso istud feminarum institutum non minus ad religionem accedit quam institutum Societatis, si utrumque ante approbationem spectetur. Modus autem, quo pontifex in approbanda et confirmanda Societate processit, evidenter ostendit sensisse pontificem sine approbatione sua non potuisse illud institutum permanenter et publice introduci : nam ante approbationem magna inquisitio et examinatio facta est, et postea non statim libera facultas concessa est recipiendi homines ad profitendum tale institutum, sed prius definitus numerus præfixus est, donec post sufficientem probationem absolute confirmatio facta est. Quomodo ergo dicemus liberum esse his feminis sine pontificis approbatione hoc vitæ institutum publice proponere, et votis firmare, et quascumque virgines voluerint ad illud profitendum accipere? Non dubito sane quin sedes apostolica, de hoc facto informata, illud ut sacris canonibus contrarium improbaret. Neque aliquis ex jurisperitis invenitur, qui in casu simili collegium aliquod propria auctoritate factum propter speciem pietatis approbaverit, aut sine pontificis approbatione permiserit. Nam Cardinalis in allegato consilio de alio genere hominum loquitur, qui, ut ait, tamquam laici vivebant sub sacerdotibus parochialibus, qui solum ad quædam pia opera congregabantur; unde nec faciebant professionem, nec tria vota, quia et proprium habere potuerunt et recedere a congregatione quotiescumque vellent, ut ibi aperte refert. Unde constat illos non habuisse institutum de se sufficiens ad religiosum statum, sicut in nostro casu invenitur. Et in eodem sensu loquitur Felix loc. cit. E contrario vero Panormitanus in cap. 2, de for. comp. n. 11, loquens de quibusdam Jesuatis dicit eos invenisse novam religionem contra jura de Relig. Domib. supra cit. et in eo non modicum peccasse; in quo supponit posse

violari dicta jura inveniendo et profitendo statum, speciem religionis habentem, quamvis proprietatem, quæ ex approbatione pontificis adjungitur, non habeat; idemque habet et latius prosequitur in p. p. Consil. 55, ubi alios refert.

Sed objici potest quia, cum hoc institutum sit valde pium et consiliis evangelicis consentaneum, sitque utilissimum non solum personis illud profitentibus, sed etiam aliis virginibus et feminis, quæ ab ipsis in fide catholica instruuntur et confirmantur, et consequenter sit etiam universo regno Angliæ valde fructuosum, verisimile non est sub ecclesiastica prohibitione comprehendi. Ad hanc vero objectionem in primis dicimus ecclesiam absolute non prohibere tale institutum, sed prohibere ne absque auctoritate et approbatione summi pontificis privatarum personarum judicio introducatur; quod rationi maxime consentaneum est. Nam cum similes vivendi modi, quantumvis pii et religiosi videantur, omnibus fidelibus proponantur, si absque sufficiente examinatione et authentica confirmatione fiant, possunt vel confusionem in ecclesia parere, vel aliquid animabus perniciosum introducere : quoniam angelus satanas sæpe transfigurat se in angelum lucis; ideo prudentissima et necessaria providentia prohibuit ecclesia, ne talia instituta absque approbatione prædicta denuo invenirentur, et in usum fidelium introducerentur. Addo præterea nonnullas circumstantias deberi in hoc instituto considerari, propter quas speciali ratione videri potest necessaria circa illius approbationem et regimen universalis pastoris sollicitudo et providentia. Nam in primis hæ virgines, in communitate viventes et vota castitatis, paupertatis et obedientiæ emittentes, nihilominus clausuram non vovent, neque observant, ut in scripto superius supponitur; hoc autem a summis pontificibus semper est judicatum perniciosum; et ideo circa observationem clausuræ monialium multa decreta statuerunt, et interdum, si qui erant similes vivendi modi feminarum profitentium castitatem sine clausura, vel illos extinguere vel ad clausuram admittendam cogere tentarunt; ergo quamvis fortassis propter peculiares causas permitti vel admitti possit aut debeat hoc institutum sine rigorosa observantia clausuræ, nihilominus valde necessarium est ut hæ causæ summo pontifici proponantur, ut ipse majori auctoritate provideat et præscribat modum, quo sine periculo possint virgines sine obligatione clausuræ sub tali regula vivere. Accedit quod, ut in eodem scripto dicitur, sæpe necessarium est virginibus, dictum institutum profitentibus, per Angliam discurrere; hoc autem non parum auget dictum periculum, et magnæ considerationis est an communitati feminarum id permitti debeat; et quamvis judicaretur expediens, magna moderatio et cautio adhibenda esset; et ut hoc efficiatur efficaciter, auctoritas pontificis necessaria est. Denique in eodem scripto significatur hoc institutum feminarum per se ad proximorum salutem procurandam ordinari, quod certe femineo sexui non satis consentaneum est, nec Paulo dicenti 1 Corinth. 14 : Mulieres in ecclesia taceant : non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse : turpe est enim mulieri loqui in ecclesia; ergo si in hoc instituto aliquid peculiare in hoc permittendum est, sine scientia et auctoritate pontificis fieri non debet. Atque hæc tandem omnia sacris canonibus consentanea sunt, et præter jura supra citata videri possunt Clement. Cum de quibusdam, de relig. domib., et Extravag. Sancta Romana, Joannis XXII.

Ex his facilis est responsio ad secundum quæsitum, vel potius illud cessat : nam jura, quæ prohibent hujusmodi novas religiones sine approbatione pontificis, eo ipso hanc approbationem pontifici reservant; jam ergo non potest episcopus tale institutum confirmare vel approbare.

Dicet fortasse aliquis non posse quidem episcopum hoc institutum ita approbare, ut ex vi suæ approbationis et confirmationis vera et propria religio censeatur esse; nihilominus tamen posse illud approbare ut pium institutum et ecclesiæ utile; quia hoc potest episcopus ex vi sui muneris; et non invenitur ei prohibitum : tantum enim reservavit sibi pontifex confirmationem religionis sub ratione veræ ac propriæ religionis; quæ reservatio non est extendenda ad approbationem pii instituti, quod non se gerat in qualitate religionis, nec vult haberi religio. Sed hæc evasio, quæ revera in vocibus tantum consistit, facile refellitur ex discursu supra facto : nam ostensum est in hoc peculiari statu non

posse distingui pium institutum a vera religione, quatenus dicit statum includentem omnia necessaria ad veram religionem eo modo, quo ante approbationem pontificis vel episcopi supponi potest et debet. Ostensum etiam est approbationem talis instituti ita esse reservatam pontifici, ut nullo modo liceat illud introducere in ecclesiam, et usum ejus publice ac permanenter fidelibus concedere sine confirmatione pontificis; ergo, quocumque nomine appelletur, non potest episcopus solus id approbare sine recursu ad pontificem. Et declaratur amplius : nam ante concil. Later. et Lugdun. episcopi poterant in suis diœcesibus approbare religionem : quod si approbatio cadebat in tale institutum, quod omnia essentialia ad statum religiosum includeret, re ipsa erat vera religio; hæc autem facultas nunc episcopis sublata est et reservata pontifici; ergo nullo modo potest episcopus approbare tale institutuum sub nomine pii instituti, cum hoc sit illud approbare sub ratione status religiosi. Quin potius si res attente consideretur, talis approbatio repugnantiam involveret; quia, si tale institutum sine approbatione pontificis usurpetur eo ipso non est pium; ergo repugnat approbare usum hujus instituti tamquam pium, etiamsi a pontifice approbatum non sit.

In tertia interrogatione attingitur quæstio, his temporibus agitata, an ad rationem status sufficiat immobilitas, quæ tantum in voto simplice fundatur. In qua re, omissa disputatione, ego censeo votum simplex ad rationem status sufficere; quia tale votum ex natura sua perpetuum est, si materia ejus sit perpetua, et ita constituit voventem ex se perpetuo obligatum ad talem vivendi modum, quod sufficit ad rationem status; a quo vovens non potest per se retrocedere, etiamsi per extrinsecam et superiorem potestatem ob legitimam causam possit fieri mutatio. Nam hoc fere omni statui morali et humano commune est, quamvis in quibusdam difficilius et rarius, in aliis facilius et frequentius contingat. Atque hoc satis confirmat decretum Gregorii XIII declarans aliquos in Societate constitui per vota simplicia veros religiosos; quod est idem ac constitui in vero religionis statu. Hoc ergo supposito, manifestum est in casu præsenti institutum istarum virginum ex parte votorum, quibus firmatur, esse verum statum, quin potius in scripto sæpe citato adducitur esse verum statum perfectionis statui religioso simillimum, quia solum deest extrinseca approbatio pontificis ut usurpetur et introducatur; et ideo non dixi absolute hoc institutum, prout in casu proponitur carens approbatione pontificis, esse statum, sed solum dixi ex parte votorum habere rationem sufficientem ad statum constituendum, si cetera necessaria concurrant; maxime vero necessarium est, ut pontificis approbatio accedat, saltem postquam prohibitum est ne sine approbatione pontificis novæ religiones introducantur.

Declaratur hoc amplius ex dictis : nam si hoc institutum, introductum absque pontificis auctoritate, simpliciter est status bonus vitæ christianæ, profecto est status perfectionis, ut consequenter in dicto scripto conceditur; quia est status, in quo homo obligatur ad servanda tria principalia consilia, per quæ ad perfectionem tenditur; in qua professione status perfectionis consistit; si autem est status perfectionis vel via ad perfectionem acquirendam, est profecto status religiosus; nam hæc duo solum nomine differunt, ut ex D. Thoma et aliis, qui de statu scripserunt, est manifestum; quia substantia status religiosi in hoc consistit, quod ad perfectionem caritatis per se tendat per illa tria substantialia consilia Deo, per votum dicata; at vero status religiosus et religio in ea significatione, quæ modum vivendi importat, idem sunt, ut ex usu vocum manifestum est; ergo si hoc institutum introductum et separatum ab approbatione pontificis, est status perfectionis et religiosus, erit etiam nova religio non approbata a pontifice ac proinde prohibita. Atque ita ex illa assertione infertur oppositum ejus. Quod in hoc puncto principaliter interrogatur et inquiritur. Ideoque nos e contrario dicimus, quamvis illud institutum ex suis votis satis ad statum religiosum esse possit, si tamen temere usurpetur contra prohibitionem pontificis, eo ipso statum non esse; quia nec immobilitatem habet, cum sit contra legem, contra quam nihil potest esse firmum et stabile, nec vota illa maxime obedientiæ obligare possunt ad permanendum in tali vivendi modo, cum sit illicitus; et quia superior est electa sine interventu auctoritatis pontificiæ, non potest esse legitima

superior; et consequenter quia in illa communitate deficiunt omnia, quæ ad ejus perpetuitatem necessaria sunt. Quapropter concludo, ut hoc institutum sit vere pium, stabile ac perpetuum, pontificis approbationem necessariam esse. Ita censeo sub censura ecclesiæ et cujuscumque melius sentientis.

Conimbricæ die 5 Junii 1615.

Franciscus Suarez.

PRÆFATIO

IN EPISTOLAS R. P. FRANCISCI SUARESII, ANNO 1617, OCCASIONE INTERDICTI OLISIPONENSIS SCRIPTAS.

I Inter codices familiæ Barberinianæ, Romæ servatos, repertæ sunt R. P. Franc. Suaresii epistolæ tres hispanico idiomate scriptæ occasione interdicti, in civitatem Olisiponensem a nuncio apostolico anno 1617 fulminati; quarum prima 4 Julii illius anni ad Philippi III Hispaniarum regis confessarium missa est; secunda ad ipsum regem, die 12 Augusti; tertia ad Andream Lextan die 25 ejusdem mensis. Statim autem ac summus pontifex Paulus V exemplar primæ et secundæ epistolæ R. P. Suaresii simul cum aliis scriptis Eximii doctoris, in hanc causam editis, cura nuncii apostolici accepisset, nihil antiquius habuit quam ut ecclesiæ strenuo defensori ob præstitam operam gratias ageret, per breve apostolicum de die 25 Augusti ejusdem anni 1617, quod servavit nobis jam laudatus auctor Vitæ R. P. Suaresii, P. Josephus Massei, S. J. cap. 22, p. 207. At R. P. Suaresius, lethali morbo correptus, ante cessit e vita quam breve romani pontificis Olisiponem adveniret.

II Scripta Eximii doctoris, in hanc causam edita, ad nos non pervenerunt, præter tres epistolas prædictas, quas hic christiano lectori exhibemus, simul cum brevi s. m. Pauli V. Qui linguam hispanicam non callent, substantiam epistolarum reperient in Notitia historica de iisdem documentis, quam nobis simul cum textu literarum transmissam esse gaudemus, nec publica luce quam meretur carere volumus. In ea autem Notitia describitur tota series actorum, quatenus ad causæ cognitionem necessaria erat. Nihil igitur eidem addendum esse videtur, nisi quod vir linguæ hispanicæ peritus textum epistolarum, multis mendis aspersum, doctis suis conjecturis purgare ac emendare conatus sit; verumtamen non ubique eamdem normam secutus est, ita ut aliis locis archæïsmos expunxerit, aliis autem servaverit : cui inconstantiæ remedium afferre noluimus, ne per novas mutationes textum faceremus magis dubium. Translationem italicam epistolæ secundæ, quam exhibet codex ms. Barberinus, utpote erudito lectori superfluam, hic non edidimus.

Brugis 4 Septembris 1858.

† J. B. Episc. Brug.

NOTITIA HISTORICA

DE EPISTOLIS SUARESII CIRCA OLISIPONENSE INTERDICTUM.

Moriendi causam reperisse Suaresium in laboribus molestiisque, pro ecclesiasticorum jurium defensione susceptis, passim tradunt ejus biographi. Quum enim anno 1617 Olisipone esset, orta est gravissima de immunitate ecclesiastica controversia. Ipsam rem narrat Suaresius in epistola ad confessarium regium. Versabatur tum scilicet Olisipone Octavius Accorambonus, olim Forosemproniensis episcopus, tunc autem munere ornatus spoliorum collectoris apostolici in Lusitania. Magnam adjunctam sibi habebat hoc officium auctoritatem; quod in eo erat positum, ut qui id gerebat ea omnia quæ clerici cujuscumque gradus ex beneficiorum ecclesiasticorum fructibus per vitam compararant et morientes reliquerant colligeret et cameræ apostolicæ vindicaret. Quum vero hæc provincia latissime pateret, multos collector adhibere debebat clericos qui ei suam præstarent operam ejusque proinde subessent omnino jurisdictioni. Porro accidit ut die quadam accensus seu lictor aliquis (*Alguazil* vulgo vocant), cui Merino erat nomen, manus injecerit uni ex illis clericis eumque, universa civitate inspectante, ad carcerem duxerit. Vestes tamen gerebat ille longas, quales solent clerici, et in ipsa captione atque etiam in itinere, non plebs tantum, verum etiam gravissimi viri, harum rerum testes, lictorem monuerant quod captivus vere clericus erat, beneficiatus, de familia collectoris atque etiam ejus auditor. Ast nil inde motus erat accensus. Non potuit id facinus diu latere Accorambonum, qui statim examen instituendum curavit ut quid rei esset compertum haberet. Rem, ut modo narravi, gestam fuisse intellexit et continuo ad tribunal suum citavit lictorem, qui ausorum suorum rationem redderet et se in censuras non incurrisse demonstraret. Citationem sibi in manus dari petiit lictor; sed ut eam accepit, continuo detulit ad judicem, quem factorum seu casuum regiorum appellant. Pronuntiavit hic lictori gravamen illatum esse eumque liberum relinquendum, donec ipse convenisset collectorem. Non itaque paruit lictor; et cancellaria regia judicis sententiam confirmavit et secundum de non comparendo mandatum dedit lictori; quæ omnia in tertia instantia consilium regium rata habuit. Porro quum collector pontificius tam aperte jurisdictionem suam pedibus conculcatam vidit, quid ei agendum supererat? Si cederet, pessumibat omnis ejus auctoritas; si perstaret, spes erat ut, postquam brevi sedatæ essent primæ iræ, resipiscerent adversarii. Perstitit itaque Accorambonus in vocando lictore coram suo tribunali; ast cancellaria ut eum ad desistendum ab hac citatione cogeret, mandatum dedit ut collectoris abducerentur muli aliæque res, et ut nemo quidquam ad ejus usum venderet, ne panem quidem. Ut ad has augustias se redactum intellexit pontificius minister, proregem adiit; at nil vicit. Quamobrem postquam sex aut septem adhuc exspectasset dies, sacris interdixit universam civitatem Olisiponensem.

Quæ quum primum ex ore ipsius proregis accepisset Suaresius et universum negotium expendisset, aperte declaravit interdictum justum esse et prudenter processisse collectorem. Verum non acquievit prorex, neque judices regii; ita ut nemo non prævideret grande incendium hinc oriturum. Quamobrem pius senex, non minus bene in Olisiponenses quam in collectorem affectus, ad surgentis flammæ vim comprimendam non labori, non industriæ parcere; causam agere voce et scripto; apud regem literis, apud magistratus coram urgere. In summis anni caloribus per æstuosas et pulverulentas vias Olisiponem peragrans, optimatum domos assidue terens, ecclesiæ jura vitæ præponebat suæ. Atque ex hac quidem defatigatione brevi in lethalem morbum incidit. Sufficere hæc videntur ut quod harum literarum argumentum sit intelligatur.

EPISTOLA PRIMA P. FRANCISCI SUARESII

AD CONFESSARIUM PHILIPPI III, HISPANIARUM REGIS.

Ha permitido Nuestro Señor que me halle en esta ciudad en tiempo deste encuentro, que en ella hay entre los ministros de su magestad con grande escandalo y desconsolacion deste pueblo; y el deseo y obligacion, que tengo de procurar el remedio destos males, me ha dado atrevimiento para cansar a V. P. R. con estos renglores, siendo asi que, aunque muchas veces lo hè deseado hacer, nunca me hè atrevido, por no haversè offrecido negocio, que asi me obligassè. V. P. R. tenga paciencia que yo serè breve. Lo primero digo a V. P. R. que las cosas, que en este reyno pasan sobre esta materia, son muy exorbitantes, y de que Nuestro Señor y su vicario se ofenden mucho; y puedo hablar desta manera por la experiencia de 20 años que tengo della, y haberme pasado por las manos las de mas importancia, y de las demas haver tenido bastante noticia : y todas ellas nacen de extender los jueces el titulo de fuerça a muchas cosas que ningun color tienen della; con lo qual unos quieren mostrarse zelosos del servicio y jurisdicion de sua magestad, y por este camino crecer, y otros quieren favorecer sus amigos, o perseguir sus enemigos, o conseguir otros intereses; de lo qual nace intimidarse algunos obispos en la correccion de sus subditos, y todos hallarse flacos y con poca autoritad y favor para su gobierno, y otros grandes incovenientes se siguen, que V. R. con su gran prudencia y experiencia echarà de ver.

Mas dexando lo general, esto se ve claro en el caso presente; porque todo se fundò en haber un alguacil prendido un clerigo beneficiado, y sobre el caso haber el colector hecho un breve sumario de testigos, por el qual consta, que preso iba en habito largo de clerigo, y que lo era, y beneficiado, y que desto fue admonestado el alguacil en el acto de la prision, y en el camino por mucho numero de testigos, y algunos graves, de como aquel era notoriamente beneficiado, y criado del colector, y su auditor, y que por este solo titulo le prendian, y no por delito. Mas con todo el Merino le llevo infamamente y con gran violencia corporal a la carcel, y le dexò en ella. Con esta informacion mandò el colector citar al alguacil para dar razon de sì, y descargarse de no haber incurrido censuras. Pidiò vista desta citacion el alguacil, y dandosela acudio con ella al juez de los fatos * del rey, que acà llaman, y èl pro- * echos
nunciò ser agravado, mandando que fuese dexado como inocente, sinque el colector entendiesse con el; y no obedeciendo èl, confirmò la chancilleria el acto del juez, dando segundo mandado, y en tercera instancia hiso lo mismo el consejo real. Vea V. P. R. que sombra de fuerça hay en una tan simple citation, y tambien fundada : yo he hablado con muchas personas doctas deste lugar, y estàn admirados; y hablando con algunos oydores, ninguna razon ni colorada saben dar, como por experiencia me ha pasado.

Y con todo por estar el colector firme en su justicia, hizo un acto la chancilleria de reclamacion contra la persona del colector, mandando le tomar las mulas y otras cosas, hasta poner penas a quien le vendiese pan. Con lo qual èl se irritò para poner entredicto el colector, aunque primero acudiò al señor virey. Y despues de pasados 6 ò 7 dios lo puso. Aunque el señor virey se quexa de no haber guardado lo que con el asentò, habiendole èl asegurado que por aquel auto no se haria obra, y aun diciendo que no estaba publicado, ni en estado que tuviese fuerça de sentencia, ni ser mandado execucion. Mas el colector dà sus descargos : y yo en este punto, que es de primor y conveniencia, no me entrometo. Mas el punto de justicia, tengo por cierto que el colector tiene justicia, y que sus censuras son validas; y con este fundamiento, que he dicho al señor virey y a todos, hè procu-

rado, quanto las fuerças me han bastado, à concertar este encuentro, guardandose el decoro à ambas partes, y dando orden como las almas fuesen remediadas y la iglesia obedecida. Mas mis peccados y poca industria fueron causa de que mi trabajo fuese en vano; y asi queda este negocio muy embray (?), haziendose en èl muchas ofensas a Nuestro Señor; y una dellas, y muy notable fuè atreverse un consejero à dar una peticion en la chancilleria contra el colector, llena de atrevimiento y descortesias, y hasta blasphemias, como V. R. verà por un fiel traslado della, que con esta va; y desta mandò la relacion, que se diese vista al colector, cooperando todos al atrevimiento de uno, y agravando notablemente el delito; porque à quello no fue sino querer leelle en su cara al colector semejantes injurias. El consejero, que diò la peticion, es Antonio Piñero, que es gran fautor destas perturbaciones, y haciendo en el puerto el officio de juez de los fatos del rey, fue autor de todos los desacatos, que los años pasados se hizieron contra el obispo de aquella ciudad, que su Santidad tanto sintiò, y su magestad mandò reprehender por ello gravemente al dicho Piñero, en el qual son estas cosas mas sospechosas por ser hombre que aca llaman de la nacion notoriamente.

Deseando, pues, yo el remedio destos males, y que se atasen otros mayores, no hallè mejor remedio que acudir a los pies de V. R. y supplicalle interponga en esto toda su autoridad con tal eficacia, que se vea no ser su magestad contento de tales excesos; para lo qual es necesario castigar à los jueces, como tan graves yerros merecen, y honrar el colector come al legado de sua Santidad y tan grave persona, haciendo que los contumaces se riendan a la iglesia, y pidan absolucion, haciendo la debida satisfacion. Y no dexarè de dicir a V. P. R. que con esta ocasion vi una carta firmada de su magesdad, en que aprobaba esta orden que acà pretenden executar en la persona misma del colector, si en semejantes casos no se sujeta a la ultima resolucion del consejo o paco, como a càle llaman. En lo qual hallo muy dificultosa la justificacion; porque no veo que en semejantes casos (si no se sugeta a la ultima resolucion) dudosos haya de ser de peor condicion la jurisdicion del papa, y gobernarse por la de los jueces reales, especialmente con tan larga experiencia de tan grandes yerros y excesos, o por ignorancia, fundada solamente en su costumbre tan repugnada por los pontifices, o en otros respectos humanos que ya apuntè. Cierto, para venir a estos terminos, habia de ser la violencia y injusticia del juez eclesiastico muy evidente, y aun notoria; y aun en ese caso con la persona de un embaxador y supremo ministro del papa en estos reynos se habia de tener mas miramiento, que no se pudiese venir a tal auto ni a tan gran rompimiento, sin dar primero cuenta, no solo al virey, que ni eso ahora hicieron, sino a S. M. y que sino hubiese peligro en la tardança, se acudiere primero a S. S. que acà se hiciese tal demostracion, y para prevenir lo uno y lo otro, quizà fuera conveniente, que per acuerdo de S. S. y S. M. hubiese aqui señalada una junta mezclada de personas puestas por el rey, para que en semejantes casos determinasen las dudas, quando viniesen à estos extremos encuentros, entre el paco y colectores. V. P. R. me perdone si lo he cansado, que la materia me excusa, y creo que el deseo del bien comun me ha dado atremiento. Guarde Nuestro Señor la reverendissima persona del P. como deseo. Lisboa y julio 4, 1617.

Francisco SUAREZ.

EPISTOLA II FRANCISCI SUARESII

AD PHILIPPUM III, REGEM HISPANIARUM.

Por hallarme en esta ciudad a tiempo que los ministros de V. M. y el colector de su Santidad andan muy encontrados, y esta ciudad muy desconsolada con un largo entredicto, y haberme sido necessario dar mi parecer en la materia, me hallo obligado a dar cuenta a V. M. de la confiança y verdad con que he hablado. Porque asi como estoy cierto del catholico y religioso animo di V. M. asi confio estara V. M. de que no tiene vasallo mas fiel ni que mas zelo tenga de todo lo que es servicio, honra y fama di V. M.

No tuve noticia de la materia deste entredicto, antes que se pusiese, ni las partes se sirvieron de mi para eso, ni me consultaron, quiza por ser yo reson venido aqui, y tenerlo ya hecho con otros; mas despues de puesto el entredicto, el primero que me hablo en la materia fue el virey, pidiendome mi parecer, y despues de haverme informado bien del hecho, y estudiado, y considerando atentamente el caso, me parecio, que el colector del principio deste negocio habia procedido bien, y atentadamente, sin hazer fuerça ni agravio a ningun vasallo di V. M. ni usurpar su real jurisdicion, y en consequencia desto me parecio, que los jueces de V. M. en su procedimiento contra el colector habian excedido su potestad y el modo devido, perturbando y impediendo notablemente el curso de la jurisdicion eclesiastica, no solo contra los canones y bulas pontificias; sino tambien fuera de lo que los leyes de V. M disponen, y faltando en el respeto, que a un prelado y legado de la sede apostolica se deve. Lo qual acrecentaron con un decreto, que ultimamente hizieron contra el colector, mandando privarlo de los temporalidades. Con lo qual el se resolvio de poner entredicto en defension de su jurisdicion y autoridad apostolica de la immunidad eclesiastica, porque segun los canones estas son las armas con que la iglesia se defiende, quando los que son miembros suyos se buelven contra ella, y tambien es esta la causa mas justificada para poner el entredicto. Por la qual he tenido y tengo este entredicto por valido y justo, y asi he aconsejado guardallo a todos los que en esto me han consultado, que entro otros han sido muchos los mas graves ministros de V. M.; y habiendo querido despues el colector servirse de mi consejo, no se le he negado, por ser esta obligacion mia, por parecerme justamente, que servia en ello a V. M. y a este pueblo, procurando siempre medios de concordia, y quando no tuviesen efecto a lo menos el colector procediese con toda la suavidad, que la justa defensa padeciese, come realmente lo ha hecho.

Espero en la gran christiandad y prudencia de V. M. se dignara de darse por servido deste mi procedimiento; y con esta confiança, me atrevo a rapresentar a V. M. el miserable estado en que esta ciudad al presente queda, teniendo ultra del entredicto muy malos exemplos de menos preciarse las censuras eclesiasticas; y ultimamente in viendo oprimido un colector Ap. con dos otres alquaziles a su puerta, prendiendole los criados y cavalgaduras, y procurando que hasta el pan y el agua le falte. Cosa nunca justa en estos reynos, y que da animo a los herejes, que a ella concurren con ocasion de la mercancia, y que infama el nombre de catholicos, y que tiene desconsolados a todos los siervos de Dios, que tienen zelo de su honra, y de lo di V. M. Aquien de rodillas, y con las lagrimas en los ojos suplico, mande remediar, y componer estas cosas de modo, que todo el mundo entienda quanto desplace a V. M. que la immunidad eclesiastica sea violada. Teniendo V. M. por cierto que el mejor medio para conservar su real jurisdiction es ne permitir, que se hayan excesos contra la eclesiastica. Guarde Nuestro Señor la catholica y real persona de V. M. Lisboa, Agosto 12, 1617.

EPISTOLA III FRANCISCI SUARESII

AD ANDREAM LEXTAN.

Pideme V. M. mi parecer acerca del modo de proceder que ha tenido con el colector; y aunque hablar ahora en estas materias especialmente por escrito, y afirmandolo de mi nombre, no podra ser sin sentimiento de alguna de las partes; con todo eso dirè a V. M. lo que siento, con la libertad que devo. Porque estas son las ocasiones en que nuestro oficio nos obliga a no ocultar la verdad, quando se nos perguntarè.

Digo pues primeramente, que me admirè mucho quando me dixeron, que V. M. habia intentado de inhibir al señor colector y pedirle los autos de la causa como superior; siendo tan claro, que el señor colector lo es en esta causa, y solo legitimo superior, no solo respecto de los jueces seglares, sino tambien de los eclesiasticos, aunque sean regulares : por serle superior por los poderes, que tiene, y por ser por razon de su oficio executor de los breves eclesiasticos en este reyno, y defensor particular de la jurisdicion eclesiastica; y ultra desto tiene orden particular de su Santidad para proceder en este caso. El qual orden yo he visto : y basta afirmallo, y publicallo asi el colector, para que deva ser creido aunque no lo muestre, como consta de la instrucion de su oficio. Dexo estas razones, de tener ya prevencion en la causa, y estar en ella tan adelante y habersele en ella hecho tantos agravios contra la dignidad de su oficio y persona, y en esto haver concurrido los jueces reales no como particulares personas sino como ministros seculares y publicos; a los quales no favorecen los privilegios eclesiasticos contra la misma iglesia, en lo qual se pudiera decir mucho que ahora no es necesario.

Mas despues, que supe que V. M. con la respuesta del señor colector se habia inhibido, me di por satisfecho; y aunque V. M. ni en lo uno ni en lo otro me habia dado parte de nada, me persuade que V. M. habia hecho lo primero forçado de importunaciones, y resguardando su conciencia, porque aquello solo fue como tentar el vado, para informarse bien de los poderes, o jurisdicion del señor colector, y conforme a su respuesta hacer lo que su conciencia le dictase, aunque fuese poniendose a riesgo de lo que le ha sucedido, y asi respondiendo a lo que V. M. ahora de mi quiere.

Digo lo segundo que la resolucion, que ahora V. M. tiene tomada no solo juzgo por buena sino por necesaria, y obligatoria in conciencia. Lo primero por las razones apuntadas, que muestran no tener V. M. jurisdicion en este caso, ni titulo ninguno para resistir al señor colector y muchos para obedecelle. Lo segundo por escusar nuevos escandalos, y nuevo fuego, que por esta via se commenzaba a encender en este pueblo. Y asi deve V. M. consolarse porque deste acto suyo se han edificado mucho todos los hombres doctos y zelosos de la honra de Dios, y de su iglesia que hay en este lugar; y si por esta causa V. M. padece algo en lo temporal y humano, tengase por dichoso, porque sin duda padece por Dios y por la justicia, aunque es de creer que los que en eso son parte procedan con buena intencion segun la conciencia que tienen. Mas confio en Nuestro Señor que en toda la verdad de todo V. M. sera presto restituida a su cargo con mas honra de la que antes tenia. Guarde Nuestro Señor a V. M. De Lisboa, desta casa de probacion de Monte Olivete, a 24 d'Agosto 1617.

DILECTO FILIO FRANCISCO SUAREZ

PRESBYTERO SOCIETATIS JESU PAULUS PAPA QUINTUS.

Dilecte fili, salutem etc. Significavit nobis venerabilis fr. Octavius, episcopus Forosemproniensis, noster in ipsis regnis collector, quæ tu de controversia, inter eum et magistratus sæculares, pacis adversario instigante, nuper exorta, responderis, et scripta etiam misit, quæ, ut tuæ multæ pietati et doctrinæ consentanea sunt, fuerunt nobis maxime grata. Quamobrem operam tuam, prout debemus, laudamus teque in Domino hortamur, ut Dei honori et ecclesiæ suæ, in qua tantum divina gratia emines, libertati inservire pergas. Novimus enim quantum tua auctoritas ad extirpanda zizania valeat; quod etsi te facturum non dubitamus, tamen nostram apostolicam benedictionem tibi impertiendi, et paternam in te charitatem commemorandi occasionem nacti, officii nostri debito deesse non potuimus. Retribuat Dominus laborum tuorum mercedem. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, die 25 augusti 1617, anno [pontificatus nostri] XIII.

INDEX.

Præfatio generalis in R. P. Francisci Suaresii Societatis Jesu presbyteri et doctoris eximii opuscula VI, nunc primum edita v

---

Præfatio in opuscula P. Francisci Suaresii de confessione sacramentali per epistolam vel per nuncium facta. XIII

R. P. Francisci Suaresii commentarius in decretum S. D. N. Clementis VIII circa confessionem et absolutionem in absentia datas, et in capitulum *multiplex* de pœnitentia, dist. 1, sumptum ex S. Leonis epistola 89, cum concordia eorumdem canonum inter se 1

Decretum S. D. N. Clementis VIII Romæ editum die 20 Junii anni 1602, ac promulgatum die 13 Julii ejusdem anni, in generali congregatione sanctæ Romanæ et universalis inquisitionis, habita in palatio apostolico in monte Quirinali coram sanctissimo D. N. Clemente divina providentia papa VIII ib.

CAPUT I. — Quo sensu dicatur illicitum factum in hoc decreto prohibitum 2

CAP. II. — An confessio et absolutio in absentia, per hoc decretum damnatæ, ita sint illicitæ ut in nullo casu, etiam extremæ necessitatis, liceant 7

CAP. III. — Contineatne hoc decretum solam juris pontificii prohibitionem, vel etiam divini juris declarationem 11

CAP. IV. — Quod sit fundamentum solidum hujus decisionis et declarationis 18

CAP. V. — In quo gradu certum sit esse illicitum id quod per hoc decretum damnatur 30

CAP. VI. — Quæ propositio per hoc decretum directe vel indirecte damnata sit 36

Pars secunda hujus tractatus. De vero sensu decisionis Leonis papæ circa pœnitentiam dandam ægroto, extreme indigenti, qui in præsentia sacerdotis illam postulare non valuit 42

CAP. I. — Proponitur casus, et responsio canonum, ac difficultas quæ ex illa nascitur, et vulgaris evasio refertur ib.

CAP. II. — S. Leonem in cap. *Multiplex* de pœnitentia d. 1, de sacramentali pœnitentia loqui, ex serie et contextu totius epistolæ demonstratur 47

CAP. III. — Referuntur varii modi pervertendi sensum Leonis, et explodunturtur 58

CAP. IV. — Prædicta interpretatio et sententia Leonis aliorum decretorum concordia præsertim concilii Arausicani I et Carthaginensis IV corroboratur 62

CAP. V. — Eadem interpretatio ac sententia doctorum auctoritate comprobatur 66

CAP. VI. — Ratione declaratur eadem sententia et objectionibus satisfit 73

Pars tertia de concordia et vero sensu utriusque decreti Leonis I et Clementis VIII 75

CAP. I. — Decisionem Leonis non limitari ad eos, qui prius in præsentia sacerdotis confessi fuerant, atque ita excludi primum conciliandi modum ib.

CAP. II. — Ut in casu extremæ necessitatis absolutio sacramentalis dari possit, necessario prærequiri sacramentalem confessionem; refelliturque secundus modus conciliandi prædicta decreta 80

CAP. III. — Confessionem in casu de ægroto exhibente signa ante adventum sacerdotis factam non esse in præsentia confessoris; excluditurque tertius modus conciliandi hæc decreta 86

CAP. IV. — Nec Leonis nec Clementis verba ad generalem vel specialem confessionem limitanda esse; exploditurque quarta ratio conciliandi eorum decreta 92

CAP. V. — Vera ratio conciliandi hæc decreta exponitur et probatur 95

Cap. VI. — Satisfit objectionibus, quæ contra veram concordiam decretorum factæ sunt 98

R. P. Francisci Suaresii tractatus de confessione peccatorum ab ipso pœnitente facienda cum adnotationibus incerti auctoris Societatis Jesu 104

Cap. I. — Quæstio theologica : Utrum sit de necessitate confessionis quod pœnitens immediate et per se ipsum revelet sacerdoti peccata sua. 117

Cap. II. — Narratio brevis totius facti et dubitationes juris, quæ ex illo nascuntur 127

Cap. III. — Judicium patris Francisci Suaresii circa scriptum doctissimi cujusdam viri de absolutione collata per sacerdotem absentem ei, qui per literas vel internuncium confessus est 137

Cap. IV. — Brevis demonstratio quod S. Leo et concilium Arausicanum et Carthaginense, cum præcipiunt dari ægroto, qui in præsentia sacerdotis conscientiam suam significare non valet, pœnitentiam et reconciliationem sacerdotis, loquantur de sacramento pœnitentiæ 148

Cap. V. — Auctores asserentes in casu extremæ necessitatis absolvendum sacramentaliter essea peccatis ægrotum, qui petiit confessionem cum signis pœnitentiæ, licet in præsentia sacerdotis aliquid significare non potuerit 155

Theophili Raynaudi ex Societate Jesu dissertatio pro Francisco Suaresio de gratia ægro oppresso collata per absolutionem, a sacerdote præsente impensam, prævia peccatorum expositione epistolari. Exceptio contra exceptionem 164

Cap. I. — Quid et quotuplex sit confessio epistolaris 166

Cap. II. — Quod confessio, sumpta pro integro pœnitentiæ sacramento, epistolaris esse non possit, certa sententia 168

Cap. III. — Pœnitentiæ sacramentum, ne ex parte quidem expressionis peccatorum, posse esse epistolare, qui censuerint 172

Cap. IV. — Expressionem sacramentalem peccatorum in summa necessitate posse esse epistolarem Suaresii sententia variis doctoribus probata 175

Cap. V. — Concilia et pontifices pro sensentia proposita 178

Cap. VI. — Rituale Romanum pro eadem sententia 184

Cap. VII — Ratio congrua in ejusdem sententiæ confirmationem 188

Cap. VIII. — Ad argumenta in contrarium proposita capite III 190

Cap. IX. — Sigillatim ad argumentum ex decreto Clementis octavi contra confessionem per literas vel internuncium 194

Cap. X. — De aliis modis subministrandi partem materialem sacramenti pœnitentiæ per internuncium aut literas 204

Præfatio in epistolam P. Francisci Suaresii ad Clementem VIII de censura Dominici Bannesii ord. præd. theologi et doctrina ejus circa auxilia divinæ gratiæ 212

R. Patris Francisci Suaresii gravis epistola ad Clementem VIII pontificem maximum, et epistolæ subjuncta ejusdem apologia, seu responsiones ad propositiones de auxiliis gratiæ, notatas a M. Dominico Bannez. Annotata in apologiam de occasione et tempore quo scripta est. 213

Præfatio in dissertationem R. P. Francisci Suaresii de immaculata conceptione beatæ Mariæ virginis 234

Utrum B. Virgo fuerit sanctificata in primo instanti conceptionis, atque adeo ab originali peccato præservata 238

Præfatio in libros R. P. Francisci Suaresii de immunitate ecclesiastica 254

Notitia historica de libris P. F. Suaresii de immunitate ecclesiastica a Venetis violata et a Paulo papa V juste et prudentissime defensa 257

Liber secundus de immunitate ecclesiastica a Venetis violata et a pontifice juste ac prudentissime defensa 264

Cap. I. — Possitne sæcularis princeps supremus excusari a gravi culpa, sua auctoritate capiens clericos, et carceri tradens ac detinens, resistente pontifice summo 265

Cap. II. — An lex civilis disponens circa bona emphyteutica ecclesiastica et

clericorum, ut in nullo eventu possit dominium utile cum directo in ipsis ecclesiis vel personis ecclesiasticis consolidari, injusta sit et directe ac formaliter contra ecclesiasticam libertatem 274

Cap. III. — An lex civilis, vetans ne immobilia bona donentur aut vendantur ecclesiis vel ecclesiasticis personis, sit contra ecclesiasticam immunitatem 280

Cap. IV. — An lex civilis, prohibens ædificari ecclesias, monasteria, hospitalia et alia loca pia sine licentia principis sæcularis, deroget ecclesiasticæ libertati 295

Cap. V. — Utrum censuræ, a sanctissimo Domino nostro contra Venetos latæ, aliquo apparenti titulo injustæ ac invalidæ judicari possint, ita ut sufficeret ad excusandos in conscientia illos, contra quos latæ sunt 299

Cap. VI. — Utrum a culpa violatæ censuræ excusari possint qui non obtemperant, eo quod tale præceptum non fuit in ditione Veneta publice promulgatum 307

Cap. VII. — De secunda exceptione ex scandalo 315

Cap. VIII. — De tertia excusatione ex timore 319

Liber tertius de tuenda ecclesiastica immunitate contra mutilatores tomi V de censuris ejusdem auctoris 330

Cap. I. — Immerito e disp. 15, sect. 6, ablatam esse partem illam, in qua communitati adversus principem hæreticum vel schismaticum, suæ reipublicæ corruptorem, defensio justa conceditur ib.

Cap. II. — Immerito ex disp. 20, sect. 1 ablata esse omnia illa, quæ ecclesiasticam potestatem circa temporalia in ordine ad spiritualia commendare aut extendere videbantur 336

Cap. III. — Immerito e disp. 21, sect. 2, sublata esse aliqua quæ ad exponendam quintam censuram Bullæ Cœnæ contra imponentes tributa in casibus sibi prohibitis asseruntur 341

Cap. IV. — Quale fuerit crimen alienum opus, publice approbatum, proprio ac privato arbitrio mutilare; et quam digna pœna fuerit punitum 345

Præfatio in judicium R. P. Francisci Suaresii de virginibus anglis et illarum instituto 348

De judicio R. P. Francisci Suaresii circa institutum virginum anglarum brevis commentarius 350

De virginibus anglis e patriæ profugis et communem vivendi formam ac religiosæ vitæ proximam amplexis. Judicium P. Francisci Suaresii de illarum instituto 357

Præfatio in epistolas R. P. Francisci Suaresii, anno 1617 occasione interdicti Olisiponensis scriptas 363

Notitia historica de epistolis Suaresii circa Olisiponense interdictum 364

Epistola prima P. Francisci Suaresii ad confessarium Philippi III, Hispaniarum regis 365

Epistola II Francisci Suaresii ad Philippum III, regem Hispaniarum 367

Epistola III Francisci Suaresii ad Andream Lextan 368

Breve Pauli papæ V ad Franciscum Suaresium presbyterum Societatis Jesu 369

FINIS.

1611